CIMELIA
Qu 5433
tat.komp.



5433

CIMELIA

Cimelia VI. b. 496

REFUTATIO
Duorum MARTINI SMIGLECII IESUITÆ Librorum.

Quos de erroribus Novorum Arianorum inscripsit.

Autore
VALENTINO SMALCIO
Cœtus Racoviensis Ministro.



RACOVIÆ,
Typis STERNACIANIS,
Anno 1616.

Cim Qu. 5433





GENEROSIS DOMINIS,

D. MARTINO CZAPLIC

SZPANOWSKI, Domino in Hluponin,

Et,

D. GEORGIO CZAPLIC

SZPANOWSKI, Domino in Kisielin, Fratribus germanis, Dominis ſuis colendis,

Autor gratiam & pacem precatura DEO Patre noſtro, & Domino noſtro JESU Chriſto.

URIT adverſarios Ieſuitas vehementer, ut ex Smiglecii præfatione, libro, quem hîc refutamus, præfixa, apparet, quòd in hoc almo Poloniæ Regno, hactenus ea conſcientiarum libertas ſarta tecta duret, quâ alia quædam Chriſtiani nominis regna, propriâ culpâ, carent, & propterea mutuis bellis & lanienis, & antea turpiter & crudelirer proſciſſa fuêre, & nunc iſtarum metu perpetuò diſtrahuntur; ideoque nihil non faciunt, ut, pace hac violata, ſurſum deorſum ferantur omnia. Qua quidem in re nec pietatis nec prudentiæ rationem habere videntur. Nam ſi veri eſſent Chriſtiani, non tantùm cum omnibus, qui nomen Domini Ieſu invocant, ſed etiam cum acerrimis ejusdem nominis hoſtibus, pacem, quantum in illis eſt, colere & ſectari tenerentur. Cùm

 præ-

præter pacem & charitatem ſacroſancta Chriſti religio nihil nobis magis commendet, ad eamq; ſectandam graviter nos & jugiter commonefaciat. Si verò ſatis ſaperent, exoſculari hanc pacem, quam tantopere faſtidiunt, deberent, memores jacturæ, quam in aliquot regnis fecerunt, tum bonorum tum ipſius etiam vitæ, Pontificii; quam non feciſſent, ſi ea, quæ apud nos pax viget, illic conſervata fuiſſet. Neq; eſt, quòd diverſas circa Chriſti religionem ſententias, vulnera Reipublicæ appellent. Vulnera quidem Eccleſiæ, proculdubio, ſunt hæreſes & aliæ pernicioſæ opinationes: at Reſpublicas & regna ampliſſima, in quibus diverſitas religionis toleratur, aliquid ex eo, tanquam ex vulneribus, detrimenti capere, inquietorum tantùm vox eſt & murmur vaniſſimum: quin imò optimè ea habere & rectiſsimè florere, ipſa experientia loquitur; & dum iſta effutire non dubitant Ieſuitæ, non advertunt, ſe tacitè eos, qui alibi rerũ potiuntur, & Ieſuitas non tantùm pro hæreticis, ſed etiam hæreſium pertinaciſsimis promotoribus habent, docere, quomodo eos tractare debeant; nempe ut eos, qui vulnera Rebuspublicis infligunt, & lethaliter eas ſauciant. Noſtram verò confeſsionem adeò exoſam eſſe Smiglecio, ut eâ nihil tetriùs eſſe ſtatuat, hactenus nihil miror. Cùm enim multò plures religionis Pontificiæ errores noſtra confeſsio detegat, quàm ulla alia: imò, adverſa quaſi cum ea fronte pugnet in plærisque Chriſtianæ religionis capitibus, vix aliter fieri poſſe videtur, quàm ut ei, qui non ex ſacris literis, ſed Ec-

clesiæ

clesiæ placitis res divinas metitur, quàm maximè displiceat. Non est autem despondendus animus, quicquid fremant adversarii. Vt enim hactenus experti sumus, non paucos, quibus pietas cordi est, sponte sua hanc divinam veritatem, quam nos profitemur, recepisse, & vitâ suâ chariorem habere: sic idem etiam in aliis, qui animi sunt innocui, eventurum, nihil est quod sperare prohibeat; præsertim si, qui eam profitentur, cum vera pietate vitam transigere sategerint. Per hanc enim tandem illi, qui ipsam confessionem aversantur, ad eam amplectendam quasi compellentur. Quam, dum in nobis, qui ei studemus, Smiglecius fictam appellare non dubitat, prodit ingenium suum, sed certè nō ad spiritum Christi accommodatum. Quis enim est tandem omnium, qui, quamdiu externa hominis facta Christi religioni consentanea sunt, fictam pietatem objectare alicui ausit, nisi temerarius, ne quid dicam gravius? Faciant quicquid velint adversarii, nos veritatem cum pietate conjungere, Deo & Christo juvante, nunquam desistemus; & tum pietate, quantum in nobis est, tum ipsa etiam veritate & ejus solida defensione, omnibus adversariis occasionem præbere annitemur, ut istâ de nobis tam sinistrâ sententiâ depositâ, mitiùs & rectiùs tandem de nobis sentire addiscant; quod etiā hoc labore & opere meo effectum, pro mea virili volui. Vobis autem, VIRI GENEROSISSIMI, id dedicatum volui, ut eam, quam jampridem agno-

viſtis, confeſsionem, veriſsimam eſſe in dies magis magisq; perſpiciatis, & in ea non tantùm retinenda, ſed etiam pro virili amplificanda, toti eſſe pergatis. Volui etiam tandem aliquod publicum hujus meæ, quam intus jampridem premo, veſtri obſervantiæ, teſtimonium extare. Valete in Deo quàm diutisſimè, ad nominis ejus gloriam, & Eccleſiæ ornamentum. Racoviæ, Cal: Mar. 1616.



ERRORES ex his duobus Smiglecii libris collecti.

QUIA Catalogis errorum Smiglecium delectari video, viſum eſt, in eorum, qui frontes librorum inſpicere, quàm ipſos libros legere malunt, gratiam, nonnullos etiam huic refutationi noſtræ præfigere: ut omnes agnoſcant, nos ſine ulla numeri affectatione tot errores, quot nobis objicit Smiglecius, objicere poſſe, & meliori, quàm Smiglecium fide in illis objiciendis agere: quippe qui talia Smiglecio objiciamus, quæ ille nunquam negaturus eſt, ſed vera eſſe defendere volet; defendere autem in æternum non poterit.

De DEO.

1 In una numero Dei eſſentia plures eſſe perſonas.
2 Omne quod eſt in Deo, Deum eſſe.
3 Deum immortalem hominem eſſe factum, & mortuum.
4 Probabilem fuiſſe congruentiam & decentiam, ut virgo Deum ſummum pareret.
5 Deum altiſſimum eſſe exinanitum, & humiliatum, & exaltatum.
6 Patrem habere poteſtatem perfectam, nec poſſe tamen alterum Filium generare.
7 Patrem ita ſine Filio nihil poſſe facere, ut Filius ſine Patre.
8 Deum neceſſariò dediſſe omnia Filio, idque ab æterno.
9 Deum non poſſe facere rem a ſe aliquo modo independentem.
10 Sub novo Fœdere præter unum Deum neminem colendum.
11 Deum, & Chriſtum, in natura aſſumta affligi & pati poſſe.

De CHRISTO.

12 In una numero Chriſti perſona eſſe duas naturas.
13 Alteram Chriſti naturam, divinam ſcilicet, eſſe tantùm perſonam.
14 Humanam Chriſti naturam perſonam non eſſe, nec per ſe ſubſiſtere.
15 Chriſtum per ſuam generationem humanam, & naturam humanam & perſonam divinam aſſecutum eſſe.
16 Hominem ex Maria natum eſſe perſonam divinam in humana natura ſubſiſtentem.
17 In verbo, quod eſt Chriſtus, nec humanam naturam eſſe perfectam, nec perſonæ id rationem impletam habere.
18 Chriſtum eſſe eum, ex quo omnia.
19 Chriſtum eſſe unum cum Patre non in hac vel illa re particulari, ſed omnino & universè.
20 Chriſtum ita eſſe ſapientiam Dei, ut ſapientia artificis eſt in artifice.
21 Chriſti ſanctificationem eſſe illius ab æterno generationem.
22 Chriſti miſſionem in mundum eſſe ejus nativitatem.
23 Chriſti exinanitionem, humiliationem, & ſervi ſumtionem, eſſe incarnationem.
24 Chriſtum a conceptione ſua omnia habuiſſe, quæ Deus, & tamen morte ſua eadem eſſe meritum.

25. Angelis

25 Angelis a Christi nativitate datum esse præceptum, ut Christum adorarent.
26 Christum crevisse in sapientia, & tamen perfectum in ea semper fuisse.
27 In Christum Spiritus S. descendit, & in eo mansit, & tamen antea semper fuit Spiritu sancto repletus perfectè.
28 Christum ideo Patrem orasse, quia id in more habuerit.
29 Christum, licet unus Deus cum Patre fuerit, Patri tamen semper detulisse.
30 Christum ignorasse diem judicii, etiamsi persona illius eam sciverit.
31 Christum cum solis Apostolis esse loquutum.
32 Christum panem & vinum sacrificasse, ut Melchisedecus: & Melchisedecum etiam eo ritu sacrificasse.
33 Christi carnem comestam & sanguinem bibitum esse ante Christi mortem.
34 Christum non ex necessitate indigum fuisse consolationis, sed ex nimia charitate.
35 Christum in cruce sacrificium expiatorium perfecisse.
36 Christum bis se sacrificasse.
37 Christum se per manus sacerdotum quotidie sacrificare.
38 Christum seipsum nobis reliquisse in terra sub specie vini & panis.
39 Christum potestate sua uti sanguinem fundendo.
40 Christum etiam cùm se humiliaret, & moreretur, fuisse in forma Dei.
41 Christum semetipsum a morte resuscitasse.
42 Christum in glorioso corpore resurrexisse.
43 Christum proprio corpori dedisse immortalitatem.
44 Sessionem Christi ad dextram Dei, non esse ejus potestatem & divinitatem.
45 Christum potuisse sibi sessionem ad dexteram Dei ante mortem jurè vindicare, abstinuisse autem ab ea justis de causis.
46 Christum nunc esse ministrum Dei: & eodem modo Deo subjectum, quo Reges, & potestatem illius nunc etiam in usu esse dependentem.
47 Christum, licèt omnia in sua potestate habeat, ea tamen a Patre etiam nunc proprié rogare.
48 Christum tunc tantùm interpellare pro nobis, quando peccamus, & hanc interpellationem aliquando cessare, & repeti.
49 Chrisium vivificaturum omnes in corpore & anima.
50 Traditionem Regni Christi Deo, esse traditionem hominum.

De Spiritu Sancto.

51 Spiritum sanctum etiamsi eandem numero naturam habeat, quàm Pater & Filius, non posse tamen nec generare Filium, nec spirare alium Spiritum sanctum.
52 Spiritum sanctum carnem humanam personæ Filii Dei univisse.

De Sanctis.

53 Sanctos nunc vivere, & cultum divinum, suo saltem modo, illis deberi.
54 Sanctos aliquid impetrare, vel etiam dare per se nobis posse.
55 In sanctis potestatem Dei, quâ nunc præditi sint, venerandam.
56 Unâ cum Deo laudem Mariæ virgini & Ignatio (Lojolæ) deberi.
57 Præstantiam virginis Mariæ post Deum esse summam.
58 Mariam esse Reginam cæli.
59 Mariam per Filium suum omnia in cælo & in terra posse.

Reli-

64 Omnes Dii, extra unum Deum, nec ſunt veri Dii, nec falſi.
65 Pontificios in hoſtia ſacramentali carnem & ſanguinem veri Dei & hominis adorare; &, nihil aliud præter Deum verum adorare, cenſendos eſſe.
66 Qui extra unum Deum colitur, ſculptile eſſe.
67 Subordinatum Deum, falſum Deum eſſe.
68 Ita homines ob ſimilitudinem cum Deo vocari Deos, ut homo pictus ob ſimilitudinem formæ externæ homo.
69 Ethnicos ſapienter concluſiſſe, eos, quos Deos eſſe putaverunt, non eſſe ſubordinatos.
70 Eum, qui mortalis eſt, poſſe dare immortalitatem.
71 Corpora glorioſa comedere & bibere, & vulnera habere, ac tangi poſſe.
72 Fideles in futuro ſeculo carnem & ſanguinem habituros.
73 Animas ſine corpore voluptate frui.
74 Cætera etiam legalia ſacrificia, præter anniverſarium, fuiſſe figuram ſacrificii Chriſti: quia omnia in figura illis (Judæis) contingebant. 1. Cor; 10.
75 Comedere carnem Chriſti & bibere ſanguinem illius, eſſe edere panem & bibere vinum in cœna.
76 Per Sacramenta hominibus conferri gratiam.
77 A primævis Chriſtianis (hoc eſt, aliis præter Apoſtolos & eorum ſocios) diſcendam religionem.
78 Scripturam non eſſe propriæ interpretationis, (cùm id de Prophetiis tantùm verum ſit,)
79 Senſu Eccleſiæ intelligendas eſſe ſacras literas.
80 Quicũque Eccleſiam, in quavis re ad religionem pertinente, non audit, publicanum eſſe.
81 Chriſtum promiſiſſe Eccleſiæ perſeverantiam in fide.
82 Chriſtianum verum eſſe poſſe, qui ſit malus.
83 Quemlibet hominem habere ſuum angelum.
84 Judæis ante Chriſti adventum multa de Chriſti divinitate credenda propoſita fuiſſe.
85 *Hodie*, ſignificare æternitatem.
86 Poſse aliquem ſibi ipſi quippiam dare, & a ſeipſo accipere.
87 Perſonam eſſe ſubſiſtentiam ab eſſentia diſtinctam, hoc eſt, modum quendam per ſe ſubſiſtendi.
88 Hunc hominem, qui eſt Socrates, poſſe quoque aliam eſſe perſonam, & aliud ſubſiſtens, a Socrate diſtinctum.
89 Spiritum hominis eſſe idem, quod homo.
90 Idem numero corpus poſſe eſſe in duobus numero locis.
91 Duo diverſa corpora unam numero quantitatem habere poſſe.

INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI.

INDEX

INDEX CAPITUM LIBRI SECUNDI.

REFUTATIO

Duorum Martini Smiglecii JESUITÆ Librorum, quos de erroribus novorum Arianorum inscripsit.

PRÆFATIUNCULA.

JAM tuum, candide & cordate lector, judicium & candorem appello. Smiglecius enim Iesuita, si non aliis parum justis causis, saltem præjudicata opinione, & Ecclesiæ suæ autoritate raptus & quasi fascinatus, non id agere videtur, ut causam suam defendat legitimè, sed ut defensor a responsionis specie animos aliorum perstringat, & variis nos cavillationibus & calumniis opprimat. Quod ex eo, quod subjiciam, ad oculum videre potes. Scripserat ante triennium librum, cum portentoso titulo: Nova monstra novi Arianismi. *In quo variè in nos debacchatur, & in nostram conscientiam & famam etiam involat, non veritate, sed aliis rebus, quarum in Theologia nulla est habenda ratio, fretus. Ad hunc ego directè ita responderam, ut vix aliquid omissum esse videatur. Iam nonnè Smiglecio, si veritatis patrocinium suscipere voluisset, incumbebat, ut ea, quæ antea scripserat, ordine suo defenderet? Smiglecius verò, ac si antea nihil adversus nos scripsisset, vel nos provocasset, de erroribus novorum Arianorum duos libros recèns edidit, quibus iterum novo quodam modo, tum quid ille de nobis & nostra confessione sentiat, tum quid nos objicere illis soleamus, pro libitu suo persequitur: Interim tam multa eorum, quæ tum respondemus, tum objicimus, omittit, ut dimidium laboris in eo mihi ponendum sit, si Smiglecii astutiam detegere, & ea, quæ intacta reliquit, enumerare velim.* Modus Smiglecianæ scriptionis.

Addo etiam nunc, verbositate ita Smiglecium delectari & crebra unius rei, in uno eodemq; folio interdum, repetitione, ut aliud nihil affectasse jure videri possit, quàm ut lectorem obtunderet tantùm. Hoc enim iis, qui a rationibus destituuntur, in more est, ut pertinaciter affirmando id, quod probare nequeunt, fidem se tandem apud eos etiam, qui falsum eos dicere antea sciebant rectissimè, inventuros existiment. Sed apud veritatis amantes nihil proficiet. Smigl: verbosus

Fastum hominis non examino. Is enim tantus est, ut meritò doctis & piis invisus esse possit. Nam qui toties tam turpiter errat, & alios ita calumniatur etiam, ut illud nec defendere queat, nec excusare, quomodo se hominem esse non debet meminisse, nec tantum sibi arrogare, ac si esset novus Apostolus? Sed ita sunt homines adversarii nostri, ut, quod rationibus expugnare nequeunt, cavillationibus oppugnent, & per alienam infamiam suam quærant plæriq; gloriam. Sed jam ad ipsam rem accedo. & fastuosus.

Caput I.

Quatuor causæ, propter quas nos, quos falsò Arianos nominat Smiglecius, veros Christianos dici non posse affirmat, refelluntur.

HIC vide artificium Smiglecianum, quisquis es veritatis amans. Scripserat in priori libro caput primum, cum hoc titulo: *Arianos nullo modo Christianos dici posse,* idque duplici

ratione

ratione docere conatus fuerat. una est, quòd verum Christum non agnoscamus: altera, quòd absurdissima dogmata in Ecclesiam Christi importemus. Responderam ego. 1. Injuriâ nos Arianos appellari, idq; quàm fallax & falsum esset, luculenter docueram. 2. Nos verum Christum negare, nullo modo probatum esse a Smiglecio. 3. Nec nos dogmata absurda ulla in Ecclesiam Christi importasse; nec, etiamsi importassemus, propterea nomine Christianorum privandos esse. Ad hæc plæraque connivet Smiglecius, ut alia taceam, de quibus postea suo loco. Vnde quid de Smiglecio statui debeat, lectori in ipso limine judicandum relinquo. Sed ne nova, quæ confinxit Smiglecius, novum quoddam robur habere videantur, breviter ea examinemus.

Smiglecii stratagemata.

Causa prima est. *Quòd a primævis illis, hoc est, veris Christianis penitus dissentiamus.* At hæc causa impostura est, dum non exprimit, quósnam per primævos Christianos intelligat. Si enim per eos alii intelligantur, quàm Apostoli, ut vult Smiglecius, falsum est, nos teneri absolutè, cum illis consentire. Poterant enim coætanei etiam Apostolorum veritatem non tenere, seducti scilicet ab Antichristis & seductoribus, quorum spiritus tunc sese exerebat, & quorum multi tūc in mundum venerant, teste D. Ioanne. Hinc Smiglecius, animadversa hac sua impostura, pro primævis Christianis, paulò post reponit eos, qui ex ipsis Apostolicæ doctrinæ fontib⁹ fidem veram hauserunt. Sed hæc altera illius impostura est. Non enim necessariò sequitur, ut jam docui, eos, qui sunt primævi Christiani, fidem veram ex fontibus doctrinæ Apostolicæ hausisse. Tam enim errare illi primævi potuerunt, ut posteri: & tam non primævi fidem veram haurire potuerunt & possunt ex fontibus Apostolicæ doctrinæ, quàm primævi. Qua de causa fontes etiam illos Deus, pro summa sua sapientia, extare voluit, ut haberent omnia secula, unde veritatem cœlestem haurirent. Et benè est, quòd Smigl:, cùm Apostolos nominare debuisset, primævos Christianos nominat. Hoc enim tacitè se prodit, quòd non cum Apostolica doctrina ipsius fides consentiat. Soli verò Apostoli sunt, ex quorum doctrina fides salutaris haurienda est, & præter eos nemo alius absolutè. Sic enim D. Ioannes ait: *Si id quod audivistis ab initio, in vobis manserit, vos in Patre & Filio manebitis:* & propterea nos Pontificiæ doctrinæ partem potissimam rejicimus, quia non ex Apostolicæ doctrinæ fontibus, sed humanorum commentorum lacunis sit hausta.

A quo discenda religio.
2. Thes: 2. 7.
1. Ioan: 4. 2.
1. Ioan: 2. 24.

Ita ostensa ex hac parte argumenti Smigleciani falsitate, parum refert, quid ad illud probandum afferat. Quanquam in eo etiam nihil est soli-

est soliditatis. Nec enim ex eo, quòd 318 Episcopi ad condemnandũ Ariũ concurrerunt, apparet, quid alii ante Arium 300 annis de Christi natura divina senserint, sed quid ipse Arius tantùm senserit. Facilè autem fieri potuit, ut, qui tunc extabant & rerum potiebantur, Arius scilicet & Homousiani, diversum sentirent ab illis primis Evangelii confessoribus & Apostolis, & utriq; errarent, licet alii minùs, alii plus. Quæ diversitas sententiarum antea ita tolli non potuit vi & anathemate, dum adhuc brachio humano carebant illi, qui istis modis rem Christianam deinde promoverunt.

Et Arius & Homousiani circa naturam Christi errarûnt.

At, ait Smiglecius, *nemo assignari potest, qui hujus doctrinæ Pontificiæ, si falsa sit, autor fuerit.* Egregia sanè ratio. quia autor nominari non potest alicujus facti, ergo factum accusari non debet. Ita nugari oportet Pontificios, ut suos errores pallient. Sic Miedzibozius & Borcovius, quorum uterque de Ecclesia & missione Ministrorum controversiam cum nostris hactenus sustinet, etiam se gerit. Num omnia scripta extant, quæ per 300 istos annos post Christi ascensionem gesta sunt, & quomodo omnes de Christo senserint? Nonné verò tanti erroris autores viri in Ecclesia illustres esse potuerunt, & per incuriam in hunc errorem incidere, & postea etiam ampliùs eum disseminare? Planè enim credibile est, homines, qui istam de divina Christi natura sententiam ex cogitârunt, perstrictos divina Christi majestate & potestate fuisse, & ita una cum divina exaltatione, quâ Christus pollet, divinam etiam ei naturam atribuisse. Sed præterea an parum est, quod dicit ex Egesippo Eusebius, ecclesiam virginem puram & incorruptam ad mortem usq; Apostolorum mansisse, & tunc statim nudo vertice contra prædicationem veritatis eos, qui antea delitescebant, prædicare conatos esse? Interrogét nunc Egesippum etiam Smiglecius, quare istos autores non nominaverit?

Non necesse est, autores errorum nominari, si constet de erroribus.

Ejusdem momenti & illud est, quod de Ebione & Cerintho, eorumque doctrina, ecclesiæ, quæ tunc erat, doctrinæ contraria, & ab eadem damnata, a scriptoribus Ecclesiasticis dici ait. Hinc enim aliud nihil sequitur, quàm eos, qui Ebionem & Cerinthum damnârunt, aliter sensisse, quàm illos. At an rectè senserint omnino, nullo modo hinc patet. Potuerunt enim errare ut Ebion & Cerinthus, sic etiam illi, qui eos damnârunt, ut certè errârunt, si sacræ Scripturæ & verbum Dei scriptum fidei norma sunt.

Nihilo majus illud est, quod porrò ait Smiglecius, *eam fuisse primævæ ecclesiæ fidem, quam patres illius seculi tenuerunt & scriptis consignârunt.* Nam & in istis patribus multa reperiuntur, quæ eos nobiscum sentientes faciunt in articulo de Christo, & potissimùm de Deo uno,

Patres antiquissimi de Deo aliter senserunt quàm hodie pontificii.

D. Moscor: in refutatione Scargæ priori c. 7. pag. 2.

uno, qui est Pater Christi, ut alibi a nostris demonstratum est. Nec Bellarminus in loco a Smiglecio citato, id ulla ratione negare potuit. Vt ut enim doceat, eosdem Patres, qui nostram sententiam inquibusdam locis expresserunt, alibi aliter locutos fuisse: hinc tamen non apparet, eos id etiam non sensisse, quod alibi diversum dixerunt, sed potiùs dicendum est, eos sibimet ipsis contradicere, quod illis, qui falsa dogmata tuentur, ferè semper accidit, & propterea non admodum illis fidendum esse. Vnde etiam Bellarminus graviter in Origenem invehitur, & blasphemiæ eundem accusat, qui scilicet multa pro nostra sententia militantia scripserit. Et etiamsi omnes tandem, quorum scripta extāt, idem prorsus sensissent, quod Smiglecius de Christi natura divina, num ideo rectè senserunt? Equidem vix aliquid infirmius dici posse persuasum habeo, quantumvis hoc speciosum fortasse homini parum sensato videri possit. Nec enim constat, omnes, qui per ista secula vixerunt, aliquid scripsisse: imò eorum, qui non scripserunt quicquam, infinitus præ illis, qui scripserunt, fuit numerus. Quod etiam Eusebius, qui primus post Apostolos, annis trecentis, historiam Ecclesiasticam conscribere jussu Constantini Magni cœpit, satis evidenter non uno in loco innuit. Iam si omnia ea, quæ non scripta sunt, extarent, procul dubio haberemus, unde colligi posset, quid tunc temporis Christianus populus de Deo, Christo, & aliis articulis Christianæ religionis senserit. Et etiamsi scripsissent aliqui aliquid præter eos, quorum scripta nunc extant, nonne vel interire hominum incuriâ, vel eorundem malitiâ opprimi potuerunt, quod deinde sequentibus seculis factum esse ipsimet scriptores ecclesiastici testantur. Multa enim & ingentia volumina, (ut alios omittam) scripsit Photinus utraque lingua, & post eum Apolinaris, quæ omnia suppressa sunt. Quem tamen Photinum idem, quod nos sentimus, de Christo sensisse, constanter asseritur. Sed & ipsa Patrum istorum scripta satis manifestè indicant, fuisse tunc, qui diversum ab illis sentirent, non tantùm in eo, quod de Ebione & Cerintho narratur, verùm etiam in aliis. Vnde quàm futile sit, quod de perpetua primævæ Ecclesiæ sententia narrat Smiglecius, ad oculum videre est.

In Symbolo Apostolico nulla divinæ naturę Christi mentio.

Opposueram ego huic rei Symbolum Apostolicum. Hoc enim Ecclesiam istam primævam secutum esse, nemo diffiteri potest; in hoc verò nulla est divinæ naturæ mentio. Smiglecius divinam naturam in symbolo etiam contineri ait, *quia Christus in eo Filius Dei unicus & Dominus noster appelletur*. At quanta hic lateat fallacia & falsitas, jam pueri norunt. Filius enim Dei esse is etiam potest unicus, & Dominus noster, qui naturam divinam non habet, si a Deo genitus,

& divina

& divina poteſtate donatus ſit, quod Ieſu Nazareno utrumque contigiſſe concedimus & gaudemus: Imò,ſi hac ratione Chriſtus non ſit Dei filius & Dominus noſter, filium eum Dei & Dominum noſtrum non futurum,dicimus.Non datur enim alia in Deo generatio,ut pote cujus eſſentia nec multiplicari, nec dividi, nec tota communicari poſſit, cùm ſit numero una;& divinam poteſtatem nemo habere poteſt, niſi a Deo illo uno, qui ſolus verus & naturâ Deus eſt. eſſent enim alioquin duo Domini abſolutè pares, quod eſt Ethnicum quid, & tum ſacris literis,tum ſanæ rationi prorſus contrarium,de quo poſtea plura. Iam quòd primi illi fideles ſymbolum illud,quod vocant, Apoſtolicum ab ipſis Apoſtolis didicerint, id nunc nolo pluribus examinare. Nam ad rem nihil facit, imò Smiglecium erroris manifeſtè arguit. Nam ſi Apoſtoli ita tunc ſenſerunt, ut nunc ſentit Smiglecius,cur ita non ſunt locuti,ut appareret,quid ſentirent?Et ſi id,quod in ſymbolo continetur, ſatis eſt ad fidelem conſtituendum, cur tantopere nos inſectatur Smiglecius,qui id ex animo credimus? Verè enim illud dictum eſt: Ad ſalutem æternam ſatis eſſe credere ea, quæ S. ſcriptura dicit,etiamſi quis in modo, quo ea credenda ſunt,ab aliis diſſentiat.

Porrò, cùm ego doceo ex locis ſacrarum literarum,ab ipſis Apoſtolorum temporibus autores fuiſſe errorum in Eccleſia, & autores illos non nomino, vide, qua fronte me Smiglecius autores occultos referre dicat,& quo candore mihi inſultet,qui eos nôrim,qui occulti fuerunt? Nonné enim tacitè id objicit ſ. literis, quod mihi? Hæ enim teſtantur, tempore Apoſtolorum multos fuiſſe ſeductores, & myſterium iniquitatis jam tunc operatum fuiſſe,& tamen neminem nominant,imò occultos eos fuiſſe quodammodo dicunt. Quod verò nulla in ſcriptoribus Eccleſiaſticis iſtorũ fiat mentio, præter paucos,mirum non eſſe,jam antea indicavimus.

Tandem, cùm videret Smiglecius, ſcripta Apoſtolica eſſe conſulenda in hac tota controverſia,& ex illis diſcendum,quid veri ſentire debeant Chriſtiani de Chriſti natura,ita in hoc acquieſcit,ſi probem, ſcripta Apoſtolica, non ſenſu Catholico ſed Ariano intellecta olim fuiſſe,& nunc intelligenda eſſe. Vbi ſe ſorex ſuo prodidit indicio.Nec enim nos poſtulamus unquam, ut ſenſu noſtro ſcripta Apoſtolica intelligantur? Smiglecius verò eſt, qui, niſi id poſtulet, quod eſt longè iniquiſſimum & ineptiſſimum,quod mutiat,habiturus non ſit.Nullius hominis ſenſu dicimus eſſe ſcripta Apoſtolica intelligenda.Hoc enim eſt cum ratione inſanire,ut alibi a noſtris in tractatu de Eccleſia luculenter demonſtratum eſt. Nam ſi ſenſus ſcriptorum A- *Quo ſenſu intelligenda ſcripta Apoſtolica.*

postolicorum ab aliquo homine, hoc est, aliunde quàm ex ipsorum scriptis petendus esset, nonné hac ratione tacitè præferrentur alii homines Apostolis, & eorum doctrina doctrinæ Apostolicæ? Quo vix aliquid ineptius & magis impium cogitari potest. Scripta Apostolica fidei & morum norma sunt una & unica. Quod ad sensum illorum attinet, jam a nobis alibi dictum est, quod in manibus etiam Smiglecii versari non nescimus. Dicimus primùm, bonam & potissimam partem scriptorum Apostolicorum ita esse comparatam, ut ipsa verba sint ipse sensus, & absq; ulla explicatione a quovis rationis non planè experte intelligi possint. Talia autem sunt omnia, quæ ad salutem necessariò pertinent; & si quis ista confiteatur, & secundùm ea vivat, jam salutis æternæ particeps esse potest: Reliqua verò, quæ per se absq; interprete intelligi non possunt, ita sunt comparata, ut absq; sensu vel intelligentia illorum servari aliquis possit, & ita sensu nullius hominis necessariò opus est. Si tamen quis in illis intelligendis proficere velit, quod non potest non esse utilissimum, via expedita & facilis hæc est, ne quicquam admittatur contrarium ei, quod ista clarè scripta, quæ sunt instar principiorum, affirmant. Hoc si observetur, jam scriptura sensum de se suppeditabit ipsa, nec op⁹ erit, sensum vel Catholicum, vel Arianum postulare. Quod quia non intelligit, vel intelligere non vult Smiglecius. videt enim fictitiam Ecclesiæ suæ autoritatem hac ratione evanituram, ideò semper errabit, ut in aliis, sic etiã in hoc, quòd vult sensum scripturæ ab illis peti, qui post Apostolos vixerunt. Hoc enim dum facit, tacitè deserit scripta Apostolica, & traditiones humanas commendat, quasi scilicet firmius id mentibus hominum inhæserit, quod ex Apostolis audiverunt, eo quod in scriptis illorum continetur. Qui modus tractandi res sacras, quàm sit fallax & dolosus, vix dici potest. Et tamen sic evadere necesse est Pontificios, cùm se destitutos a s. literis vident.

Sed ecce aliud argumentum ad colligendam primævæ Ecclesiæ de Christo fidem, sed prioribus simile, stramineum scilicet. *Necesse est*, ait, *in primæva Ecclesia, aut eam fuisse de Christo fidem, quæ divinam illi naturam assignat, aut eam, quæ tollit. Hæc verò cum esse non potuerit, consequens est illam fuiße.* Iam si dicam, eam fuisse quæ tollit, quomodo probat contrarium ejus Smiglecius? *ex scripturis*, ait, *certum est, fidem Christi perpetuò durare debuisse. Alioquin Christi regnum non esset æternum, & dæmon Christo esset superior.* Ineptissima sanè probatio. Nam contra omnem naturam religionis est, promitti in ea constantiam. Cùm religio & fides semper sit & esse debeat spontanea, alioquin fides non futura. Nec ulla scriptura id affirmat uspiam. Nã quod

Nulla est promissio perseverantiæ in religione.

ex Ma-

ex Malachia & Psalmo 2. affert Smiglecius, id nihil, huc facit. Possunt enim ista loca intelligi (ut alia his similia per plurima) non de effectu sed de Dei voluntate: possunt etiam dari gentes in hæreditatē Christo, etiamsi ipsi non obediant. Extenditur enim Christi regnum in eos etiam, qui ipsi sunt immorigeri. Per quod illud etiam solutum est, quod de duratione regni Christi in æternum objiciebatur. Dæmon verò Christo superior esset, & portæ inferorum adversus eum prævalerent, si Dæmon vel portæ inferorum fideles (quatenus fideles sunt) seducere & perdere possent: Sed si homines sint negligentes & desides, & diabolo sese dedant sponte sua, quid mirum est, eos ab illo superari?

At ait iterum Smiglecius adversus hæc, fieri hoc non potuisse, *quia nulla res vel hominum malitia divinas promissiones evacuare possit?* Sed non probavit Smiglecius, nec unquam probare poterit, extare aliquam promissionem factam Christo (ut Smiglecius ineptissimè loquitur) quòd non sit futura defectio a fide. Promisit Deus in fide non deficientibus victoriam de morte & vitam æternam: at nemini promisit, eum in fide non defecturum. Et vana est ista consolatio, Deum non deserturum Christum & ei factas promissiones ob ulla peccata hominum, quâ se & suos seducit, seductus Smiglecius. Nam ut omnibus liberum est credere, qui antea fuerunt infideles, cùm eis datur ad credendum occasio: ita vicissim omnibus liberum est, postquam semel crediderint, a fide deficere, nec quenquam Deus, ut in fide perseveret, cogit, quantumvis alios plus olim juverit, quàm nunc juvet.

Ineptire pergit Smiglecius. Nam cùm ego dico, non sequi ex eo, quòd sententia de Christi natura erronea obtinuerit, Christum illis non adfuisse, vel fidem in Christum interiisse, cùm multi esse potuerint, quibus Christus perpetuò adfuerit, quia scilicet illi obedierint; & addo, sententiam de Christi natura divina non tollere fidem in Christum, sed tantùm obscurare, respondet ille primùm, *nullis me argumentis probare posse, fuisse aliquos in ecclesia, qui Christi divinam naturam negarent, vel potiùs eam non confiterentur.* Quasi scilicet hoc nunc agatur, & non potiùs concesso eo, quòd fuerint, qui illam asserent, negetur tamen, Christum illis propterea non adfuisse. Deinde ait, *si fides Christi ad paucos redigatur, Christi regnum etiam interire.* Sed nec illud nunc quæritur, an pauci vel multi fuerint, qui fidem Christi sectati sint, sed concesso eo, quòd vel plurimi vel etiam plæriq; divinam Christi naturam confessi sint, negatur propterea fidem in Christum interiisse. Nec enim regnum Christi cum fide in eum necessariò conjunctum est: ut etiam regnum ipsius Dei. Tam enim

Ad rem non respondet Smigl.

Deus &

Deus & Christus iis imperat, qui ipsi non obediunt, quàm illis, qui ei sunt rebelles. Devoravi molestiam non minimam in denuo refutanda hac mera verbositate Smiglecii. Nam si quis relegerit primum meæ responsionis prioris caput, fatebitur, omnia ea, quæ hîc dicuntur a Smiglecio, antea dicta fuisse, & plura etiam, & a nobis sufficienter esse refutata. Si sciret Smiglecius, licere suis legere, quæ scribit, procul dubio eum istius vanæ garrulitatis puderet: jam quia nemini, quæ ipse scribit, legere licet, præter eos, quibus ab illis permittitur, hoc est, mancipiis, & qui in eorum verba jurârunt, quicquid in buccam venit, iterum atque iterum scribere non erubescit, ut fama sit, eum adversario rescripsisse.

Secunda causa, cur Christiani non simus, est, *quia Christi essentiam negemus*. Hoc verò quomodo probat Smiglecius. Quia, inquit, *Christi divinam naturam negamus, sine qua Christus non est Christus*. At iterũ negamus, Christum sine divina essentia non esse Christũ. Probat ergo posterius Smiglecius, quod dixit: *Quia talem Christum nobis Apostoli prædicârint, qui Deus esset & homo, & talem mundus universus crediderit, & semper crediturus sit.* Sed prius ambiguũ est, alterum vel falsum vel infirmum. Ambiguitas prioris ex eo constat, quòd possit aliquis Deus & homo prædicari, non propter essentiam divinam & humanam, sed ob essentiam humanam, & divinam autoritatem vel potentiam. Vocem enim *Deus* non naturæ esse sed muneris vel potestatis abunde testantur s. literæ, dum eos omnes Deos appellant, quos Deus divina potestate præditos esse voluit. Et proinde non dicendum est, Christum ab Apostolis prædicari Deum & hominem, sed hominem Iesum prædicari etiam Deum propter divinam potestatem. Falsitas alterius jam antea ostensa est: Infirmitas verò inde patet, quod non ad mundi universi confessionem, sed ad scriptorum Apostolicorum normam revocanda sit fides in Christum.

Quomodo aliquis Deus & homo dici possit.

Quæ deinceps addit Smiglecius, negata parte hominis essentiali hominem negari, & proinde etiam negatâ naturâ Christi divinâ, Christi essentiam absolutè negari, ea tam diu falsa erunt, quamdiu non probabitur, aliam in Christo naturam esse præter humanam. Quanquam inepta est conclusio Smiglecii. Nam etiamsi detur Christi natura divina, tamen essentiam Christi absolutè negari negatâ naturâ divinâ, dici nullo modo potest, nisi doceatur, Christum essentiam nullam habiturum, si Deus naturâ non sit, hoc est, nisi negetur, Christum verum & perfectum hominem & humanam personam fuisse. Qui scopulus iste est, in quem semper impingat necesse est Smiglecius, & quod solum Smiglecii opinionem fabulosam esse suffici-

enter

enter docere potest. Tam enim impossibile est eum esse hominem, qui non sit humana persona, quàm impossibile est, Deum naturâ esse, qui non sit persona divina.

Sed ait audaculus Smiglecius, *nos non credere, Christum esse illum hominem de Maria natum, sed alium quempiam*. Cur vero? *Ille enim homo*, ait, *est idem qui Deus, & divina persona in humana natura subsistens.* O nugas putidas & absurdas. Est quidem homo ille natus ex virgine Maria Deus, sed non naturâ: divinam verò personam esse hominem in humana natura subsistentem, affirmatio est exotica, quæ nec sacrarum literarum nec sanæ rationis autoritate fulciri potest, & proinde nunc simpliciter a nobis rejicitur. Infrà autem suo loco rationibus etiam docebitur, quàm sit ab omni verisimilitudine aliena.

Gnaviter autem repetendo semel dicta & funditus prostrata, officium impostoris facit Smiglecius. *Christum*, ait, *nos divino honore non colere, quia naturam ei divinam negamus, ob quam solam alicui debeatur honos. Et si ob divinitatem datam honos divinus alicui debeatur, deberi etiam eum angelis & hominibus, qui Dii appellantur.* Hoc argumentum decies saltem in priori responsione propositum fuerat, & ad id toties responsum: infrà etiam plus quàm decies ex professo tractatur, & tamen hîc idem asscribitur. Falsum est Deo, non nisi ratione divinæ naturæ cultum divinum deberi: nec id vel antea vel nunc probavit Smiglecius, quantumvis verum sit, eum illi ob divinam etiam naturam tribui. Tribuitur enim tum ob divinam potestatem, tum ob voluntatem, quâ nos potest & vult servare. Accedentem enim ad Deum, hoc est, qui vult Deum colere, oportet credere, quòd sit, & quòd sit remunerator eorum qui ipsum quærunt. Hanc divinam potentiam & voluntatem servandi nos quia Christus habet, jure illi debetur cultus divinus: Hanc quia nec Angeli nec homines habent, ideo cultus eis divinus non debetur. Etiamsi enim (ut Apostolus loquitur) sint qui Dii dicantur in cælo & in terra, ut sunt multi Dii & multi Domini, tamen nobis (Christianis) unus est Deus, & unus Dominus Iesus Christus. Audin', agnoscendos esse pro diis & Dominis, quos Deus tales in cælo & in terra constituit: sed cultum divinum non debemus cuiquam, præterquàm Deo Patri, & Iesu Christo.

Causæ cultus divini.

Heb: 11. 6.

1. Cor: 8. 6.

Vnde constat, quòd, dum duplici ratione nos in Christo colendo peccare ait Smiglecius, tum quòd infinito honore, qui ei ob divinam naturam debetur, ipsum spoliemus; tum quòd ob fictam divinitatem ei honorem tribuamus, duplici nos ratione ipsemet cavilletur & calumnietur. Nec enim Christum ulla re spoliamus: sed, quod ipsi per ignorantiam tribuit cum suis Smiglecius, id ei non deberi

Data divinitas, vera etiã est divinitas.

docemus: nec ob fictam divinitatem & honorem tribuimus. Licet enim data sit Christo divinitas, tamen non nisi per summum scelus ficta dici potest. Ergo ficta est angelorum & hominum potestas & divinitas. Si tale quid ego dicerem, haberet Smiglecius unde aliquot saltem suo more, deduceret errores & blasphemias: At cùm ita blasphemat Smiglecius, veritatis divinæ & gloriæ Christi assertorem se esse prædicat, scilicet. *Similitudo rei, ait, nunquam est res ipsa.* Cur verò fraude utitur & fallacia? Fraus est, quòd semel jungit cum similitudine participationem, & iterum, omissa participatione, solam ponit similitudinis vocem. Num participatio divinitatis ficta est divinitas? Ergo etiam ficta est divinitas, quam Christi naturæ humanæ concessam esse ait Smiglecius? Nam & illa participatione divina est. Fallacia est, dum voce similitudinis ita utitur, ut præter externam formam nihil significet. Externa enim forma tantùm, nunquam est res ipsa, ut homo pictus nunquam est verè homo: cùm tamen certum sit, similitudinem etiam dari alio modo, quæ scilicet internum aliquid significet. Vt cùm de fidelibus dicitur, eos similes futuros Deo. Hoc enim ita accipiendum esse, quòd naturæ etiam divinæ participes futuri sint, sacræ testantur literæ. Quod si de Christi populo jure dici potest, quid illud de Christo ipso dici posse dubitabimus, eum scilicet ita Deo similem esse, vel talem cum Deo similitudinem habere, quæ ipsius Dei naturæ, & naturalium ejus attributorum participationem respiciat? Cujus rei plena sunt N. Fœderis scripta, ut mirum sit, quomodo non puduerit Smiglecium dicere, nos aliam Christo *a nobis confictam* divinitatem tribuere.

1. Ioan: 3. 2.

2. Petr: 1. 4.

Fucum esse ait, *quòd dico, Christum non pari omnino cum Deo honore coli,* sed tamen tali, qui sit ejusdem generis cum divino. Cur verò? *Etenim*, ait, *si divinitas non sit ejusdem generis in utrisq;, quomodo potest esse ejusdem generis cultus?* Sed divinitas in Christo & Deo ejusdem est generis, licet in Deo sit naturalis, in Christo participata. Imò una quodammodo dici potest divinitas Christi & Dei. Nec enim alia potestate Christus populum suum servat, quàm Dei, quam potestatem ei ad tempus Deus ita concessit, ut ipsemet neminem judicet.

Divinitas Dei & Christi eadem suo modo.

Delirus autem est Smiglecius, qui ex Socino docere velit, nos Christianos non esse, quia scilicet dicat Socinus, eum non esse Christianum, qui Christo honorem divinum non tribuat. Ergo Socinus sensit, Christo deberi talem honorem divinum, qualem ei tribuit Smiglecius? Cur igitur eum non semel impium & hæreticum appellat? Si verò talem honorem divinum Socinus vult tribui Christo, qualem ipsemet, dum in vivis esset, Christo tribuebat, & nos nunc ei tribui-

Qui Christo honorem divinum non tribuunt, non sunt Christiani.

tribuimus quomodo verba Socini huc adducere non puduit Smiglecium? Idem autē nos dicimus, quod Socinus, prestare scilicet Trinitariū esse, quàm talem Arianum, qui honorem, Christo divinum non tribuat, ejus scilicet generis, qui ob datam divinitatem alicui debetur. Et hinc ob solum dogma de essentia Christi divina neminem a Christi ecclesia arcendum esse statuimus, nec etiam a nostris cœtibus rejicimus: Quin imò tales & olim in cœtu nostro fuerunt, & nunc esse possunt, qui credant divinam Christi naturam, dummodo ei obediant, & ita fidem suam in eum probent, de quo paulò pòst.

Tertia causa, cur pro Christianis non simus habendi est, *quòd cum Ebione & Cerintho ab Apostolis hæresis simus damnati*. Quæ ratio Smiglecii tanta est nugatio, ut vix major in hoc ipsius scripto reperiatur. Primùm enim prorsus incertum est, an adversus istos quicquam scripserit D. Ioannes. Porrò si conferantur errores illorum cum iis, quæ Ioannes scribit, tantùm non contrarium apparebit, nisi fortè Smiglecius D. Ioannem ex se fingat, qui id scilicet hominibus affinxerit. quod ipsimet non dicebāt, sed quod, nescio per quam coactam imò futilem consequentiam ex dogmatibus illorum extorqueri posse videbatur. Ioannes eos tantum persequitur, qui negabant, Iesum esse Christum. At hoc nunquam de Ebione & Cerintho legitur. Ebion enim tantùm negabat, Iesum ex virgine natum: legis Ceremonias Evangelio miscebat: Solo Evangelio Matthæi, quia Hebræum esset, utebatur, Paulum tanquam Apostatam legis rejiciens &c. Cerinthus verò simpliciter etiam Iesum ex Iosepho & virgine natum dicebat, & plus potuisse justitiâ & prudentiâ & sapientiâ præ omnibus, & post baptismum descendisse in eum Christum, ab ea principalitate, quæ est super omnia, figurâ columbæ, & tunc annuntiasse incognitum Patrem, & virtutes perfecisse, in fine autem revolasse Christum de Iesu, & Iesum passum esse, resurrexisse: Christum autem impassibilem perseverasse, existentem spiritualem. Quæ licet plæraque sint valdè erronea & absurda: non tamen pro negatione ejus, quòd Iesus sit Christus, jure haberi possunt. Nam si quis cum istis quantumvis portentosis opinationibus, Iesum pro rege suo, qui nunc in cœlis regnat, agnoscat, & ei obediat, procul dubio servari posset. Is enim negat Iesum esse Christum, qui negat, Iesum nunc regem esse, & divina potestate præditum.

Cur non scripserit Ioā: adversus Eb: & Cer.

Iren: lib: 3. c. 28. Euseb: lib: 6. c. 16.

Iren: lib: 1. c. 25.

Quos verò præter hunc unicum errorem duos alios enumerat Smiglecius, ii commenta ipsius sunt. Secundus enim, quòd scilicet solverint Iesum, quia id in græco codice prorsus non habetur, nec a Syro interprete agnoscitur, idcirco, quæ hîc de ista solutione ad nau-

leam usq; differit Smiglecius,pro magna nugatione jure censeri possunt. Tertius verò falsa scripturæ interpretatione nititur,quod scilicet negaverint Iesum Christum in carne venisse. Non enim spiritus is, quem Antichristi spiritum Ioannes esse asserit, negabat, Iesum Christum in carnem venisse, sed ideò quia in carne venisset Iesus, Christum eum esse negabat. Nec est in Græco talis vox, quæ per *in carnem venisse* converti possit, quasi scilicet vox ista prædicati locum habeat,sed vox ista ἐληλυθότα, quæ converti debet, qui venit,& adjunctum est subiecti, nempe Iesu, prædicatum autem est,Christum, ita ut hîc idem dicatur, quod ante c. 2. v. 22. de Antichristo dictum fuerat. *Quis est mendax,nisi qui negat,quòd Iesus est Christus*,addito tantùm ad subjectum eo, quod causa erat istis seductoribus, cur negarent Iesum esse Christum,quia scilicet in carne venisset. Videat jam Smiglecius,qualis sit Theologus,& literarum sacrarum interpres, & paulò magis sobriè de se sentire discat.

Quinam fuerit Antichristi spiritus.

Sed præterea, si ista tria negârunt Ebion & Cerinthus, quid hoc ad nos? qui nec ea, quæ historici Ecclesiastici de istis hominibus recensent,vel per speciem confitemur,nec ullo modo,Iesum esseChristum,negare jure dici possumus. Credimus enim Iesum & neminem alium esse Christum,hoc est,regem populi divini.Nugatorias autem & calumniosas Smiglecii affanias, quibus nos id negare, docere nititur, magno animo contemnimus: Imò si jure nostro agere velimus, docere possumus, Smiglecium cum suis eos esse, qui licet non disertè & expresse, tacitè tamen, & vi confessionis suæ verè negant, Iesum,qui in carne venit,esse Christũ. Iesus enim,qui in carne,hoc est, cum carne,vel carne circumdatus, officium suum objit,nemo est alius, præter & ante eum,qui ex virgine Maria natus fuit. Hic enim,ut caro fuit, sic etiam in carne, hoc est, infirmitate circumdatus tunc, cùmEvangelium docuit,venit.Hunc verò,& non alium ante vel prẹter eum,non agnoscit esse nostrum regem & servatorem Smiglecius. Credit enim ante Iesum natum ex virgine Maria jam extitisse personam filii Dei; & hunc filium Dei humanam tantùm naturam assumsisse fabulatur,quæ nisi cum persona illa filii Dei conjuncta esset unione hypostatica, non posse eam pro Servatore nostro agnosci contendit; & Iesus ille Nazarenus, natus ex virgine Maria propter istam miram(si Deo placet) unionem demum filius Dei non est revera,sed tantùm censetur. Vnde constat, reliquias spiritus Antichristi,vel potius ipsum Antichristi spiritum verborum phaleris ornatum & tectũ latere in confessione Smiglecii.

Quomodo negent Pontificii Iesum esse Christum.

Multa quæ hîc dicta sunt a Smiglecio,non exagito. Extra oleas enim

enim vagatur prorſus, & in ſcripturis explicandis vix aliquid dicere poteſt, quod non ſit valdè abſurdum & ridiculum. Hoc unum nunc attingo: *Venire in carne*, ait, *eſſe fieri carnem*. Hoc quid abſurdius? Nam eum, qui in carne venit, jam carnem eſſe, antequam in eam veniat, neceſſe eſt. cùm venire ſit actio: actiones autem ſint ſuppoſitorum. Is verò, qui caro fit, caro antea eſſe nullo modo potuit. Illud etiam non omittendum putavi, quòd nos Ebione & Cerintho deteriores eſſe affirmat. Quia ſcilicet illi naturam Chriſti divinam non negarēt. Sed duplex eſt Smiglecii lapſus, ne quid dicam gravius. Primùm enim non docet, Ebionem & Cerinthum naturam Chriſti divinam agnoviſſe, qualem agnoſcit ipſe cum ſuis. Nam ſi hoc crediſſent, quomodo damnari a Ioanne potuiſſent? Cùm, ex mente Smiglecii, credere divinam Chriſti eſſentiam, ſit credere Ieſum eſſe Chriſtum? Firmum igitur manet, nos ſolos, alto Dei conſilio, hodie confiteri Ieſum (eſſe) Chriſtum, qui in carne venit, & proinde (quoad confeſſionem) ſolos eſſe veros Chriſtianos: Omnes autem alios Chriſtianos, qui non confitentur Ieſum eſſe Chriſtum, qui in carne venit, ſed alium ante & præter eum, licet propterea Chriſtianorum nomine privari non poſſint, tamen id ſectari, quod ſpiritus Antichriſti portio quædam eſt vel reliquiæ.

Quid ſit in carne venire, jam ante explicavimus: explicationem verò Smiglecii, quia non tantum inepta eſt, ſed omni probatione caret, meritò reijcimus. In carne venire, eſt cum carne venire, ut etiam in aqua & ſanguine venire, eſt cum aqua & ſanguine venire. Cum carne autem venire, eſt circumdatum afflictionibus venire. Hæc enim vocis carnis inter alias ſignificatio eſt. Hinc etiam dierum carnis Chriſti diſertè fit mentio. Venire deniq; (in carne) eſt, eſt munus obire & mundo ſeſe patefacere abſq; mundana gloria. Sic enim vox veniendi alibi etiam de Chriſto accipitur, ſive ſola ſive cum vocibus in mundum, ut tempus, non quo Chriſtus natus, ſed quo munus ſuū Propheti cum agrreſſus eſt, exprimatur, ut paulò antè ex eodem Ioanne docuimus. Certè enim Chriſtus, cùm natus fuit, non venit cum aqua & ſanguine, quocunq; tandem modo iſtud accipias, ſed tunc cùm munus ſuum obiit.

1. Ioan: 5. 6.

Heb: 5. 6.

1. Ioh: 5. 6.
Ioh: 1. 9.

Quartam cauſam exponere hîc Smiglecius neglexit, cur non ſimus Chriſtiani, quæ eſt, quòd ea de Chriſto & Deo ſentiamus, quæ Chriſtiano homine prorſus indigna ſunt, differens ſcilicet illud in ſequentia, quæ ſcribit. Sed iterum dupliciter eum impingere dicimus. Nam nec is, qui in quibuſdam de Deo & Chriſto errat, protinus Chriſtiano titulo privandus eſt, de quo in ſequenti capite: nec nos ii ſu-

mus, qui aliquid homine Christiano indignum de Christo sentiam⁹, ut jam ex responsione brevi ad errores a Smiglecio enumeratos patet, & deinceps ampliùs patebit. Smiglecius is est, qui, cùm graviter & multipliciter cum sua Ecclesia erret, alios, qui ei aduersantur, errare opinatur. Asscribam hîc quædam ex primo capite responsionis meæ, ad quæ nihil respondit Smiglecius, ut agnoscas hominis integritatem & fidem.

1. Cur non defendit miraculum istud, quod in eo esse dicebat, si totus mundus sine divino testimonio credidisset divinam Christi essentiam? Hoc enim ego (ut alia omittam) ideo fieri potuisse docueram, quia Deus homines gravissimè punire voluerit, & quia Tyrannis inter homines grassata fuerit.

2. Cur non defendit, quod dixerat, decretum Apostoli esse, ne quis propriam in scripturis interpretationem sequatur. Hoc enim ego de solis Prophetiis intelligendum esse docueram, & id iterum nunc affirmo.

3. Cur non defendit, quòd nos similes Ethnicis fecerat, qui colimus cum Deo Iesum Christum? Docueram enim, nos ea in re sequi expressam Dei voluntatem: Ethnicos verò sua deliria. Sed, his ita indicatis, pergo ad alia.

Caput II.

Argumenta, quibus docetur Pontificios non esse Christianos, & quæ tria gravia absurda censet Smiglecius, explicantur & defenduntur.

Nimis tardè primùm me opus hoc aggredi ait Smiglecius. *Pontificios enim semper habitos fuisse pro Christianis: Arianos verò ab Ecclesia damnatos, & Socinum Trinitarios pro Christianis agnoscere veris, licet non bonis.* Sed primùm potuerunt hoc opus ante me alii etiam aggredi, & quidem ante multa secula: Et quos Ecclesia Homousianorum damnavit, Arianos, ii vicissim eandem condemnârunt. Deinde Pontificios non nego esse Christianos unquam, sed *veros* Christianos. Possunt autem esse titulotenus Christiani, qui
Matt. 7.21. & seq. tamen Christi non sunt, teste ipso Christo. Præterea non omnia mea argumenta directè id probant, quod me probare velle ait Smiglecius, sed cum hypothesi, si vera sint illa, quæ Smiglecius nobis objicit. Quia verò nonnulla illorum vera esse pernego, hinc colligere debuit Smiglecius, me infirmitatem ipsius argumentorum ostendere hac ratione

ratione tantùm voluiſſe. Atq; hinc etiam reſponſio patet ad id,quod ex Socino citat. Notandum enim eſt,Socinum Trinitarios pro Chriſtianis habere, nõ Pontificios, vel Pontificios,quatenus tantùm Trinitarii ſunt, non quatenus ſunt Idololatræ. Ineptia autem iſta digito monſtrari digna eſt: Verum eſſe Chriſtianum, licet non ſit bonus. Hæc ſcilicet Theologiæ Pontificiæ ſunt myſteria. Quaſi verò,qui nõ ſit bonus Chriſtianus, hoc ipſo non deſinat eſſe verus Chriſtianus. Chriſtianiſmus enim vel regnum Dei non in ſcientia, ſed in virtute & ſanctitate conſiſtit: Et ut fides nulla ibi eſt, ubi non eſt pietas, ita nec verus Chriſtianiſmus abſq; pietate conſiſtit.

Nemo ver⁹ Chriſtianus, qui non ſit bonus.

Audiamus autem, quid ad argumenta noſtra dicat Smigſecius. Argumentum primum eſt.Pontificii propriam Chriſti eſſentiam negant. Quia negant humanam Chriſti eſſentiam, quam eum habere, quia homo ſit,neceſſe eſt. Negant autem,quia perſonam humanam in Chriſto negant.Reſponſio Smiglecii eſt. *Pontificios noſſe,perſonam a natura diſtinguere, & docere,aliam eſſe rationem perſonæ, aliam naturæ*, & iterum ait: *Ineptè inferri, Pontificios eſſentiam Chriſti humanam negare, eò quod perſonam humanam negent. Nam uti agnoſcunt perſonam divinam in Chriſto, ita naturam humanam in perſona divina collocatam aſtruunt.* Sed nihil prorſus reſpondit Smiglecius.Non probavit enim vel eſſentiam hominis ſine perſona humana conſiſtere poſſe; vel Pontificos non negare humanam Chriſti perſouam. Vnde apparet, quanta ſit hujus argumenti vis, quod tantus ſophiſta attingere non eſt auſus.

Argumentum nõ ſolvit Smiglecius.

Argumentum noſtrum ſecundum eſt: Pontificii divino honore colunt multa præter Deum. Ergo non ſunt veri Chriſtiani. Colunt autem hoſtiam ſacramentalem, & Mariam reginam cœli appellant. Reſponſio Smiglecii eſt. *Pontificios in hoſtia ſacramentali nihil præter Deum verum adorare. Quia non carnem ut carnem, ſed ut Dei carnem & Deo unitam adorant.* Sed hæc ſunt placita tantùm Smiglecii, duplici de cauſa rejicienda. Nam carnem Dei eſſe nunquam propari poteſt, & per ſe horrenda eſt blaſphemia. Et carnem Dei in hoſtia adeſſe, multò magis abſurdum & blaſphemum conſendum eſt.

Hoſtia ſacramentalis,non eſt adoranda,

De Maria reſpondet, *non eſſe inconveniens, eam reginam cœli appellari,quia filius ejus Rex cœli ſit.* Ergo,quia Chriſtum peperit,Maria, regina cœli cenſenda eſt? O Idololatriâ excœcatas mentes.Fides Mariæ in Chriſto collocata, non reginam ſed participem cœli eam ſuo tempore, quo omnes fideles reſuſcitabuntur, redditura eſt. Auxit autem Idololatriam ſuam Smiglecius, dum ait, *omnia Mariam per filium ſuum poſſe*, ut Paulus ait,ſe omnia in Chriſto potuiſſe. Paulus enim

Nec virgo Maria;

nim hoc dicebat vivens: Maria autem mortua eſt. Paulus dicebat, ſe ipſum poſſe præſtare omnia, quæ ipſi erant præcepta vel incumbebant: Smiglecius Mariam omnia, quæ velit, efficere & aliis etiam dare poſſe ſomniat.

Inſcitiam meam appellat, quòd dixerim, Iſraëlitas adorando vitulum, non credidiſſe, ſe verum Deum adorare, adductis verbis Exod: 32. 4. *Hi ſunt Dii tui, qui eduxerunt te de Ægypto.* Sed hæc ipſa verba pro me militant. Sunt enim verba Aaronis, quem ita excæcatum fuiſſe, ut crederet, vitulum illum eſſe Deum Iſraelis, prorſus incredibile eſt, & cum verbis ejusdem Aaronis non conſentit, quæ mox adduntur v. 5. *Cras erit ſolennitas Iehovæ.* Reſtat igitur eos ſenſiſſe, ſe adorando vitulum, quem vitulum eſſe & non Deum credebant, Deo vero honorem tribuere, ut etiam hodie Pontificii, adorando & invocando Mariam & alios ſanctos, quos homines & non Deum eſſe credunt, ſentiunt, ſe Deo honorem tribuere, quæ vera eſt & deploranda Idololatria.

Tertium argumentum eſt: Pontificii Chriſto honorem divinum non tribuunt. Ratio eſt, quia perſonam humanam in Chriſto non agnoſcunt, qui Chriſtus nemo alius niſi homo eſt, teſte ipſo Smiglecio. Ergo non ſunt veri Chriſtiani Reſponſio Smiglecii eſt. *Verum hominem non a perſona ſed a natura dicendum eſſe, & quia natura humana Chriſti divinæ perſonæ communicata ſit, verè eam denominari hominem.*

Homo non datur ſine ſuppoſito.

Sed imponit lectori Smiglecius. Doceat hominem vel naturam hominis integram dari ſine perſona vel ſuppoſito. Tam enim natura hominis ſine perſona humana eſſe poteſt, ut natura Dei ſine perſona divinæ, vel, ſi illud docere nequeat, agnoſcat ſententiæ ſuæ ſummam abſurditatem, &, ex ſua ſententia, ſe non eſſe Chriſtianum. Nec dicat, id ad majorem hominis dignitatem pertinere, cùm pro humana, divina perſona ſubſtituitur, quod antea etiam dixerat. Nam ſi homo ſine perſona non eſt, quomodo conditio ejus præſtantior eſſe poteſt vel non? Notent, quibus cordi eſt veritas, quomodo hic hæreant omnes Trinitarii, dum docere non poſſunt, quomodo Chriſtus homo verus ſit, ſi quidem humana perſona non ſit: Et tamen, qui hominem verum Ieſum eſſe negat, is Chriſtum negari jure dici poteſt.

Quartum argumentum eſt. Pontificios multa abſurda credere. Credunt enim unam numero eſſentiam in tribus perſonis exiſtere, Deum immortalem hominem factum & mortuum eſſe, panem in corpus Chriſti ſubſtantiari &c. Ergo ex ſententia Smiglecii non eſſe Chriſtianos. Reſponſio Smiglecii eſt. *Univerſum mundum Chriſtianum ea ſemper credidiſſe. Abſurda videri iſta rudibus ac ſtipitibus & truncis,*

Reſponſio Smiglecii infirmiſſima.

truncis, qui res subtiliùs non expendunt: At sapientibus & doctis verissima semper visa fuisse. Ad quæ ego. 1. Vniversus mundus Christo adversabatur: & tamen Christi religio erat ipsa veritas. 2. Vniversus orbis Christianus non semper ita credidit: Nam ab initio semper & postea per multa secula plurimi semper fuerunt, qui huic sententiæ contrarium secuti sunt, ut suprà ostendimus. 3. Pauci ab initio sapientes secundùm carnem fuerunt in Christi Ecclesia, adeoque ex mente Smiglecii, stipites & trunci. Quomodo igitur ista mysteria capere vel credere potuerunt, quæ nec in scriptura extant expressa, nec ex ea deduci ullo modo possunt, & vix a millesimo hodie intelliguntur? 4. Sapientes inter Pontificios ista mysteria expendere prohibentur, Quomodo igitur constat, eos verè ea credere? Nulla est enim fides, ubi non est Intellectus. 5. Non soli deniq; Trinitarii sapientes sunt & docti, sed & aliis extra illos sapientiæ aliquid & eruditionis relictum est: Hi verò docent, ista omnia esse ut s. literis, sic etiam sanæ rationi ex diametro repugnantia.

Sed jam tria dogmata mea portentosa exagitat Smiglecius. Ad quæ quantum satis est, respondi in examinatione errorum. Nũc hæc pauca addo. Primum, *Christum non omnium providentiam habere*, non meum dogma est, sed cavillatio Smiglecii. Agnosco enim, Christum, ut omnium est rex & Dominus, ita omnium etiam providentiam habere suo modo, quatenus & olim, cùm in mundo degeret, omnium, ad quos missus erat, salutem procuravit, & nunc omnium, quibus veritatem suam revelat, salutem procurat, Quod verò nego, illud est, quòd scilicet re ipsa & effectivè providentia illa & cura Christi non omnibus competat. Conjungo enim disertè in responsione mea cum ista providentia, promissa etiam divina. Vt verò hæc, licet omnibus offerantur, tamen non ad omnes pertinere dici possunt propriè. nemini enim dabuntur nisi obedienti: ita illa etiam providentia non ad omnes propriè spectat, ut scilicet effectus illius in eis sese exerat. Christus enim corporis sui servator est. Itaq; discursum illum de providentia Dei simpliciter accepta, dono Smiglecio, & eundem moneo, ne affingendo innocentibus aliquid, traducere illos conetur.

Quatenus Christi providẽtia ad omnes pertineat.

Ad alterum etiam, *Christum non solùm permittere, sed etiam procurare posse, ut homines in gravissimos errores ruant*, responsum habes in eadem refutatione. Absurdum est dicere, Christũ simpliciter procurare, ut homines, vel etiam mali homines, quibus nondum Christus innotuerat, in errores ruant, quod Smiglecius aliquo modo ostendit: Sed nihil absurdi in eo est, si dicatur, Christum procurare, ut

Quatenus Christus procuret, ut homines mali in errores ruant.

ri,qui sunt divinæ veritatis contemtores suâ culpâ, & resipiscere nescii,divina ultione eos prosequente,fiant deteriores.

Ad tertium, *cum fide de Deo & Christo falsa, dummodo quis rectè vivat, posse Deo placere & servari*,operæ pretium est paulò accuratiùs respondere. Primùm ait Smiglecius, hoc a Socino multò clariùs exponi in refutatione VVujeci fol. 484. cùm ait,æquè Trinitarios ac Arianos acceptos esse posse Deo. Sed in loco citato nihil tale habetur. Imò apertè dicitur: Arianos Deo fuisse invisos præ Homousianis,si hi piè vixerunt. Deinde probat,fidem falsam non esse fidem, ideoq;eam Deo placere non posse.Sed imponit verbis *falsæ fidei*,ut in responsione ad errorem 78 ostendi. Fides enim tam essentialia religionis capita,quàm alia,quæ non sunt talia,respicit.Isto modo considerata per se damnat, hoc verò, non item. Patet id ex eo,quòd Apostoli satis esse dicunt ad salutem, si quis confiteatur ore suo Iesum Dominum, & credat in corde suo,quòd eum Deus ex mortuis resuscitavit: vel, si credat Iesum esse Christum filium Dei, eum ex Deo natum esse,adeoq; servatum iri. Posse autem aliquem istud confiteri & credere,etiamsi in multis rebus ad religionem Christi pertinentibus erret, ipsa docet ratio. Et ipse Smiglecius negare id non potest, nisi multos eorum,quos Patres Ecclesiæ suæ esse credit, damnare velit, de quibus scilicet legitur, quòd in quibusdam diversum ab aliis doctoribus senserint. Quo nomine etiam culpantur ab ipso Bellarmino. Imò hodiè etiam diversa sentire de multis ad religionem potiùs quàm ad salutem spectantibus Ecclesiæ Romanæ doctores, Becanus Iesuita,in libro de Deo & attributis ejus satis ostendit.

Quaten' eum errore quis servari posset.

Rom. 10. 9.

Ioan. 5. 1.

Tom. 1. contr. gen. 4. lib. 3. c. 10.

Sed Smiglecius hinc absurda multa consecutura queritur. Quænam sunt illa? Primum est, *omnes hæreticos in suis hæresibus Deo placere & servari posse. Nullum enim ita insulsum esse, qui non aliquo modo Deum agnoscat, & Christum credat salvatorem, ejusq; legem de piè vivendo rejiciat* (sic habet Smiglecius)Hoc verò quàm infirmum sit,cõstabit, si duo considerentur. Vnum est,hæreticum eo sensu, quo scriptura id accipit, injuriâ dici,qui in aliqua re ab aliis vel a vera Christi Ecclesia dissentit. Is enim tantùm hæreticus est, qui ea affirmat, quæ non permittunt credere, Iesum esse Christum, vel Deum ex mortuis illum resuscitasse. Alterum est, ad constituendam fidem salvificam parum esse, aliquo modo Deum cognoscere, & legem de piè vivendo non rejicere: Sed necesse esse,credere Deum esse,& esse remuneratorem illorum,qui ipsum quærunt: Christum esse,quem Deus,ex mortuis resuscitavit: & verè piè vivere,quod est,Deum quærere. Hoc utroq; observato, facilè videre est,non tantùm nihil absurdi

Non omnis errãs, est hæreticus.

Quid ad fidem salutarem requiratur.

Vsus hujus doctrinæ.

in no-

in nostra esse sententia, verùm etiam id ipsum eam omnibus cordatis reddere posse quàm commendatissimam. Cessabit enim, ubi ea obtinuerit, Tyrannis ista, quæ hactenus ad regnum Antichristi stabiliendum durat: & regnabit Christi lex, nempe charitas. Iam quæ ex s. literis affert Smiglecius, ea ad nostrum propositum nihil faciunt. Ea enim ad veros hæreticos pertinent, qui ea scilicet affirmabant, quib⁹ stantibus credi non poterat, Iesum esse Christum, vel Deum ex mortuis illum resuscitasse. Quale erat, quòd quidam resurrectionem factam esse credebant, & futuram non sperabant. Tales enim tacitè negant, Iesum etiam ex mortuis esse resuscitatum; & quod Ioannes cōmemorat, quòd quidam negârint, Iesum esse Christum. Quod cùm nec ex nostra nec ex Trinitariorum de Christi natura sententia consequatur. utriq; enim credimus Iesum esse Christum, & Deum illum ex mortuis resuscitasse, nulla causa est, cur ob hanc diversam de Christo sententiam solam alii alios hæreticos proclamemus.

Alterum absurdum ostendit Smiglecius, *consecuturum* scilicet *eum, qui circa fidem erret, non peccare. Peccare autem, quia partem Evangelii non credat, & itadamnatum iri.* Sed & hoc absurdum nullum est. Nec enim is propriè peccat, qui aliquid non credit, quod non intelligit; vel certè pro peccato id illi non imputatur a Deo. Ibi enim demum peccatum est, vel peccatum imputatur, ubi scientia præcessit. Præterea aliud est, non credere aliquid, & aliud in quibusdam errare. Is enim non credit verè aliquid, qui id falsum esse dicit: At qui in quibusdam errat, vel ea non intelligit, is potest omnia habere pro verissimis, & ita illis dici credere. Vt igitur is damnaretur procul dubio, qui diceret, aliquid vel minimum, in sacris literis expressum, esse falsum, quod solum probat sine omni necessitate Smiglecius, & decies fortassis otiosè repetit: sic eum damnandum esse, qui omnia vera esse credat, interim tamen multa non intelligat, quæ in sacris literis scripta sunt, nemo nisi temerarius affirmare potest.

Ad peccatū constituendum requiritur scientia.

Quod tertium absurdum facit Smiglecius, id cum primo & secundo re ipsa idem est, & verbositate ac repetitione vana Smiglecii tantùm exornatur potiùs quàm confirmatur, quam cur morer, nihil me cogit. Certum est, neminem cum fide falsa piè vivere posse: sed non est fides falsa, qualiscunq; rei ad religionem pertinentis ignoratio. Hæc enim non nisi impropriè fides appellatur, & de hoc nunc nobis non est sermo. Scelus grave est, ea quæ revelata sunt, vel oppugnare, vel falsis opinionibus depravare: Sed is, qui credit Iesum esse Christum, non potest ea oppugnare, quæ ad salutem pertinentia revelata sunt, licet alia possit impugnare, quæ alius sunt generis, ideoq; non scelus sed ignorantia mera censendum illud est.

Verborum Iudæ sensus.

Allegatio verborum Iudæ digna est Smiglecio. *Quæcunque ignorant, blasphemant.* Ait Iudas, de seductoribus, quatenus Magistratum spernunt, quem a Deo ordinatum esse non intelligunt, vel intelligere nolunt, ut ex præcedentibus constat: Smiglecius hoc ad eos refert, qui, quæ in scripturis non intelligunt, tamen falsa esse dicunt, quod nemo unquam fecit, nisi impius & atheus. Sic etiam Iacobus Ostrovius Canonicus eadem verba usurpat in defensione concionis P. Scargæ Iesuitæ, ut agnoscas, quantum Romanæ Ecclesiæ asseclæ in sacris literis explicandis profecerint.

Sed nondum est finis verbositatis Smiglecianæ. Iterum enim ait, *non posse aliquem citra salutis præjudicium circa alia, quæ non sunt fundamenta fidei, errare. Quia hoc sit Dei veritatem evertere, & falsitatis notam Dei inurere, cui tam in minimis quàm in magnis credendum sit.* Sed jam ad id responsum a nobis esse, quivis prudens intelliget. Non licet quidem minimum eorum, quæ Deus revelavit, repudiare, & verum esse negare. hoc enim esset illud peccatum, quod Smiglecius aliquoties inculcat: Sed admissis omnibus, quæ Deus revelavit, pro divinis, interim quædam illorum parùm rectè intelligere, vel in eis errare, quantumvis vitio non careat, non ita tamen comparatum est, ut hominem salute æterna privare possit. Quod totum iterum probari videtur eo, quod Paulus dicit, quosdam super fundamentum a se positum, superædificare aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam. Vniuscujusq; opus manifestum futurum, & quidem ita, ut etiamsi opus alicujus exuratur, ipse tamen servandus sit, ita verò quasi per ignem, hoc est, si quis errores suos, postquam eos agnovit, abijciat, & nihil pertinaciter contra conscientiam agat. Qua in re monere alii alios tenemur, &, ut id Smiglecium facere ægrè non ferimus: ita etiam nos vicissim illud facere, ægrè non debet ferre Smiglecius. Nam ut ipsi errare nos videmur: sic etiam multò magis eum errare nos persuasum habemus.

1. Cor. 3.

Ex aliis verbosis discursibus Smiglecii, hæc iterum excerpo & accuso. Vnum est, *quòd nos pertinaciter errare* ait Smiglecius. Hoc enim quomodo probari potest, cùm hactenus ea, quæ Pontificii asserunt, Dei beneficio, ita evertamus, & quæ ipsimet docemus, ita s. Scripturæ testimoniis confirmemus, ut quomodo se defendant amplius, vel nostra expugnent, non habeant etiam acutissimi Romanæ Ecclesiæ propugnatores? Cujus rei testimonium luculentissimum est hæc iterata Smiglecii responsio. Pertinaciæ autem tunc demum accusari quis potest, cùm nec sua defendere, nec aliena refutare potest. Alterum est, quòd nostram pertinaciam eo etiam ostendit, *quòd Ecclesiæ docenti*

Quis sit pertinax.

docenti non obediamus, quam Christus audire præcepit. Hoc verò ita imperioſum eſt, ut nemo vere Chriſtianorum audire illud æquo animo teneatur. Ergo Pontificia Eccleſia noſter erit Magiſter, quæ, an ſit vera Chriſti Eccleſia, hactenꝰ probare nō poſſunt omnes ejus aſſeclæ. (Eccleſia quatenus audienda.) Quid ſi ego dicerem, noſtram Eccleſiam eſſe illam Chriſti Eccleſiam, de qua Chriſtus loquitur Matth. 18., quod veriſſimum eſſe facile probare poſſem, nonné indignaretur Smiglecius? & jure quidem. Nam vera etiam Eccleſia non eſt audienda in omnibus ſimpliciter, niſi quatenus ea docet, quæ a Chriſto illi præcepta ſunt. Verba autē Chriſti non ſimpliciter eſſe accipienda, ſed tantùm in certis rebus id valere, alibi abunde a noſtris demonſtratum eſt. Summa eſt: Chriſtus non dixit: Qui, cum ſit extra Eccleſiam, non obedierit Eccleſiæ. &c. ſed dicit de eo, qui, cùm Eccleſiam agnoſcit, aliquem offendit, & ad offenſi vel aliorum monitum non reſipiſcit, ſi etiam Eccleſiam non audiat, in eo ſcilicet, in quo jam ab aliis convictus fuit, quòd talis ſit habendus, idq; non ab omnibus, ſed ab eo qui offenſus fuerat, pro Ethnico & publicano. (Senſus verborum Chriſti Mat. 18.) Sic enim Chriſtus ait: *Si Eccleſiam non obedierit* (is ſcilicet qui offendit) *ſit tibi ut Ethnicus & publicanus.* Qua de re habebit, quòd legat Smiglecius in reſponſione ad Vanæ Diſſolutionis refutationem.

Porrò approbat Smiglecius, quæ de Eſſentialibus fidei capitibus diſſerimus, ea ſcilicet eſſe, ſine quibus Deus nec verus Dei & Chriſti cultus haberi poteſt, nec vera pietas: Objicit autem, quòd in particulari illud definire non audeamus. Hoc verò an jure faciat, videat qui Catecheſin noſtram habet. In ea enim plærumque etiam addimus, quæ ſint ad ſalutem neceſſaria, quæ verò non. Et ne quicquam conqueratur Smiglecius, non gravabor hîc ea aſcribere. Neceſſariò credendum eſt de Deo, quòd ſit, quòd ſit unus, quòd ſit æternus, ſummè juſtus, potens, ſapiens, creator omnium, & remunerator eorum qui ipſum quærunt. (Quæ ſint neceſſaria ad ſalutem.) De Chriſto, quod ſit Servator mundi, quem Deus ex mortuis reſuſcitavit, & ad dexteram ſuam collocavit. De ſpiritu S. quòd ſit virtus Dei, quâ omnes credentes donat. Et præter hæc omnia obediendum eſt Deo in omnibus illis, quæ Chriſtus nobis præcepit, maximè verò exercenda vera charitas. Hæc eſt ſumma eorum, quæ neceſſariò credere omnes tenentur & facere, qui ſervari volunt. Vi hujus ſententiæ noſtræ, a ſalute arcentur primùm omnes Ethnici. Hi enim nec Deum nec Chriſtum norunt, & omnes Turcæ; hi enim ut Chriſtum mortuum eſſe, ſic etiam eum ex mortuis reſuſcitatum eſſe, & ad dexteram Dei ſedere negant, adeoque eum nec adorant, nec invocant, nec denique ex ejus ſolius præſcripto vitam (Quibus ſalus negata.)

 & mores

& mores suos instituunt, sed impuri Machometis somnia & placita Christi Evangelio præferunt. Deinde omnes Iudæi. Hi enim Iesum expressè abnegant, extra quem nulla est salus, & his similes Iudaizantes. Hi enim tacitè Christum negant, dum eum vel ex mortuis resurrexisse negant, vel ex mortuis resuscitatum, in cœlo otiosum esse blasphemant. Denique omnes, quicunque vel in unius vel multorum peccatorum habitu & consuetudine hærent, quantumvis Christum profiteantur, & quàm rectissimè tandem de omnibus spei Christianæ partibus sentiant. Non negamus, multa etiam alia esse, in quibus homo Christianus erudiri possit & debeat: Sed hæc omnia non sunt ejus generis, ut propterea a Christi Ecclesia arceri aliquis possit. Sunt enim omnia ita comparata, ut nec verum Dei & Christi cultum, nec veram pietatem tollant. Qualia sunt, quæ de modo unitatis, quo Deus unus est: quæ de Christi persona, an ex duabus constet naturis, quæ de Spiritu S. an ita sit in Deo, ut etiam sit persona, agitantur, an peccatum sit originis: an homo mortalis creatus nec ne: an omnia, quæ sacramenta appellantur, talia sint, & an sint ad salutem necessaria: an justificationis causâ aliqua vel effectum aut consequens sint bona opera: an Deus ante secula quosdam ad salutem, quosdam ad damnationem destinârit, & quæ horum sint similia. Quanquam semper præstat ab errore abesse quàm longissimè. Cùm raró error sit, qui peccati alicujus causa non sit. Vnde videre potest Smiglecius, quo jure ita in Theophilum nostrum invehatur, qui tale quid in defensione tractatus de Ecclesia scripserat, quòd hac ratione nihil plus de Deo & Christo credere nos oporteat, quàm Turcæ & Machomotani credunt. Hi enim, ut negant Iesum esse mortuum, ita resuscitatum esse credere nequeunt: divino eum honore non afficiunt, nec adorationem nec invocationem illi tribuunt, nec ad illius Evangelium vitam suam componunt. Quod etiam ab eodem Theophilo fusiùs demonstratum est in responsione tractatus de ecclesia Alberti Borcovii, qui jam impressus extat.

Illud quod de Christi divina natura affert, ad probandum, alium cultum fore ejus, qui habet divinam naturam, ab eo, qui eam non habet, ut nos fatemur, jam ante etiam dissolutum est. Nunc iterum dico: Scriptura a nobis cultum Iesu Christo debitum requirit, eumque talem, qualis Deo debetur. Ergo si illum Christo tribuamus, licet aliqua sit in eo & vos differentia, satis officio nostro facimus, agnoscentes in illo divinam majestatem & potestatem, & ob illam eam adorantes, ob hanc verò etiam invocantes. Non blandimur igitur nobis ea in re: sed gratias Deo & Christo agimus perpetuas pro tanto in nos col-

nos collato beneficio: Eundem etiam rogamus,ut oculos mentis omnibus Christi professoribus aperiat, ut neminem, qui Deum & Christum ex animo colit, vel odio habeant vel persequantur, nec servum alienum contemnant aut condemnent, Domino enim stat & cadit. Distinctionem Theologorum Pontificiorum necessitatis,in medii & præcepti, non est quod hîc curemus, cùm nulla ratione a Smiglecio probetur: nos verò solos Apostolos pro magistris simpliciter agnoscimus.

Caput III.

Jure sub Novo Fœdere unâ cum Deo uno, Iesum Nazarenum coli, docetur.

DUOS Deos a nobis coli, captiosè nobis objici dixeram & dico iterum. Quia scilicet, sacras literas secuti, nunquam ita loquamur. Hanc enim orationem præ se ferre, ac si duo sint ex se ipso Dii, quod est falsissimum. Dicimus autem cum scriptura, unum esse Deum, Patrem, & unum Dominum, Iesum Christum, sub N. Fœdere. Smiglecius ait, *eum, qui confitetur præter Deum Patrem, alium quoq; diversum a Patre Deum, eum plures Deos colere meritò censeri debere. Quia duo sint plures.* Ego contrà. Duos nego esse plures absolutè, vel vocem duos æqui pollere pluribus. Nonné enim in quibusdam linguis distinguitur numerus dualis a plurali? Vnde constat pluralitatem ad dualitatem non præcisè pertinere. Nego iterum, duos Deos esse dici debere, ob causam superiùs allatam. Quia hæc locutio æqualitatem duorum inferret, nisi semper adderetur aliquid, quod eos differre significaret Et tamen duos esse, qui sint a nobis sub N. F. colendi, constanter affirmamus: Patrem & Christum, sedentem in throno & Agnum, de quo infrà plura.

Ista omitto, *quòd ipsa res exosos nos faciat, non nuncupatio Smiglecii: quòd præstet nos exosos esse, quàm ut aliis Christum exosum reddamus: quòd etiam, si exosi simus, tamen ideò non simus beati: quòd etiamsi Deũ pro Smiglecio oremus, tantundem proficiamus, atque facinorosus aliquis, qui pro judicibus preces fundit.* Nam cũ genio isto Iesuitico contendere, nõ puto hominis esse cordati. Indicasse ea, & tolerare sat est. Linguam & animum Smiglecii miramur, &, susque deque eum religionem suam & promotionem ejus habere, hinc cognoscimus. Nam etiamsi ea tandem vera esset, nonné occasio daretur suspectam eam habendi,

ob

ob talia professorum ipsius supercilia & dictæria, ne dicam quid gravius? Rem ipsam persequar.

Fatetur Smiglecius, *Iesum eße aliam personam a Patre, & non id mihi demonstrandum fuiße, sed docendũ eße ait, Christum eße alium Deum vel alium in Deitate a Patre, & me victurum, si id cõprobem & argumentum potens contra nos ad marginem eße ait, quòd scriptura non aßerat, Christũ eße alium Deũ, sed absolutè alium.* Audiat ergo, si nõ Smiglecius, saltem cordatur lector, quomodo hunc nodum explicemus, & argumẽtum istud humi prosternamus. Dicimus, jam id a nobis probatum esse, quod a nobis postulat Smiglecius. Nam non tantùm docuimus, Christũ esse alium a Deo absolutè, sed etiam essentiâ esse alium. Christus enim essentiâ homo est, ut pote qui homo disertissimè appelletur. Si essentiâ homo est Christus, jam idẽ Deus, qui Pater est, esse nequit. Deus enim alia essentia est, quàm humana. Idq; habes pag: 12. responsionis nostrę prioris. Sed Smiglecius suo more, nova se promere simulat, cùm tamen vetera tantùm aliis verborum coloribus incrustet. Addo nunc, captiosè a Smiglecio postulari, ut probem⁹, Christũ esse alium Deum a Patre. Nam quia divinitas Christi Patris est divinitas, quatenus a Patre Christo donata est certo tempore, non potest aut debet dici simpliciter, Christum esse alium Deum a Patre: sed satis est docere, aliam esse essentiam vel personam Christi & Dei Patris: Nempe Christi humanam, patris divinam. Hoc ipso enim jam docetur, Christum, quâ Deus est, esse alium a Deo Patre, & alium etiam esse, suo modo, Deitate a Patre. Pater enim, quia essentia est divina, divinitatem a se ipso non potest non habere: Christus verò, quia humana est essentia, non potest Deitatem a se ipso habere. Qui verò Deitatem ab alio habet donatam certo tempore, is alius certè Deus ab uno illo Deo suo modo dici potest & debet. Dicam denuò quod hujus controversiæ caput est: Non docendum est, Christum esse alium prorsus a Deo Patre, Deitate: Vna enim est illarum divinitas suo modo. Tantùm in hoc differunt, quòd Deus eam divinitatem ex se habet, Christus Patris beneficio: Sed satis est docuisse, Deum & Christum esse duas personas. Hinc enim sequitur, quia Christus persona divina esse nequit. Numero enim una est essentia Dei, eum esse personam humanam. Hæc verò persona humana cum persona Patris divina idem Deitate, dici suo modo jure potest.

Quatenus Christus sit alius Deus a patre.

Cur non necesse sit probare, Christum esse alium Deum.

At ait Smiglecius. *Id expreßè in sacris literis non dici, sed tantùm per consequentiam deduci.* Nos verò satis esse dicimus, collectione evidenti ex sacris literis id deduci posse, si quidem confiteamur, hanc rem ad salutem prçcisè non pertinere, sed tantùm ad eandem utilissimum

ſimam eſſe. Ea enim ῥητῶς extare neceſſe eſt, ſine quibus ſalus non datur. Dicimus iterum; id ῥητῶς extare cenſendum eſſe. quia Chriſtus diſertè homo vel agnus appellatur. Hominem enim eſſe, & Deum alium a Deo Patre eſſe, verbis tantùm differunt, re ipſa verò idem prorſus ſunt.

At, evidentem eſſe hanc conſecutionem, negat Smiglecius, *quia id totus mund⁹ neget, & non tantùm fidelium vulgus, ſed etiã doctiſſimi omniũ ſeculorũ Theologi & ſapientiſſimi Patres.* Ego verò hîc mundi totius & vulgi fidelium nullam rationem habendam eſſe dico. Hi enim omnes, non quod volunt aut intelligunt, credunt, ſed quod credere coguntur. Dico iterum: Vulgus id re ipſa credere, quod nos credim⁹. quod verò reliqui Theologi & Patres ſentiant, id eos nec capere nec verè credere, quantumvis ſe id credere dicant. Theologi porrò & Patres nonné errare potuerunt? tum quia erroribus omnes ſumus obnoxii, tum quia, ut erremus, ſi Dei verbum negligamus, Deus permittere, imò etiam interdum procurare ſolet. Taceo quòd non omnes Theologi & Patres Eccleſiæ idem prorſùs de divina Chriſti natura ſenſerint, quod hodie ſentit Smiglecius, ut ſuprà indicavimus. Et qui diverſum & olim ſenſerunt, & nunc ſentiunt, certè non eſſe ita ſtipites, ut nudam ſuorum Theologorum & Patrum autoritatem illis opponere debeat Smiglecius, jam conſtare puto, & magis magisq́; conſtabit indies.

Nulla in religione vulgi vel Theologorum autoritas.

Iam cùm conſecutionis vim infringere conatur Smiglecius, & docet, non ſequi ex eo, quòd Chriſtus ſit alius, eum eſſe alium Deum, vel Deitate, *cùm alio modo alius dici poſſit à Patre,* ipſemet videre poteſt, jam ad id reſponſum eſſe, cùm docemus, Chriſtum, quia eſſentiâ alius eſt a Deo Patre, alium (ſuo modo) etiam eſſe ab eo. Cùm verò ait, id, quo noſtra nititur conſecutio, nempe quia perſonâ ſit alius, alium quoque eſſe naturâ, *nec à Spiritu S. in Scripturis revelatum, nec a viris doctis & Theologis receptum,* videat, cui veritas cordi eſt, an non ſuccumbat Smiglecius. Nam id etiam, quod ex S. literis evidenter deducitur, a Spiritu ſancto in S. literis revelatum eſt: & doctis illis viris alii docti opponi poſſunt tum veteres tum recentes, qui nulla re cedunt illis, quos jactat Smiglecius: & etiamſi nulli opponi poſſent, Scriptura S. ſemper hominibus, qualescunque tandem ſint, opponi jure poteſt.

Iam quam parat reſponſionem ad locos a me citatos Smiglecius, quibus probo, Chriſtum eſſe diſtinctum eſſentiâ a Deo, ea tota fruſtranea eſt. Nam ſi Chriſtus eſſentiâ differat a Deo & perſonâ, ita ut Deus ſit perſona divina, Chriſtus verò humana, non poteſt non

esse alius Deus, vel alius deitate suo modo a Deo Patre. Quod quamdiu non refutatur (refutabitur autem nunquam) tam diu non datur progressus ad alia. Et captiosè iterum atque iterum formatur status controversiæ: *an hi duo ut unus Deus, vel ut duo Dii, sint divina ratione colendi*. Colendi sunt duo, alter ut Deus a se ipso, alter ut Deus ab alio. Itaq; nec simpliciter ut duo Dii. quia divinitas utriusq; suo modo eadem est, licet diverso modo sit in utroq; : nec simpliciter ut unus Deus. sunt enim essentiâ & personis ita diversi, ut alter sit essentia & persona divina, alter humana. Quod unum si observetur, nihil afferri posse a Smiglecio, quod vel minimam confessioni nostræ vim inferat, ad oculum semper patebit. Quod hîc etiam evenit. Nam cùm ita se premi & urgeri videret Smiglecius, tandem ad istam suam sacram anchoram confugit: *Hominem, si, quatenus unitam sibi Dei naturam habet, consideretur, negari non posse, talem hominem ratione divinæ naturæ, esse ejusdem essentiæ cum Deo.* Hoc verò ipsum a nobis nunc impugnatur, & falsum esse demonstratur, dum docemus, Christum essentiâ & personâ hominem esse. Nam si Christus essentiâ & personâ homo est, jam uniri cum illa fictitia divina persona non potest. Essent enim duæ in uno Christo personæ, adeoq; duo Dei filii. Quomodo igitur ad aliquid docendum nos afferri jure potest? Et hic est labyrinthus, ex quo sese expedire nusquã potuerit Smiglecius, in quoscunq; sese proripiat angulos, nisi filum Thesei sequatur, hoc est, valedicto Ecclesiæ suæ & Theologorum scholasticorum commentis, ex sola, sola sacra scriptura sapere de Christo velit. Possem jam summo jure ad caput 4. pergere: sed ne se fortassis contemni dicere queat Smiglecius, breviter etiam ea percurram, quæ ad locos a me adductos explicandos vel potiùs implicandos attulit.

Quomodo duo sint colendi sub N. Fædere.

Paulus ait, unum esse Deum, & unum Mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum. Nonné hinc constat, Christum differre a Deo non tantùm personâ simpliciter, quòd scilicet & Deus persona sit & Christus, sed etiam ita, ut Deus sit persona divina, Christus verò humana? Qui verò ita persona est, ut humana sit persona, quomodo idem persona divina, vel idem Deus, qui Pater est, esse potest? Smiglecius ad hoc nihil respondet aliud, quàm *distingui Christũ ab illo uno Deo, sed quâ homo est, non quâ Deus est, ideoq; ex hoc loco distinctionem Christi a Deo in Deitate, nulla ratione colligi posse*. Quæ respondendi ratio, si recta est & legitima, nihil unquam decidi poterit. In dubium vocatur & oppugnatur, quòd Christus Deus sit naturâ, hoc ipso, quòd homo appellatur: & tamen respondetur, Christum, quà Deum, non distingui a Patre. Equidem hoc evidens victoriæ nostræ signum

Loca S. scripturæ explicantur.

1. Tim. 2. 5.

signum esse gloriari etiam possum: Smiglecium verò pudeat ita tractare adversarios pro libitu suo, contra omnem disputandi consuetudinem, ut eas distinctiones afferat pro solutione argumentorum, quæ argumentis istis impetuntur.

Idem Paulus ait, nobis unum esse Deum patrem ex quo omnia, & nos in illum; & unum Dominum, Iesum Christũ, per quem omnia, & nos per illum. Nonné hinc iterum constat, Christum ita differre a Deo, ut alius sit, suo modo Christus Deitate, quàm pater? Certè enim alia est divinitas ea, quæ causa est salutis media, alia ea, quæ causa salutis est prima & finis ultimus. Smiglecius ait, *pugnare id cum scopo Apostoli, qui est, probare nobis unum tantùm esse Deum. Si ergo Christum quocunq; tandem modo diceret, esse alterum Deum, se ipsum everteret.* At ego nego, hunc esse Apostoli scopum. Quanquam enim sic inceperat ab initio capitis: tamen postea rem quodammodo mutat vel auget, dum loco ejus, quod semel dixerat, etiamsi sunt, qui dicuntur Dii sive in cælo sive in terra, hæc verba interserit, (sicut sunt Dii multi, *& Domini multi)* ad deos addens etiam Dominos. Vt igitur additio facta fuerat in prolepsi Apostoli: sic etiam additionem deinde fieri oportuit in responsione ad eandem. Quæ est, quòd, ut ex multis diis unus tantùm nominatur colendus: sic etiam ex multis dominis unus tantùm similiter colendus nobis Christianis proponitur, cujus divinitas eatenus eadem est cum Patris divinitate, quatenus non alia data est Christo, quàm qualis est in Deo Patre: alia verò est a Patris divinitate, quatenus data est. 1. Cor. 8. 6.

Scopus verborum 1. Cor. 8. eruitur.

Falsum est autem, Paulum docere, Idola nihil esse, hac ratione: nullus est Deus alter, nisi unus. Nam non ut ratio adduntur hæc verba ab Apostolo, sed ut antithesis istius thesis: *Idola nihil sunt.* Ideoq; etiam nulla causæ nota additur, sed tantùm dicitur, *Scimus, quòd Idolum nihil est in mundo, & quòd nullus Deus alter, nisi unus.* Potuit igitur Apostolus, quia tantùm tradit, quid sentiendum sit, rationibus nullis additis, unà cum Deo uno conjungere Iesum Christum, quatenus ad cultum Dei unius cultus etiam Iesu Christi requiritur. Nam sub N. Fœdere modus colendi Deum mediatus etiam est, nempe per Christum, qui modus colendi Deum mediatus sub V. Fœdere nullus prorsus erat.

Locus idem explicatur.

Et per hoc ad multa horum similia, quæ Smiglecius otiosè & tædiosè iterat, responsum esse, prudens & æquus lector intelliget. Nec enim volo nec debeo omnia ea examinare, quæ Smiglecius tantùm iterat: Quale hoc est: *Sicut unum Dominum dicendo Christum, Paulus non negat Patrem esse Dominum: ita dicendo unum esse Deum Patrem,*

Objectio diluitur.

non exclusit Christum a ratione Dei. Ad hoc enim toties responsum est in priori meo libro, ut nihil, quod vel mutiat, habeat Smiglecius; & nūc, si candidè agere voluisset, obmutuisset. Dico, Paulum excludere Christum a Deitate Patris, non simpliciter eo, quòd Christus non sit Deus, sed quòd non sit Deus, ex quo omnia & nos in illum: & rursus excludere Patrem, suo modo, a dominio Christi, non quia Pater non sit Dominus, sed quia nec sit nec esse possit unus Dominus, per quem omnia & nos per illum.

Hoc falsum esse iterum docere nititur Smiglecius eo, quòd sententia Pauli hac ratione evertatur: Sed sententiam Pauli aliam esse, quàm opinatur Smiglecius, jam docuimus; & ex eo, quòd Deus unus sit, non probare Apostolum, idola nihil esse, per se constat. Imò ut antea diximus, nulla re hoc in loco Paulus probat, idola nihil esse, tanquam rem apud eos claram, ad quos scribebat, quod etiam vox *scimus* satis indicat: sed tantùm, qualis scientia in Christianis tunc fuerit, ostendit, tum quoad idola, tum quoad verum Deum & Iesum Christum, qua de re nulla erat dubitatio. Id verò quod hoc in loco probandum sumsit, non est, quid scire, sed quomodo scientiâ suâ rectè uti debeant, ut ex præcedentibus & sequentibus verbis constat.

Quid Paulus tractet.

Frivolum autem est id, quo me urgere se ait Smiglecius, quòd scilicet, si Christus alius Deus verus sit, æquè de illo dicere potuisset Paulus, nobis est unus Deus, nempe Christus, sicut dixit de Patre, nobis est unus Deus, nempe Pater. Nam licet Christus sit unus Dominus noster, & vox Deus, Christo tributa, latiùs non pateat, quàm vox Dominus: (tantùm enim modum Dominii Christi vox Deus determinat, quòd non sit humanus sed divinus, de quo alibi diximus) tamen cùm Christus unà cum Deo Patre nominatur, nusquam nomen Dei Christo tribuitur, sed tantùm nomen Domini, ut in omnibus Apostolicis salutationibus, quas Epistolis suis præfixerunt, videre est, ut scilicet agnoscas, plus tùnc significare vocem Dei, quàm vocem Domini. Itaque Paulus oppositurus idolis Deum verum, non debuit principaliter alium nominare quàm Patrem. Hic enim alibi absque ulla mentione Christi opponitur idolis. Christus verò non item. Nec opponi posset Christus idolis solus per se, sed quatenus cultus ejus, ad cultum Dei Patris sub N. Fœdere completum reddendum, necessariò pertinet.

Christus unà cum Patre collocatus, non Deus, sed Dominus appellatur.

1. Thess: 1. 9, 10. 1. Ioan: 5. 20, 21.

Sed explicantem verba Pauli Smiglecium audiamus etiam. *Non eo consilio,* ait, *addidiße Paulum Patri verba, ex quo omnia, & nos in ipsum, Christo verò, per quem omnia, & nos in ipsum, ut negaret vel Christum eße eum, ex quo sint omnia, vel Patrem eße eum per quem sint omnia. Si enim*

Si enim per Christum sunt omnia, etiã ex Christo sunt omnia, & si ex Patre sunt omnia, per Patrem etiã sunt omnia, & addit locum. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso* (in græco est, *in ipsum sunt omnia*. At hanc ego explicationem falsissimam, & in ipsa temeritate fundatam esse, dico. Quis enim ista ferre potest: Si per Christum sunt omnia, ergo etiam ex Christo omnia? Num ex minore majus rectè colligi potest? Si quis sit alicujus rei causa instrumentalis, num ideo principalis causa esse potest? At vocem *per* causam instrumentalem plærumque & potissimùm significare, nemo sanæ mentis negaverit. Quanquam & hoc prorsus falsum est: Si ex Patre sunt omnia, per Patrem etiam sunt omnia. Non enim necesse est, eum, qui causa alicujus rei principalis est efficiens, eandem etiam per se ad exitum perducere: Imò in dignum Deo est, omnia per se ad exitum perducere. Vt enim ad media alligatus non est, sed potest sine illis, quicquid vult, perficere: sic etiam, quandocunque vult, illis pro libitu suo uti potest. Verba autem Pauli, quibus de Deo dicitur, quòd *per eum omnia*, alio modo intelligenda esse, quàm cum de Christo dicitur, per eum omnia, hinc apparere dixeram, quòd alibi de Christo dicatur, Deum per eum omnia fecisse, de Deo verò, nunquam aliquem per eum aliquid fecisse, dicitur. Ad quod mutus est Smiglecius. Sed nos ista observare sciat. Et tamen hoc solum totam hanc litem dirimere potest. Nam si ita per Deum essent omnia, ut per Christum, fieri non posset, ut non alicubi diceretur, aliquem alium per Deum fecisse omnia, ut legitur, Deum per Christum omnia fecisse. Sed hac de re plura scripsimus nuper in refutatione libelli Smigleciani, *verbum caro factum*.

Rom. 11. 36.

Argumenta Smiglecii examinantur.

Eo sensu de Christo dicitur, per eum omnia, quo de Patre dici non potest.

Expendat autem lector benevolus Smiglecii desperationem, qui cùm non habet, quod respondeat aliud ad nostra argumenta, ad suam istam putidam distinctionem naturarum in Christo confugere iterũ non erubescat. Nonné enim nunc istæ duæ naturæ a nobis hoc ipso impugnantur, quando docemus, Christũ non esse eũ, ex quo omnia, sed per quem omnia? Quomodo igitur argumentum eo solvi potest, quo argumentum petitur? Reprehendit me quidem infrà graviter Smiglecius, quòd istam fallaciam crassam petitionis principii tam crebrò sibi objiciam: sed quo jure, quia ipse videre non vult, (sentit enim, hac ratione causam suam ruere) videant lectores prudentes. Nam si incertum per æquè incertum probrare, est petere principium, quomodo is principium non petit, qui, dum docetur, Christum non esse Deum naturâ, vel non habere divinam naturam, eò quòd sit causa instrumentalis salutis, argumentum soluturus dicit, Christum esse causam principalem salutis, quia sit Deus naturâ?

Modus respondẽdi Smiglecianus reprehenditur.

At docet Smiglecius, *Christum hoc loco considerari ut Deum, non ut hominem, eò quòd consideratur ut unus Dominus. Quia unus Dominus non sit, nisi sit idem cum Patre Dominus, alioquin enim falsum fore, unum esse Dominum.* Sed has captiones ego antea detexerã. Nunc iterum dico, considerari quidem Christum ut Deum, cùm unus Dominus appellatur, sed non ut Deũ unum. Hunc enim Paulus ait, Patrem esse, ex quo omnia, & in quem nos. Quod utrumque nusquàm de Christo scriptum extat, nec extare potest, nisi universa religio invertatur. Christus enim, ut regnum suum a Patre habet, ita eidem olim illud tradet. Ratio verò Smiglecii vana est. Non enim est absurdum ullum, si dicatur, non esse unum Dominum absolutè, hoc est, absque additis vocibus, Christum Iesum. Est enim alter Dominus præter Christum, isque modo multò excellentiori, nempe Pater. Is, ut caput Christi est, sic etiam Dominus Christi ipsius appellari potest. Verba autem Pauli, quibus affirmatur, unum esse Dominum, non sunt simpliciter accipienda, sed cum hoc additamento, per quẽ omnia & nos per illum. Talis enim Dominus tantùm unus est, adeò ut nec ipse Deus, qui est Dominus omnium absolutissimus, talis sit Dominus.

Quatenus Christus Deus.

Quatenus Christus unus sit Dominus.

Iterum, nescio qua methodo, Smiglecius inserit explicationem verborum, ex quo omnia, & per quem omnia, & illa Patri attribui ait, peculiari ratione, & ex quadam accommodatione, quia id Patri peculiari ratione conveniat, ut ex ipso sint omnia, ita ut & ipse filius sit ex Patre, non Pater ex filio. Quæ nos vera esse, & universam Smiglecii Theologiam evertere credimus. Dum verò addit, hanc diversitatem tantùm esse originis non naturæ, suum commentum nobis obtrudit, quod nullo modo recipere tenemur. Quanquam & hoc ipsum ostendit, Christum non esse eundem Deum, qui Pater est, si diversitas sit originis inter utrumq́; ? Illud etiam non minùs commentum est, Christo *per quem omnia* convenire, *Quia ex vi suæ originis sit sapientia, virtus, verbum Patris, per quod sint facta omnia. Hæc autem quia sint ipsa Dei essentia, non habere rationem causæ mediæ, sed esse ipsam Dei naturam, quæ est agens principale.* Nam Christus sapientia appellatur, sed non patris, Licet enim ex mente nostra idem, qui Deus est, nempe ille summus, sit etiam pater: tamen quia ex mente Smiglecii, alius est is, qui Deus est, quã qui Pater est, non potest tunc Christus sapientia patris dici, cùm sapientia Dei appellatur: & sapientia Dei est Christus, sed non ex vi suæ originis. Dicitur enim, quòd nobis sit *factus* sapientia *a Deo*. Virtus Patris Christus nusquam etiam appellatur. Verbum Christus, vel sermo appellatur, non Patris etiam, sed Dei: at non ex vi suæ ori-

Lapsus Smiglecii.

1. Cor. 1. 30.

ſuæ originis. Sermo enim ille fuit apud Deum, quod de iis, quæ ſunt de eſſentia Dei, dici non poteſt. Sed hæc & reliqua non perſequor. Non ſunt enim hujus loci.

Interrogo autem Smiglecium aſtutum, cur & hîc & alibi omittat alterum illud, quo Chriſtus a Patre diſtinguitur, Quòd nimirum nos in Patrem ſimus & omnia, & nos per Chriſtũ: nuſquam verò dicatur de Chriſto, in ipſum eſſe omnia vel nos: Imò contrarium dicitur, Chriſtum traditurum regnum Deo & Patri, ut Deus ſit omnia in omnib⁹. Sic ſcilicet ii agunt, qui, non ut vera doceant, ſed ut falſa tueantur, propoſitum ſibi habent. *Smiglecii negligentia.*

Sed ecce iterum Smiglecius ſuam cantilenam canit, *Paulum, dum ait, unum eſſe Deum, & addit, eum eſſe Patrem, & unum eße Dominum, & addit, eum eſſe Chriſtum, diſtinctas quidem perſonas nominare, quarum altera ſit Deus, altera Dominus: tamen quia in Deo includat Dominum, & in Domino Deum, ideò dicendo patrem eſſe Deum, dicere quoq; implicite, eſſe Dominum, & dicendo Chriſtum eſſe Dominum, dicere implicitè eſſe Deũ?* Sed hoc totum vanum eſt. Primùm enim ſatis eſt ad ſententiam Smiglecii evertendam, ut ſuprà diximus, ſi duæ perſonæ ſtatuantur colendæ. Perſonæ, inquam, non prorſus pares, quales ſunt divina & humana. Nam hoc ipſo negatur duos eſſe, qui idem ſint Deus. Nunquã enim perſona humana idem Deus eſſe poteſt, qui eſt perſona divina. Deinde falſum eſt, Paulum in Deo Dominum, & in Domino Deum includere, abſolutè. Nam Deus Pater nullo modo eſt Dominus iſto modo, quo unus Dominus hoc in loco deſcribitur. Nec enim poteſt eſſe unus Dominus per quem omnia & nos per illum: nec etiam Chriſtus ullo modo Deus eſt iſto modo, quo unus Deus hîc conſideratur. Non poteſt enim eſſe unus Deus, ex quo omnia, & nos in illum. Vnde & illud corruit: *Qui dicit, unum tantùm eſſe Deum & unum Dominum, indicatq; duos, qui ſint Deus & Dominus, dicit conſequenter, illos duos eße unum Deum & unum Dominum.* Nam is demum diceret, duos eſſe unum Deum & unum Dominum, qui duos indicaret, qui eſſent eodẽ prorſus modo Deus & Domin⁹: Is verò, qui duos indicat, quorum alter eſt Deus, ex quo omnia & nos in illum, alter Dominus, per quem omnia, & nos per illum, is nec apertè nec conſequenter dicit, illos duos eſſe unum Deum & unum Dominum: ſed duos tales indicat, quorum neuter id eſſe poteſt, quod eſt alter. Nunquam enim unus Deus & Dominus eſſe poſſunt, quorum alter eſt cauſa ſalutis prima & ultimus finis: alter cauſa ejusdem media & inſtrumentalis. Hac ratione omnia, quæ Smiglecius verboſè diſſerit, refutari poſſent accurratiſſimè, ut ne unum quidem verbum omitteretur: Sed actum

Quatenus non includatur Deus in Domino, & Dominus in Deo.

actum agere, non poteſt non eſſe homini cordato moleſtiſſimum.

Pergit Smiglecius explicare, & docere nititur, quare Pater unus Deus dicatur, & ait, *vocem illam unus excludere ſolùm diverſum Deum, non verò aliam perſonam, quæ non ſit diverſus Deus ſed unus, ac exconſequenti non excludere Chriſtum, qui non eſt diverſus Deus, ſed ille ipſe unus Deus*. Sed hîc præter ſententiæ nudam dictionem nihil eſt. Itaq; reſponſione etiam nulla opus eſt. Ratio autem ſuadet, quòd, quando de aliquo dicitur, eum eſſe unum Deum, non tantùm tacitè ſed diſertè dicatur, præter illum nullum eſſe Deum. Iam enim non is unus eſſet Deus, ſed & alius. Et quia Pater unus Deus eſt, nempe ex quo omnia, & nos in illum, conſequens eſt, quicunque non eſt Pater, ex quo omnia & nos in illum, eum non eſſe unum Deum; et quia talis non eſt nec Filius, nec ſpiritus S., nec Filium nec ſpiritum S. eſſe unũ Deum. Vnde conſtat, quàm verum ſit, quod addit Smiglecius, *Paulum, etiamſi illum unum Deum indicet eſſe Patrem, nihil tamen addere, quo ſolus Pater eſſe ille unus Deus intelligatur, ac proinde Chriſtum non excludere*. Nonnè enim addidit id, quod nemini præter ſolum Patrem competit, ex quo omnia & nos in illum? Quæ tanti ſunt ponderis, ut nihil ad ea evertenda unquam allaturus ſit Smiglecius.

Præter eum, qui eſt unus Deus, nõ eſt alius talis.

Rurſus autem docet, quare Paulus Deum unum in Patre indicet, *quia* ſcilicet *talis Deus, qualis eſt Pater, tantùm unus ſit, & quod Patri per quandam accommodationem peculiari ex cauſa tribuat, quòd ſit Deus, quia non ſit Deus de Deo, ut Filius, ſed ex ſe Deus*. Quod quidem nos veriſſimè dictum cenſemus. Vt etiam illud, dum ait, *Chriſto peculiari ratione tribui, quòd ſit Dominus, quòd per ipſum Deus dominium ſuum & poteſtatem in nos exercet*. Sed hoc cauſam Smiglecii funditus evertit, & noſtram confirmat. Nam ſi pater ex ſe ipſo Deus eſt, Chriſtus non ex ſe ipſo, quomodo idem Deus eſt Chriſtus qui. Pater, & ejusdem numero cum Patre eſſentiæ? Rurſus, ſi per Chriſtum nos Pater gubernat, quomodo idem Deus qui Pater, cùm Chriſtus nos per Patrem non gubernet? Quanquam perpetuò hoc urgemus, quod perpetuò omittit Smiglecius, Paulum non tantùm peculiari ratione tribuere Patri, quòd ſit Deus, & Chriſto quòd ſit Dominus, ſed cum tali additione, quæ diverſæ prorſus eſſentiæ eos eſſe arguit, vel quæ ſaltem non permittit, ut idem ſint Deus, dum Patrem appellat talem Deum, ex quo omnia & nos in illum, Chriſtum verò talem Dominum, per quem omnia, & nos per illum. Vt enim hoc de Deo dici nequit, qui talis eſt natura, ſic etiam illud de Chriſto nuſquam dicitur, nec dici poteſt.

Smiglecius ſeipſum evertit.

Quæ de loco Ioh: 17. diſſerit Smiglecius, ea omnia habentur in

libello

libello ejus, *Verbum caro factum*, & ad ea jam responsio nostra extat: Repeto tamen nunc breviter omnia. Primùm ait, *Christum hoc in loco a Patre tantùm distingui persona, non divinitate.* Sed imponit sibi & aliis, dum sub voce personæ, personam talem, qualis est, Pater, nēpe divinam, intelligit: qualis persona Christus esse nequit, nisi essentiam divinam habeat. Hanc autem habere non potest, quia ea numero una est. Cogitet autem Smiglecius, quod jam decies repeto, Christum esse personam, sed humanam: & statim habiturus est quod quęrit, nempe eum etiam esse distinctum a Patre divinitate suo modo. Nam qui persona humana est, is non potest non distingui certo respectu a Deo Patre divinitate. Negat deinde *Christum hîc considerari quantus quantus est. Quia aliud nihil de eo dicatur, quàm quod sit Iesus Christus a Patre mißus, in primo distinctam personam innui, in secundo humanam ejus naturam,* &c. Sed iterum imponit sibi & aliis Smiglecius. Fit enim mentio, præter ea, quæ hîc Smiglecius citat, ejus, quod est maximum, nempe quòd in cognitione ejus sita sit vita æterna. Hoc verò non nisi de Christo, quantus quantus est, dici potest, secundùm ipsos adversarios. Nec enim necessariam ad vitam æternam Christi cognitionem esse credunt, nisi esset Deus ille unus. Negat tertiò, particulam *solum*, distinguere Christum a Patre in divinitate, quia sequeretur, *Christum nullo modo eße verum Deum, quia solus Pater dicatur verus Deus.* Sed in hoc nihil est absurdi, si duo considerentur. 1. Patrem non simpliciter dici verum Deum, sed cum articulo, illum verum Deum. Christus enim, licet sit verus Deus, non est tamen ille verus Deus, qui sic appellatur κατ' ἐξοχὴν. 2. Vocabulum *verus*, non tantùm eum significare, qui falsis Diis opponitur, verũ etiã, qui excellentissimo modo Deus est, quod in nostra ad Monstra, & ad Verbum Caro factum, responsione fusè demonstravimus. Negat quartò, Christum dicere solum Patrem esse verum Deum, sed Patrem esse solum verum Deum. Sed & hoc commentum elumbe est. Vis enim, si aliqua est, nititur eo, quòd alius præter Patrem, sit ille verus Deus, quod nunc controversum est: Si verò nemo sit ille verus Deus, præter Patrem, nulla erit differentia inter has locutiones: Solus Pater est ille verus Deus: & Pater est solus ille verus Deus. Adde, quòd si vox *solus*, cum Deo non cum Patre jungitur, sensus ex Christi verbis manaturus sit absurdus. Nempe in eo esse vitam æternam, si quis cognoscat, Patrem esse solum verum Deum, quod quàm sit absurdum, nemo non videt. Posset enim aliquis id cognoscere, nec tamen Deo obedire, sine quo salus nulla speranda est. Sed de hoc copiosè diximus in loco citato.

Locus Ioan: 17. ab explicationibus Smiglecii vindicatur.

Negat quintò, etiamsi vox *solus*, ad Patrem referatur, eâ excludi Christum, *quippe qui non sit alius Deus, sed idem cum Patre. Cùm enim quis dicitur Solus, non excludi ea, quæ sunt idem cum ipso. Vt cùm dicitur solus Deus creasse mundum, nō excluditur sapientia & virtus ejus a creatione.* Sed hîc nihil probat Smiglecius. Falsum autem est, Christum ita esse in Deo, ut est ipsius sapientia & virtus naturalis, de quo aliàs. Christus enim persona est: At sapientia & virtus Dei persona esse nō potest, nisi tot in Deo statuamus personas, quot sunt qualitates vel attributa naturalia. Affirmat deniq; hinc colligi, Christum esse unum Deum cum Patre. *Si enim solus is dicitur verus Deus, qui est Pater, sequi, Christum nisi sit idem Deus cum Patre, non esse verum Deum. Quod si non sit verus Deus, futurum Deum impropriè, propter similitudinem cum vero Deo, ex quo tota Christi dignitas concidat.* Sed & hoc aculeo caret. Tantùm enim concludit, Christum non fore illum verum Deum, qui Pater est. quod ipsissima est veritas: Interim tamen Deus erit verus, quia vera divinitate prȩditus. Quod non nisi captiosè Deum impropriè esse, appellat Smiglecius. Non opponitur enim verum improprio, cùm tam verum esse possit improprium, quàm proprium. Sed minus excellenti modo verus Deus erit Christus, quàm est Pater, licet uterque verus sit Deus: Pater a se ipso, Christus dono Patris. In quo tota Christi dignitas consistit, de quo plura infrà, præsertim verò cap: ultimo lib: 2. De quarto loco, 2. Ioan: 3. repetit Smiglecius, quod jam ter dixerat, Christum & Patrem tantùm esse diversas personas, non autem diversos divinitate. Ad quod quia jam ter respondimus, silentio nunc illud involvimus.

Christi dignitas tota in eo consistit, quòd Deus est, patris dono.

Ex quinto loco Apoc: 5. 15. ait, *potiùs evinci, Agnum & sedentem in throno eundem eſse Deum, quia utrique idem honor deferatur.* Sed ex attributione honoris, suo modo ejusdem, agno, qui sedenti in throno tribuitur, non rectè concludi, agnum & sedentem esse eundem Deum, vel hinc constat, quòd is, qui agnus est, non possit coli, ut omnium rerum primus autor, nec ut omnium rerum ultimus finis. Talis enim nemo est, nisi solus Pater. Tribuitur igitur agno idem honor, qui sedenti in throno: sed tamen non prorsus & absolutè idem. Quemadmodum honor, qui præfecto regis tribuitur, ejusdem est generis, cujus is est, qui regi tribuitur. alioquin enim præfectus regis eum non reciperet, nec se, ut regem, tractatum agnosceret: nec tamen prorsus idem. Præfecto enim propter regem, a quo dependet ejus autoritas, tribuitur: At regi per se.

Negat autem iterū Smiglecius se principiū petere, dum ad argumenta nostra respondens, ad distinctionem naturarum confugit: sed

tantùm se ostendere ait nihil esse, quod ad eam expositionem scripturarum, quam nos urgemus, cogat, *cùm alia via, secundùm doctrinam Catholicam, & multò melius Scripturæ explicari possint.* Vide candide lector, in quas se angustias cōjectum fateatur Smiglecius. Principium petere negat esse, si secundùm doctrinam Catholicam distinctionem afferat ad argumdnta nostra solvenda. At si istam distinctionem ego argumento isto meo petam, quid, quęso, aliud est, quam rem incertam ad rem incertam comprobandam vel obtinendam afferre? Hoc verò si non est petitio principii, certè aliquid est multò intolerabilius. Pro principiis scilicet in religione obtrudere, quod est commentum Ecclesiæ Romano Catholicæ, & nullo sacrarum literarum nititur fundamento. Quo vix nulla major potest esse audacia & iniquitas.

Smigleciū principium petere docetur.

Pudeat igitur Smiglecium, qui cum alia ratione non posset nostram sententiam exosam reddere, hoc ei objicit tantùm, quòd discursu solùm nitatur & consequentiis. Nam quia id, de quo sermo nobis est, non est per se & absolutè ad salutem necessarium, non necesse est id alio modo probari. Quanquam consequentiæ ita sunt evidentes, ut pro ipsis scripturæ verbis haberi possint. Dum enim Christus homo appellatur, negatur omnino, eum esse naturâ Deum, & ita constat, eum, licet Deus sit, non esse tamen eundem Deum cum Patre. Hic enim nec homo est, nec esse potest. Pudeat autem eum multò magis dicere, quòd ideò nostram deductionem rejiciat, quia cum doctrina & traditione Apostolica non consentiat. Cum doctrina enim Apostolica ita consentit, ut ex ea sit prorsus petita: cum traditione autem, quam vocat, Apostolica ut consentiat, opus non est: imò si cum ea consentiret, jam erroris facilè convinci posset. Acquiescendum igitur est in scripturis & deductionibus ex illis depromtis in rebus ad religionem pertinentibus: & cavendum sedulò, ne sub specie traditionis Apostolicæ, patiamur nobis ipsam eripi doctrinam Apostolicam, quod ecclesia Pontificia jampridem effectum dedit, & hodie effectum dare maximopere satagit. Hæc enim imposturarum ferè maxima est, non acquiescere in sola doctrina Apostolica, sed ad eam traditiones, (si Deo placet) Apostolicas adjicere, & ita homines dementare.

Caput IV.

Omnibus Scripturis, quæ de uno vero Deo testantur, admissis, tamen Christum unum cum Patre Deum non esse, ostenditur.

REPETIT hic primùm Smiglecius argumentum suum, quod & antea & nunc aliquoties prostratum est: Argumentum est: Quia unus tantùm secundùm scripturam est verus Deus, sequitur aut Christum Deum verum non esse, aut esse eundem illum Deum qui Pater. Responsio est. Neutrum horum sequi. Nam eadem scriptura dicit etiam, quòd solus Deus sit beatus & immortalis, nec tamen sequitur, aut angelos & homines fideles beatos & immortales non esse vel futuros, aut esse eundem illum Deum. Vt enim Deus unus vel solus beatus & immortalis dicitur, non absolutè, vel non quòd talis sit solus, sed quòd solus & unus tali modo sit beatus & immortalis, quo nemo vel angelorum vel hominum beatus & immortalis est aut futurus est. Deus enim a se ipso talis est; reliqui verò a Deo: ita etiam Deus solus vel unus verus Deus dicitur, non absolutè, vel quòd sit talis solus. sunt enim omnes veri Dii, quos Deus Deos constituit: sed quòd tali modo sit verus Deus, quo nemo, nec ipse Christus, Deus verus est. Deus enim ex se ipso Deus est: Christus Deus est ex Deo, idque ex gratia.

Quo sensu Deus sit unus.

Hanc nostram responsionem directam & solidam variè tentat Smiglecius. Sed frustra. Primùm ait, nos non sine summa temeritate Deos veros appellare eos, qui a Deo tales sunt constituti. 1. Quia scriptura nusquam eos veros appellet. 2. Quia soli uni Deo, veri Dei nomen in sctiptura tribuatur. Ego verò contra ad prius: Eo né deventum est Smigleci, ut ideo aliquid rejicias, quia id scriptura expressè non dicat, qui tamen unâ cum tuis talia non pauca esse gloriaris, quæ credenda sunt, etiamsi in scripturis expressa non sint, modò ex illis deduci possint? Dicimus igitur, etiamsi in scriptuta vox ista *verus* de aliis præter unum Deum, tam cœlestibus quàm terrestribus non prædicetur, tamen hinc non sequi, eos non esse & appellari non posse veros Deos. Prædicantur enim ea de illis, quæ omnino evincũt, eos esse veros Deos, quod antea copiosè a nobis demonstratum est. Deus enim in medio illorum stetit, Deus illos filios altissimi appellavit, Deus ipsorum Deus est. Quomodo igitur non sint veri Dei?

Vera etiam sunt, quæ ex sacra scriptura deduci possunt.

Cur alii extra unum Deum veri sunt Dii.

Quod verò soli uni Deo, veri Dei nomẽ in scriptura tribuitur, in promtu causa est, quòd excellentissimo modo uni soli Deo competat, esse

Cur Deus unus, verus dicatur.

tat,esse verum Deum.Nam quæ alicui potissimùm competunt,ea ipsi soli competere jure dici potest. Præterea jam antea docuimus,vocem *veri* opponi non tantùm rebus falsis,sed etiam imperfectis.Quo sensu tabernaculum cœleste verum; ii, qui in Christi sermone manent,verè discipuli,Evangelium, veritas: caro & sanguis Christi, verè cibus & potus appellantur,respectu non falsarum sed minùs perfectarum rerum, nempe tabernaculi terrestris, discipulorum, qui tantùm doctrinam assentiuntur,legis vel cultus illius externi & Ceremonialis, aliarum denique confirmationum,quæChristi mortem antecesserunt, & causa sunt fidei,licet non ita potens. Heb: 8. 2. Ioan: 8.31. Ioan: 1. 17. Ioan: 6. 55.

Hoc dum ita explicamus, Smiglecius ait, *nos tenebris rem involvere.* Cur verò? *Quia*, inquit, *scriptura, cùm ait Deum verum eße unum, nullam tunc mentionem faciat summi Dei, sed tantùm veri Dei, & ita non tantùm summum Deum, sed etiam verum Deum esse unum.* At quis non videt, nostram explicationem esse veritatis e tenebris eductionem? Cùm scilicet quod dicimus, tale sit, ut a nemine repudiari possit, ut pote quod similibus sacrarum literarum loquendi formulis nitatur. Neque verò sequitur,per verum Deum non intelligi summum,quia scriptura tunc, cùm de Deo vero loquitur, summi Dei mentionem non faciat, eo modo, quo vult Smiglecius, ut scilicet dicat simul & semel de vero & summo Deo.Satis enim est ad id,ut constet,scripturam, cum de veroDeo loquitur, de summo Deo loqui,tum quòd voci *vero* additus est in græco articulus. hic enim excellentiæ nota est; tum quòd vox *verus* perfectum & excellens aliquid, significare, & rebus imperfectioribus vel minùs excellentibus opponi soleat. Itaque jam frustra me interrogat ampliùs Smiglecius, unde colligam, scripturam, cùm Deum verum esse unum docet, de summo id Deo intelligere. Iam enim habet alia a me ipso expressa, unde id colligā. Quanquam & illud, quod pro me affert Smiglecius, firmum est, ad veritatem hanc ostendendam. Quia enim alibi idem Deus Pater, qui semel solus verus Deus appellatur, *unus* Deus, ex quo omnia, & nos in illum esse dicitur, parumné liquet, Deum illum verum esse, illum Deum, ex quo omnia, & proinde summum? Quod verò hæc diversa esse ait Smiglecius, id falsa vocis *veri* explicatione totum nititur. Verum enim, & perfectum vel summum esse, idem sunt, ut modò docuimus. Et sic etiam id expedivimus, quod a me postulat Smiglecius, ut doceam, quomodo summus in vero concludatur, apparetq; hinc, non per accidens Deum verum esse summum, sed tacitè in verbis veri Dei contineri Deum summum, si scilicet significatio vocis *veri* admitatur, quam ego ostendo, & quæ non potest non esse verissima. Per verum Deum intelligi summū.

Sed nunc illud removere etiam conatur Smiglecius, quod ab initio capitis dixi, & in responsione mea crebrò dixeram, ea ratione Deum solum esse verum, quo Deus solus est beatus & immortalis, & quo Christus solus est Magister, etiamsi alii etiam beati immortales, & magistri nostri sint. Deus scilicet modo excellentissimo: reliqui modo minùs excellenti. Removet autem id ita miserè, ut victum se esse agnoscere posset, si vinci vellet. Ait enim, *Deum non dici solum verum Deum propter excellentiam majorem, sed propter veritatem. Deum enim verum appellari respectu idolorum, quæ sunt omnino falsi Dii, & nullo modo Dii.* Hoc verò quid aliud est, quàm nugatio? Quasi scilicet aliud sit veritas, quàm excellentia, cùm dicitur, Deum solum esse verum; & quasi non docuerimus, verum opponi etiam minùs excellentibus. Deum autem propter idola *præcipuè* verum appellari, nonné causam Smiglecii prodit? Non tantùm enim præcipuè propter idola, sed propter idola tantùm necesse, esset Deum appellari verum Deum, si alicujus momenti esse deberet ratio Smiglecii. Iam si præcipuè ptopter idola Deus ita appelletur, tacitè conceditur, quod ipsa etiam res est, propter alia etiam Deum appellari verum Deum, nempe qui minùs excellenti modo Dii sunt, quàm Deus ille unus. Instantia verò de creatore cœli & terræ quàm inepta est? Cùm enim non detur alius cœli & terræ creator, præter unum Deum Patrem, ipsa ratio docet, Deum ita appellari non posse propter excellentiam, quâ alios creatores superet: Quia verò alii veri Dii dantur, eadem ratio suadet, unum Deum Patrem, verum appellari propter excellentiam, quâ alios veros Deos superat. Et est hæc argumentatio nostra fortior, quàm ut a Smiglecio infringi queat: Aut negandum est, omnes, qui Dii dicuntur in sacris literis, esse veros Deos: aut confitendum, Deum unum Deum verum appellari propter excellentiam. Quia verò prius falsum est, posterius verũ esse relinquitur.

Veritas & excellentia idem sunt in sacris literis.

Firmum etiam & hoc manet, Deum lusisse, si Dii veri non essent, quos ipsemet Deos appellavit. Nec per id, quod Smiglecius cavillatur, everti potest, *Christum etiam Apostolos lucem mundi, sal terræ, & civitatem supra montem positam, & Paulum Christum petram & lapidem angularem nuncupasse, cùm nec Apostoli sint vera lux, sed metaphoricè, neque Christus petra, nisi figuratè.* Eâdem enim hîc falláciâ vel potiùs ignorantiâ utitur Smiglecius, quâ in priori suo scripto. Qui scilicet opponat verum figurato vel metaphorico, cùm nemo nesciat, tam verum esse metaphoricè quàm propriè de scriptum. Et certè lusisset Christus & Paulus, si ille Apostolos lucem mundi, sal terræ, & civitatem supra montem positam, hic verò Christum petram & lapidem

Figuratè dicta, sunt etiam vera.

lapidem angularem nuncupasset, & Apostoli non essent vera lux mundi, verum sal terræ, vera civitas in monte posita, & Christus non esset vera petra, & verus lapis angularis. Videat, qui velit, quæ mihi molestia devoranda sit in hac responsione. Nihil enim in toto hoc capite dictum est a Smiglecio, quod antea non sit copiosè a me capite secundo responsionis prioris refutatum.

Sed persequor reliqua. Rationem iterum affert, ut ait, evidêtem Smiglecius, quæ talis est: *Qui dicuntur Dii solum propter similitudinem & participationem non sunt veri Dii, sed solùm is, qui naturam Dei habet, dicitur verus Deus.* Sed quis hoc Smiglecio concesserit, præsertim si significatio vocis *veri*, jam non semel indicata & comprobata attendatur? Sed ratio subsequitur: *Similitudo enim, quæ est in aliquibus tantùm proprietatibus, non in essentia, non facit rem esse veram, sed similem rei veræ.* At hæc ratio tanti prorsus est ponderis, cujus præcedentia verba erant. Falsum enim est participationem in aliquibus proprietatibus, non in essentia, non facere rem esse veram, sed similem rei veræ. Tam enim vera res est, in qua participatio vel simile alterius est, quàm ea, cujus participatio vel similitudo in alia est, licet modo minùs perfecto. Vt, exempli gratia: tam est vis illustrandi mundum in Sole vera, quàm in Deo, licet in Deo sit modo longè excellentiori, quàm est in sole. vel, ut ex S. literis petito utar exemplo: tam verè redemit populum Israëlis ex Ægypto Moses, quàm Deus. Tam verè servat is, qui alios docet, quàm Christus: licet modo excellentiori Deus id fecerit & faciat Christus, quàm vel Moses fecit, vel is, qui alios docet, faciat. In simili quomodo insit etiam veritas.

Porrò quod additur, unamquamque rem veram dici a sua natura & essentia, & illustratur exemplis veri hominis & veri auri, id nihil ad rem facit. Non enim eo sensu accipi potest vox *verus*, quando de homine vel auro usurpatur, quo accipi potest, cùm de Deo dicitur, hoc est, non potest vox *verus*, perfectionem vel excellentiam denotare, ut eam denotat, cùm de Deo prædicatur, nec ullum datur inter aurum & aurum analogia, qualis datur inter Deum unum & alios Deos.

Quod ipse tandem Smiglecius agnoscit, sed parùm rectè & constanter. Cùm enim Christus lux vera dicitur, id ideò fieri sentit Smiglecius, quia id præstet spiritualiter, quod lux corporea corporaliter. Sed hæc explicatio tantùm vocē lucis explicat, non autē vocē *vera*. Sic enim alibi etiam, ubi Christus simpliciter lux appellatur, id accipiendū est. Vox autem *vera*, Ioan: 1. 9. eodem modo accipitur, quo Ioan: 17. 3. quando de Deo prædicatur: Christus enim vel Sermo ap- Quomodo Christus sit lux vera.

pellatur

pellatur lux illa vera, respectu Ioannis Baptistæ, de quo Christus i-
Ioan: 5.35. psemet dixit, eum fuisse lucernam lucentem & ardentem, Christus verò respectu illius fuit vera, hoc est, secundùm excellentiam lux, quia scilicet omnem hominem, quando in mundum venit, illuminavit, quod de Ioanne Baptista dici non poterat. Vnde etiam ista analogia egregiè confirmatur, quam nimis ineptè paulò inferiùs restringit Smiglecius.

Pergit autem intricare veritatem Smiglecius, dum ait, *metaphoricam veritatem ad rem nihil facere.* Nec enim ideo veritas est metaphorica, quia metaphoricè describitur: Sed tam est vera, quàm quæ propriis verbis describitur. Ratio verò quam addit, infirma iterum prorsus est: *Si,* ait, *nomen veri cum vocibus propriis non metaphoricè acceptis jungatur, non nisi ipsam rei naturam significat, & quia vox Deus, non sit metaphorica, sed propria, particulam verus illi additam, ipsam Dei naturam significare necesse est.* Sive enim vocibus propriis, sive metaphoricè acceptis jungatur vox *verus*, si constet, per eam designari excellentiam sæpenumero, jam apparet, non necesse esse ipsam rei naturam per eam significari. Vt cum jungitur vocibus tabernaculi, discipulorum, & adoratorum, certè vocibus non metaphoricè acceptis sed propriis jungitur: & tamen non naturam rei, sed excellentiam ejus significat. Quanquam etiam parùm rectè dicitur, vocem Deus esse propriam. Est enim appellativa, ut loquuntur, & non naturam sed potestatem ejus, de quo prædicatur, per se & vi suâ, significat, de quo in capite sequenti.

Objectum meum impertinens appellat, quòd dico, *verum* interdum opponi non falso sed imperfecto, & proinde Deum unum solum verum appellari, quia solus sit perfectissimus, licet etiam alii sint veri Dii, modo minùs excellenti, & ait: *Hoc modo angeli non poterunt dici veri Dii, cùm imperfectè sint Dii, & Christus, qui secundùm nos non sit perfectè Deus, non erit verus Deus.* Sed primùm ineptè objectum meum appellat, quod ego docendi causâ dico, & pro responsione affero. Deinde non valdè ad rem pertinens ipsius est responsio. Id enim pro re absurda affert, quo nihil est verius, nempe nec angelos nec Christum esse verum illum Deum, qui sic appellatur secundùm excellentiam, licet veri sint Dii modo minùs excellenti.

Rursus mihi puerile & stultum objectum affingit, quasi scilicet dicam, si angeli sint metaphoricè Dii, sicut homo pictus ob exteriorem formæ similitudinem homo dicitur, consequi, angelos dici Deos pictos. Quod nunquam mihi in mentem venit. Nam nihil ego hîc objicio, sed responsiones Smiglecii futiles esse ostendo, qui dicit, tam esse

esse Deum, qui propter similitudinem Deus est, ut homo pictus, homo est. Hujus assertionis futilitatem ego sic repello: consecuturum etiam, angelos esse Deos pictos. nam & illi non sunt Dii ob naturam, & tamen Dii appellantur. Videat igitur, an non sophistam & calumniatorem strenuum agat, Smiglecius, ut alibi plærumque, sic etiam hoc in loco.

Denique id, quod de analogia dixi, petit, dum ait: *Analogiam in illis esse, quæ non sunt verè talia, dicuntur tamen talia, quia referuntur ad id, quod est tale, quodque est causa aliis, ut dicantur talia*, idque exemplo, quando animal dicitur sanum, & alia sana, quæ ad sanitatem animalis referuntur, declarat. Sed quàm insufficiens de analogis is sit discursus, judicent Logici. Opponam autem hîc scholasticorum regulam unam atque alteram de analogis, quarum una est: Analogum quod dicitur ab uno, non significat naturam aliquam diversam ab analogatis, sed proximè significat omnia analogata, unum tamen principaliter, alterum prout pendet ab alio. Altera. Analogum per se positũ, stat pro suo significato famosiori, hoc est, κατ᾽ ἐξοχὴν sic dicto. Vnde constat, quàm frivolè de analogis disserat Smiglecius, & quàm ea, quæ nos dicimus, sint vero consentanea. Satis est enim, nunc id dicere, quod viri artis Logicæ peritissimi & hac in re minimè suspecti pro exemplo analogiæ afferant, quando vox Deus tribuitur jam Deo, jam magistratibus. Vt enim Deus se habet ad universum mundum, ita quodammodo magistratus ad suam ditionem aut subditos, per quod sententia nostra mirum in modum confirmatur. De analogis.

Caput V.

Dei nomen non proprium sed commune, & potestatis non naturæ esse docetur.

TUMULTUATUR hîc Smiglecius, & Theologorum cum Augustino promit definitiones de Deo, adeoq; ipsius Mosis & Ethnicorum Phisophorum, qui scilicet in illis definitionibus non potestatis duntaxat, sed præcipuè essentiæ & naturæ divinæ meminerint. Sed frustrà prorsus. Nemo enim nostrum est, qui neget, eum, qui voce Dei describitur, esse Deum essentiâ & naturâ; et tacitè nos calumniatur Smiglecius, dum id nos negantes facit: Sed dicimus, vocem *Deus*, in Latino & Græco sermone, quâ supremum illud numen describitur, non significare vi sua, istius numinis essentiam, sed ejus potestatem. Eadem enim vox *Deus*, aliis etiam, qui non sunt

Cur vox *Deus*, pro cõmuni censenda.

sunt illud supremum numen, competit. Hæc impugnet Smiglecius, si sententiam nostram evertere velit. Vnde etiam constat, frustra porrò a Smiglecio negari, vocem *Deus* esse nomen commune. Nam si aliis etiam competit, jam proprium Dei esse nullo modo potest. Multis enim competere, & uni proprium esse, contraria sunt. Deo autem summo tanquam proprium tribuitur; & Deus is unus esse dicitur, quia soli Deo perfectissimo modo competat. Quod alii etiam Theologi Trinitarii sponte sua agnoscunt. Quæ de analogia iterum scribit Smiglecius, ad ea jam antea responsum est. Nunc hoc repeto, quod aliquoties in priori responsione annotâram: nimis captiosè dici, ita competere vocem Dei illis, qui sunt extra Deum unum, ut nomen hominis competit homini picto vel ficto. Nulla enim est inter hominem pictum vel fictum analogia, qualem omnes eruditi agnoscunt inter Deum unum & Deos alios cœlestes & terrestres.

Cur tãquam propria usurpetur.

Sed ratione etiam ostendere vult idem Smiglecius. Sic enim ait: *Cùm nomen aliquod alicui per se competit, aliis verò propter relationem & respectum ad ipsum, est censendum proprium illius nomen.* At hanc propositionem cur non comprobavit Smiglecius? Hinc enim tantùm elicitur, quod ipsemet Smiglecius in rationis suæ distinctione aliquoties infert, nomen Dei primariò Deo uni competere, reliquis secundariò. Quod longè est aliud ab eo, de quo nunc sermo est. Potest enim alicui aliquid competere primariò, & tamen non propriè: Imò ex eo ipso, quòd aliis secundariò nomen aliquod competit, necessariò sequitur, nomen illud non esse proprium alicujus. Posse autem id, quod primariò alicui competit, haberi pro proprio, licet revera non sit, facilè concedimus.

Sed adhuc Smiglecius urget suum conatum. Dicit enim, *dato eo, quòd nomen Dei potestatem significet, necesse tamen esse, ut nomen Dei proprium sit solius Dei. Quia non quæcunque potestas Deum faciat, sed summa, & superiori potestati non subjecta. Sicut non quæcunque potestas regem facit, sed regia, hoc est summa, & quæ potestati superiori in regno non subjaceat.* Sed non probat Smiglecius, nomen Dei significare vi sua summam potestatem. Tantùm enim potestatem divinam significat. In hac verò, quia dantur gradus; & quia perfectissima ea est, quæ in Deo uno relucet, ideo illi tanquam proprium tribuitur nomen Dei. Vox Regis huc non ita quadrat. Nec enim istiusmodi analogia est inter Regem & proregem, qualis est inter Deum unum & alios Deos, quod etiam ipsa verba indicant. Nemo enim a rege præfectus, rex appellatur, ut dii a Deo constituti dii appellantur. Explodendum igitur illud prorsus est, quod aliquoties iterat Smiglecius, omnes alios, qui

Vox *Deus*, tantùm potestatem divinam significat, non summam.

os, qui extra Deum unum ſunt, impropriè Deos appellari: & ſtatuendum, omnes, quos S. ſcriptura Deos appellat, licet ſint participatione dii, tamen Deos eſſe veros, & ita ſuo modo proprios. Deum autem illum ſummum & unum, Deum appellari abſolutè, quia illud, quod aliis propriè quidem, ſed modo minùs excellenti competit, modo illi omnium perfectiſſimo competat, adeoque proprium hujus nomen cenſeri, non tamen eſſe.

Caput VI.

Chriſtum, etiamſi ſit Deus, ſuo modo dependens & ſubordinatus, eſſe tamen verum Deum oſtenditur.

CùM Smiglecius diceret, Deum dependentem non eſſe Deum verum, & proinde nec Chriſtum, reſponderam ego dupliciter. 1. eſſe dependentem etiam Deum verum Deum, quia Deus ſit Deorum dependentium Deus. Deum autem non eſſe Deum, niſi verorum Deorum. 2. Chriſtum non eſſe abſolutè dependentem, quia ſcilicet in uſu poteſtatis a nemine dependeat. Smiglecius primum argumẽtum ſuum repetit, ut verboſitate lectorem detineat, & novum ſe aliquid ſcribere ei perſuadeat. Ad quod quia reſponſionem noſtram jam modò repetiimus, non eſt quòd reſpondeamus amplius. Videamus autem quomodo utramque noſtram impetat. Et priorem quidem ita aggreditur, ut iterum neget, eos eſſe veros Deos, qui extra unum Deum dii ſunt in ſcripturis appellati. Quia tales ſint participatione, & nos ſolos Racovienſes ait id audere affirmare, quòd Angeli & homines, quos Scriptura Deos appellat, ſint veri Dii. Ego verò cur repetitione unius & ejuſdem rei me ipſum & alios morer, cauſam nullam video. Itaque lectori prudenti judicandum relinquo, an non victus ſit a veritate Smiglecius, dum nihil præter ea, quæ ſemel dixerat antea, dicere potuit. Dico breviſſimè: Malè opponi abſolutè vero Deo eos, qui participatione ſunt dii. Tam enim hi veri ſunt dii, quàm ille eſt: Participatio enim non veritatem divinitatis tollit, ſed imparitatem divinitatis tantùm denotat. Veritas autem divinitatis in vera poteſtate divina conſiſtit. Participatione Dii, ſunt etiã veri Dii.

Annoto autem Smiglecii dictorum repugnantiam. Semel ait, nos audere omnia, quia dicamus, eos, quos ſcriptura Deos appellat, veros Deos eſſe: iterum dicit, me, ubi reſpondendum erat, mutum eſſe. Id verò, ad quod reſpondendum mihi erat, aliud nihil eſt, quàm non veros eſſe Deos, qui ſint dependentes, teſte ipſo Smiglecio. Ad

hoc porrò quomodo non respondeo, dum, teste eodem Smiglecio audeo dicere, omnem Deum dependentem esse verum Deum, licet tandem falsa dicerem? Sic scilicet alium insequens, sui oblitus est Smiglecius.

Dependentia Christi à Patre quatenus concedenda.

Alteram verò responsionem meam prolixè etiam petit Smiglecius, dum probat, Christum & olim, cum in terris degeret, a Patre suo dependisse, & nunc dependere etiam absolutè. De priori non est quod controvertamus. Hoc enim nos sponte nostra concedimus, & hinc invictum adversus Smiglecium argumentum petimus, quia Christus a Patre suo dependerit, eum non esse illum Deum, qui Pater est. Nam si idem Deus, qui Pater, fuisset, a Patre dependere nullo modo potuisset, quippe qui, quoad personam suam divinam, eadem polleret divinitate, quâ Pater. Sed de hoc aliàs. Christum verò nunc a Patre dependere in usu etiam potestatis, probat eo, quòd vultui Dei pro nobis appareat, pro nobis interpellet, & ad vocatum nostrum apud Patrem agat, & pro nobis offerat. Sed quàm sit jejuna ista responsio, dici vix potest. Nam si Christus ad dexteram Dei sedet, hoc est, si supremam post Deum potestatem habet, imò si loco Dei ita regnat super populum suum, ut pater neminem judicet, quis non videt, omnia ea, quæ hîc recenset Smiglecius, de Christo dici impropriè? Nam orare propriè, & omnia facere posse propria potestate, prorsus sunt contraria. Quæ nunc prolixiùs non persequor, quia id jam præstitum est a me in mea priori responsione, & infrà iterum aliquoties dicendum erit. Tantùm hoc iterum indico. Cessit non quidem perpetuò, sed ad tempus, Deus ille summus imperium, non omne, sed supra populum suum Iesu Christo, ad testificandam suam divinam potentiam & bonitatem, ac proinde ad amplificandã suam gloriam, & ad perfectissimo modo stabiliendam humani generis spem & fidem.

Quomodo, quale, & cur imperium cesserit Deus Christo.

Quæ Smiglecius hîc interserit de potentia Christi creata & increata, ea dici ab illo non debuisse, ipsemet rectiùs intelligit, quàm ego exponere queam. Ea enim affirmat, quæ nos nec recipimus, nec recipere tenemur, quamdiu ab eo non comprobantur, quod nunquam facere poterit, nempe Christum esse naturâ Deum & hominẽ.

Judicare, est regere.

Dignus est autem reprehensione Smiglecius, qui, ut locum Ioan: 5, 22, elevet, ait, aliud esse Iudicem, aliud Dominum esse. Quis verò nescit vocem judicandi apud Hebræos æquipollere voci regnandi & dominandi? Hinc judices illi dicebantur populi Iudaici, qui eum regebant & ei dominabantur. Hinc Christus qui semel judex mortuorum & vivorum dicitur, alibi dominari illis dicitur.

Act: 10.42. Rom: 14. 9.

In loco

In loco porrò 1. Cor: 15. ubi Christus dicitur subjectus futurus ei, qui ei omnia subiecit, unde constat, eum nunc suo modo non esse subjectum, & ita non dependentem, explicando, quantumvis prolixus sit Smiglecius, nihil tamen dixit, quod vel cum veritate conveniat, vel saltem ad rem faciat. Semper enim, admissa etiam explicatione Smiglecii, firmum stat & immotum, Christum nunc quodammodo non esse subiectum, adeoq; non dependentem, si olim subjectus futurus est. Explicatio autem ideo indigna est, quæ recipiatur, quia sine petitione principii, vel affirmatione ejus, quod est in controversia, nihil dicere potest Smiglecius. Iam si constaret, de Christo quædam dici, quâ Deus, quædam, quâ homo est, quid opus esset hac controversia? Et tamen ægrè fert Smiglecius, hoc ipsi a me objici. Quodsi demas ex ipsius libro, nihil superest, præter sonum. Et certè prꝺstat nostra causa Smiglecii causę, ut aliis rebus omnibus, sic etiam hac, quòd nihil unquam dicamus, vel saltem dicere conemur, in explicandis locis vel argumentis nostris formandis, quod non apud ipsum etiam adversarium sit loco principii. Quantum autem tribuendum sit explicationi Smiglecii, vel hinc etiam constare potest, quòd, contra expressa Apostoli verba, dicat, Christum tunc etiam regnaturum, cùm regnum suum tradiderit, & subjectus futurus est, idque isto modo, *quòd, ut Deus clara sui visione homines felices beatosque redditurus sit.* Quæ, præterquam quòd in sacra scriptura nusquam extant scripta, nihil etiam cum regno propriè accepto, commune habent. Christus enim suos fideles beatos reddet tunc, cùm eos, ex mortuis resuscitatos, ad Patrem suum deducet: clara autem ipsius visione, etiamsi hoc tandem concedamus, istam beatitatem tantùm augebit. Regnum autem, propriè loquendo, requirit, ut is, qui regnat, aliis dominetur. Quod quomodo, quęso, fieri poterit, si quidem unâ cum Christo fideles ejus regnaturi, & in throno illius sessuri sunt? Vt enim nunc Christus Patri subjectus non est suo modo, quia in solio Patris sedet, & unâ cum Patre regnat: ita etiam tunc fideles suo modo subiecti Christo non erunt, adeoque non regnabit super illos Christus, quia in ipsius solio sessuri sunt, & unâ cum eo regnaturi.

Cur Christus nō sit dependens à Patre.

2 Tim. 2. 12. Rom. 8. Apo: 3.21.

Carpseram ego, quòd Smiglecius, probaturus, Christum nunc esse ministrum Dei, locum adduxerat Heb 8. in quo Christus sanctorum tantùm minister dicitur. Hunc errorem cùm agnoscere deberet, dicit, me vim hujus testimonii evadere voluisse, & affirmat denuò, *Paulum per modum summi Pontificis Christum vocare ministrum, summum verò Pontificem Dei ministrum esse, neminem dubitare.* At verè evadere voluit Smiglecius hac sua sophisticatione, non tamen evasit.

Christū Dei ministrū non appellari, Heb: 8. & cur?

Nec enim probavit, quod astutulo incumbebat, Christum Dei ministrum appellari ab autore illo. Aliud enim est, eum fuisse ministrũ Dei, qui olim sub lege fuit summus Pontifex, & minister sanctorum: & aliud, Christum, cujus ille fuit typus, appellari Dei ministrum: Imò necesse est, Christum non esse ministrum Dei suo modo, si sanctorum talis minister esse debet, qualem eum esse credimus, hoc est, qui possit nos potestate sua divina, quæ jam ipsius propria facta sit, ex morte liberatos, in vitam æternam transferrre. Hoc enim non ministri, sed Domini sanctorum est. Minister autem appellatur impropriè, ut etiam sacerdos, quatenus scilicet potestas illa, quæ nunc in eo residet, non ab æterno in eo resedit, sed certo tempore certa de causa donata illi est a Deo. Eatenus enim tantùm Christus & minister est sanctorum, & Sacerdos, & eatenus omnia sacerdotis legalis munia obire dicitur. Quod jam aliquoties demonstratum est, & infrà fusiùs demonstrabitur.

Caput VII.

Christum pro vero Deo colendum esse, etiamsi non sit idem Deus cum Patre.

Cur Christus colendus, etiamsi non sit idem Deus, qui pater est.

HOc ex apertissimis S. literarum testimoniis constare, docuimus in responsione nostra. Nam Deus vult filium ita coli, ut se ipsum. Ergo pro Deo vero. Deus enim aliter coli non potest. Vult autem coli filium, cui dedit, & dedit certo tempore omne judicium. Ergo vult coli eum, qui non sit idem Deus qui ipse est. Deus enim non colitur ob datum sibi omne judicium. Deus vult omne genu flecti in nomine Iesu, quod est, Iesum pro vero Deo colere, idque in nomine ejus, cui nomen, quod est super omne nomen, donavit. Ergo in nomine diversi a se. Nam Deo nihil donari potest. Et horum sunt permulta in S. literis. Smiglecius quid ad hæc? Absurdissimum hoc & *omnibus scripturis* contrarium esse ait. Quomodo verò id probat? Adducit loca ex V. Testamento, in quibus dicitur, quòd unus Deus sit, isque colendus, eiq; serviendum, & ex N. Fœdere quędam, in quibus unius Dei fit mentio. Sed hæc loca non sunt omnes scripturæ, ut ait Smiglecius. sunt enim particula earum minima. Non pauciora verò loca ex N. Fœdere adduci possunt, in quibus Christi etiam distincti a Patre, ita ut ei cultus divinus debeatur, fit mentio. Nam ea ipsa loca, ubi dicitur, Deũ esse unum, dicunt etiam, quod suo more, non sine dolo omisit Smiglecius, Vnum esse Dominum, ut in

1. Cor:

1.Cor:8.& Ephes:4.videre est:& preter ea infinita sunt alia,in quibus tum expresse dicitur, tum evidenter ex illis colligitur, Christo etiam esse serviendum, illum adorandum & colendum, quæ antea recensui. Deinde inprimis notandum est,nullum locum ex N.Fœdere adductum testari, unum *tantùm* Deum colendum esse, sed tantùm testantur, Deum unum colendum. Iam verò sive immediatè Deus colatur, sive mediatè, semper tamen unus Deus colitur; nec mutat modus colendi Deum cultum illius.

Nullus N.F. locus affirmat, unũ tantùm Deum colendum esse.

At ait Smiglecius: *Lex nova primum & maximum mandatum non potest evertere. Christus enim non venit, ut Legem solveret, sed adimpleret.* Ad hæc jam antea responsum fuerat, quod nunc repetere cogor ob importunum Smiglecium. Non evertit Christus præceptum de uno Deo colendo. Nam idem etiam hodiè durat: Imò hoc nos urgemus perpetuò, eundem Deum hodie colendum esse, quem olim fideles coluerunt. Sed modus tantùm id exequendi immutatus est. Hoc autem licuisse & decuisse, quis non videt? Antea Deus colebatur immediatè: nunc mediatè, nempe per Christum, qui modus modo illo longè est augustior. Exemplo rem illustro: Tempus erat, cùm solus Pharao pro gubernatore regni Ægypti agnosceretur: Successit deinde aliud temp⁹, quando unà cum Pharaone Iosephus etiam pro gubernatore regni istius agnitus fuit. Iam quæro, num tempore Iosephi eversus fuit honor regis Pharaonis? Certè id nemo dicere audebit. Mutatus enim tantùm fuit modus vel ratio honoris, qui Pharaoni tribuebatur. Et ut tunc nemo quicquam ea in re absurdi vidit: sic etiam in hoc Christi regno, quod a Patre habet & nunc administrat, nihil absurdi esse, quivis non pertinax videre potest. Imò hoc exemplũ,&alia,quæ dari possent prophana etiam, totũ hoc de Christi exaltatione negotium ita illustrare possunt,ut,quicquid vel a Smiglecio, vel ab alio quovis afferri potest ad hoc elevandum, per illud dilui & rectissimè intelligi possit. Tempus erat, cùm solus Deus regnaret in cœlis: Visum est huic Deo,admittere ad regni sui participationem Iesum Christum, qui saluti populi divini præfectus esset, usque ad instaurationem omnium rerum, ut D.Petrus loquitur. Quid hic absurdi? quid vel S.literis vel rationi contrarium? vel potiùs, quid Deo dignius,& hominibus utilius, & ad consolationem eorum magis pertinens, fieri unquam potuit?

Præceptum legale de uno colendo non eversum.

Act:3.21.

Non dissimulandum est autem, quàm frigidè Smiglecius concludat, hodie etiam Deum unum *tantùm* colendum esse, ex eo, quòd Christus de eo, qui præcepta legis, quorum unum est de Deo uno colendo, se servasse dixerat, prædicat, eum non procul abesse a regno cælorum.

Smigl: error: ingens castigatur.

cælorum. Hæc enim Christi oratio contrarium ejus, quod vult Smiglecius, continet. Nam qui nō procul abest a regno cælorum, is nondum est in regno cælorum. Quapropter etiam hunc suum lapsum dolo suffulsit, dum pro eo, quòd Christus dixit, *Non procul abes a regno cælorum*, ipse dicit, *eum proximum regno Dei fuiße*. In regno autem cælorum hodie is demum est, qui unum Deum colit eo modo, quo hodie vult coli, nempe & immediatè, ut olim sub V. Fœdere, & mediatè per Christum. Et quemadmodum pro rebelli habitus fuisset, qui, cùm Sigismundum regem antea solum regio honore affecisset, postea unâ cum Sigismundo Augustum regio honore afficere noluisset: sic etiam hodie is non verus Dei cultor est, qui unâ cum Deo uno nollet Christum etiam a Deo exaltatum divino honore afficere. Et si Trinitarii non agnoscerent, Christum hominem divino honore afficiendum esse, indigni essent, qui Christianorum titulo gauderent: Quia verò id faciunt, licet alio modo, quàm veritas divina requirit, ideo Christianorum titulo ob hanc opinionem privari non possunt, sed ut errantes moneri debent. Et hæc causa est, cur præstet esse Trinitarium, quàm Arianum, si tales fuerunt Ariani, qui divinum Christo honorem negârunt, vel semijudaizantem.

Sed concedit Smiglecius tandem, Christum cum Patre esse colendum: negat autem hoc nunc agi, sed *an colendus sit Christus ut unus Deus, vel an ut alter Deus. Hoc nos, illud Pontificios affirmare.* Ego verò accuso Smiglec: otiosæ ejusdem rei repetitionis. Nonné enim idem re ipsa suprà ad nauseam usque cap:3. egerat, & me ineptè id probare dixerat, quòd nemo neget, nempe Christum esse quidem alium, sed non alium Deum vel in Deitate? Hoc enim dato, sequitur etiam, Christum etiam colendum ut alium, sed non ut alium in Deitate. Deinde respondeo iterum, si quidem certum est, Christum esse personâ diversum a Deo Patre, ita ut Christus sit persona humana, Pater divina, jam certum etiam est, Christum non ut unum Deum cum Patre, sed ut alterum suo modo colendum esse. Persona enim humana & divina ut unus Deus esse non possunt, sic nec ut unus Deus coli possunt.

Quod verò inexpugnabile contra nos argumentum esse gloriatur Smiglecius, quòd scilicet scriptura tantùm unum Deum nobis colendum proponat, unde infert, aut Christum non esse pro Deo colendum, aut pro uno eodemque Deo colendum, illud & in priori responsione & supra cap:1. ita prostravimus, ut sese attollere ampliùs nequeat, & nunc iterum ita profligamus: Scriptura N. F. nunquam dicit, unum tantùm Deum colendum esse: & etiamsi id dice-

rèt, non

ret, non tamen eum excluderet, cujus cultus necessariò ad cultum Dei pertinet, qualis est Christus Iesus. De hoc enim dictum est, quòd, qui non honorat filium, nec patrem honoret. Si ergo hodie sub N. F. Pater non potest honorari, nisi filius honoretur, parumne liquet, cultum Dei hodie nullum esse sine cultu Christi; & proinde verba de uno Deo colendo, si alicubi extarent, hodie etiam immota manere? Nam etiamsi modus colendi Deum immutatus sit, cultus tamen Dei idem est. Sive enim Pater colatur, sive Christus, semper Deus ille unus colitur. Videat igitur lector cordatus, an crepandum nobis sit, ut hujus argementi vim evadamus: nec tamen omnia repetiimus, quæ antea ad dissolvendum illud dixeramus. Smiglecius potiùs, licet nescio quid faciat, nemini sensato persuadebit, & plures esse illos, qui pro Deo colendi sunt, & illos plures esse unum Deum, & pro uno Deo colendos. In alio quidem plures, nempe in personis, in alio verò, hoc est, in essentia divina unum. Hoc enim nec in scriptura usquam extat, ut id, quod nos de colendo Filio ut Patre dicimus: nec ex ea colligi potest. Nec enim doceri potest, Spiritum S. esse personam. Quomodo igitur pro Deo colendus? nec Christum esse personam divinam. Est enim persona humana, quia homo. Duæ autem personæ in unum subjectum coire nequeunt, nisi duo Filii Dei constituantur. Personam autem humanam pro Deo uno coli non posse, omnes confitentur. Affirmat quidem Smiglecius, hoc esse proprium Christianæ religionis mysterium: sed quia falsum esse jam docuimus, non Christianæ religionis mysterium, sed corruptæ Christi religionis a spiritu Antichristi infallibile τεκμήριον esse jure dici potest. In hunc autem tam crassum & pudendum errorem nunquam incidissent homines alioquin docti & sagaces, si ex Evangelio solo sapere voluissent, & vanas Ethnicorum Philosophorum sophisticationes, ex quibus tandem crassum hoc Trinitatis dogma natum est, ut alibi a nostris demonstratum est, & brevi iterum demonstrabitur, ad Christi Evangelium pervertendum attulissent.

Cultus Christo sub N. F. ad cultum Dei complendum pertinet.

Fucum alterum meum appellat, quòd dico, si alter ille Deus, sit uni Deo subordinatus, verè dici posse, unum Deum coli. Causam videamus. *Etenim,* (ait) *si alter quoque Deus, etiamsi subordinatus, præter unum Deum summum colatur, non solùm verum erit, summum Deum in Deo subordinato coli, sed & ipsum Deum subordinatum, tanquam diversum Deum, & diverso honore, atque ob diversam divinitatem coli in se ipso. Quare simpliciter verum non esset, unum Deum coli, cùm revera plures colerentur.* Ad hoc dupliciter respondeo. 1. Etiamsi Christus ut subordinatus consideretur, & ita colatur: tamen jure dici posse, quando

Christus colitur, Deum unum coli. Dici posse ajo, Quia semper Deus colitur, sive ipse directè colatur, sive indirectè per Christum. 2. Christum dico coli non tantùm ut subordinatum absolutè, sed ut æqualem, certo respectu, Deo effectum. Itaque nihil absurdi est, si duo colantur, modò constet, hanc esse Dei voluntatem. Quemadmodum regnante Sigismundo & Augusto, uterq; regio honore afficiebatur: Et si fingamus, Sigismundum hæredem Regni Poloniæ fuisse, & filium Augustum ad regnum admisisse, vix aliquid ad hanc rem illustrandam aptius cogitari potest. Suo enim modo duo colebantur tanquam diversi: & tamen suo modo honor unius in alterius honorem cedebat, quatenus, qui Augustum honore afficiebat, hoc ipso Sigismundum, qui ad tantam dignitatem filium evexerat, honore afficiebat.

Porrò cùm ait Smiglecius, *ex hac subordinatione non sequi unitatem simpliciter, sed secundùm quid, neque unitatem essentialem sed accidentalem, scripturam verò docere, Deum esse unum unitate essentiæ, ita ut velit, non esse plures Deos essentiâ diversos*, sententiam tantùm dicit. Iam enim millies ostensum est, Deum unum dici eo sensu, quo unus vel solus beatus & immortalis dicitur. Non quòd talis sit solus, sed quia certo modo unus sit, qui nemini alii competat; ideoque posse esse plures Deos essentiâ diversos ab illo uno.

Contradictio, quam in eo esse affirmat Smiglecius, Deum dici, & esse subordinatum, tollitur per id, quòd, qui Deus est subordinatus, non sit absolutè Deus. Hic enim subordinatus esse nequit. Qui verò extra illum unum Deum Deus est, is non potest non esse subordinatus, adeò ut, quod antea non semel diximus, aut Christum Deum esse negandum sit, aut confitendum, eum esse Deum subordinatum suo modo, quatenus scilicet divinitatem a Patre concessam & donatam habet. Aliàs enim, quoad usum potestatis, non subordinatus Deo est, sed vices ipsius in Ecclesia gerit, idque ita, ut Pater neminem judicet, & filius Patri subjectus quodammodo non sit. Vnde iterum atque iterum constat, quàm insufficiens hîc sit exemplum viceregis vel vicarii regis. Is enim nunquam ita regnat, ut Rex non regnet, & ut vicerex Regi subjectus non sit sed ut potestatem a rege accepit, sic etiam in usu ejus semper a Rege dependet: Christus autem ita considerandus est in divinitate sua, ut filius, quem pater in regno hæreditario unâ secum vel potiùs sui loco ad tempus vult regnare. Christus enim, licet a Patre potestatem illam habeat, habet tamen talem & tantam in nobis servandis potestatē, qualem & quantam habet ipse Pater.

Christus aliter regnat, quàm vicerex.

Negat

Negat porrò Smiglecius, Christum subordinatum Deo esse, *quia non minorem, sed æqualem & eandem cum potestate Patris potestatem acceperit, & eum tantùm eße subordinatum, qui minorem potestatem accipiat.* Sed nec ostendit, nec ostendere potest unquam, Christum potestatem æqualem prorsus & absolutè cum Patris potestate accepisse. Æqualis est potestas Christi Dei potestati, non absolutè, sed suo modo: quatenus postquam data est, ita ipsius propria effecta est, ut a nemine in ea dependeat, & tales effectus producere potest, quales sola Dei potestas producit. Inæqualis autem, quia ei data, quia ad salutem humani generis tantùm ordinariè spectat: quia non perpetuò talis futura est.

Cur Christi potestas æqualis sit Dei potestati & inæqualis.

Adde quòd tacita contradictio in eo est, si dicatur, Christum accepisse potestatem prorsus & absolutè æqualem potestati Patris. Vt enim essentia Dei numero una cum nemine communicari potest, alioquin una numero non futura: sic nec potestas Dei naturalis, quâ naturalis, cum quoquam cōmunicari potest prorsus & absolutè. Iam enim Deus ipse eâ careret, & in alium ea transferretur, & Deus Deus esse desineret. Nam sine potestate Deus nullus est.

Tertiam meam responsionem, quam talem esse ait Smiglecius, quòd scripturæ, cùm de uno Deo colendo loquuntur, de summo Deo intelligendæ sint, ideoq; tantùm excludi plures summos Deos, non verò subordinatos, ita refellit: *scripturas, cùm unum Deum prædicant, nullam mentionem facere summi Dei, sed tantùm Dei absolutè.* At tu, lector cordate, vide, quomodo Smiglecius chorda eadem semper oberret, & solum hoc nunc memento, quod suprà diximus creberrimè, cùm de uno Deo sermo est, semper tale quid addi, unde constet, eum esse summum Deum. Adde & illud, quod ex Scholasticis adduxi: Analogum absolutè positum accipi in suo significato famosiori, vel κατ' ἐξοχὴν accepto.

Caput IIX.

Locus 1. Cor: 8. a cavillationibus & ineptiis Smiglecii vindicatur.

SCRIPTURA N. Fœderis non solùm docet, unum Deum colendum esse, sed etiam Iesum Christum, idq; ita disertè, ut ipsemet Smiglecius capite præcedente negare id ausus non fuerit. De modo enim, quo colendus sit, nobiscum contendit, an ut idem Deus cum Patre, an ut alius. Impossibile igitur est, Christianos

Christiani colũt Deum unum, non absolutè.

per hoc distingui ab Ethnicis, quòd Christiani unum tantùm Deum colant absolutè: Sed necesse est statuere, eos talem unum Deum colere, qui sit talis ex se ipso, qualis est Pater, ex quo omnia & nos in ipsum. Neque contrarium hujus ex loco Pauli 1. Cor: 8. vel patet vel deduci potest. Paulus enim disertissimè & expressissimè, nobis Christianis colendos proponit duos, ita distinctos, ut nullo modo unus & idem quo ad essentiam esse possint. Nam qui prima salutis causa & ultimus finis est, quod est Paulo, ex quo omnia & nos in ipsum, is nullo modo causa salutis media esse potest, quod est Paulo, per quem omnia & nos per ipsum: Et vicissim, qui media salutis causa est, is nullo modo ejusdem salutis causa prima & ultimus finis esse potest.

Artificium Smiglecii, sensum loci asscribere.

Hinc Smiglecius, cùm disputandum illi esset, & docendum, Paulum unum tantùm Deum colendum proponere, sensum verborum Pauli asscribit, quod artificium Smiglecianum esse, jam antea non semel etiam indicavi. Nam si sensum illum non approbet adversarius, quomodo controversia dirimetur? Est autem sensus ille talis, qui prodit Smiglecii in sacris literis explicandis, si non inertiam, saltem negligentiam.

Explicatio Smiglecii ana.

Paulus ait: *Etiamsi sunt, qui dicuntur Dii sive in cœlo sive in terra (sicut sunt multi Dii & multi Domini,) nobis tamen unus est Deus* &c. Sensus Smiglecii est: *Alii, qui Christiani non sunt, multos Deos & Dominos colunt: nobis autem Christianis, non licet nisi unum Deum & unum Dominum colere.* Vbi verò mentio aliorum, qui Christianis opponantur apud Paulum? Vbi mentio licentiæ colendi unum Deum? De quo paulò antè etiam plura dixi, & iterum statim dicturus sum.

Sensus loci 1. Cor: 8.

Sensus igitur verborum Pauli est: quòd non debeant ii, qui Deum verum cognoverunt, & ab idolorum cultu liberi sunt, istâ scientiâ ad offendendos alios abuti. Licet enim constet inter Christianos, idolum nihil esse, & non esse Deum nisi unum: tamen istam scientiam, (idolum scilicet nihil esse,) non esse in omnibus, ut v. 7. expressè additur. Non esse autem Deum nisi unum, qui sit colendus Christianis, ita per prolepsin quandam explicat Apostolus: *Etiamsi sint, qui Dii vocantur tam in cœlo quàm in terra*, quod, quia ab aliquo etiã Christianorum objici poterat, concedit id Paulus, dum ait: *Vt sunt dii multi.* Quia verò si hic substitisset, Christianam religionem commendandi occasionem non habuisset, auctionem, quæ in Christi religione accessit, additurus, ait, *Et domini multi;* & deinde, concesso eo, quòd sint Dii multi & Domini multi, ex illis multis Diis unum Deum, & ex illis multis Dominis unum Dominum eligit, qui uterq; nobis colendus sit, alter qui est Pater, tanquam prima causa & ultimus finis salutis, alter qui est Iesus Christus, tanquam causa ejusdem salutis media, quate-

a, quatenus per eum salus annunciata & confirmata est, & per eundem administratur, & tandem ad exitum perducetur. Dico igitur iterum, Iudaicum aliquid esse, & tantùm non abnegationem Christi religionis, tantùm unum Deum colere sub N. F. Colendus est enim unus Deus & unus Dominus. Vnus autem Deus non est Iesus Christus, sed Pater ille, ex quo omnia & nos in ipsum. Vnus etiam Dominus non est Pater ille, sed Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum. Quam Christianæ religionis naturam & proprietatem, etiamsi in mille formas se vertat Smiglecius, nunquam tamen ita obscurabit, ut non semper verissima appareat, nedum ut eam eversurus sit.

Sed nunc iterum videndum est, tum quomodo mentem suam de loco 1. Corin. 8. exponat & comprobet, tum quomodo ad nostram interpretationem respondeat. Mentem suam sic exponit: Paulum ostendere, Christianos non multos Deos ac Dominos colere, sed unum Deum ac unum Dominum. In hac Smiglecii oratione duplex dolus latet, quem etiam in priori responsione nostra detexeramus. Primùm enim, dum ait, Christianos colere unum Deum ac unum Dominum, hæc verba ita accipit, quasi Christiani unum colant, qui sit ille Deus & Dominus, ut in V. Fœdere legimus, de uno dictum, Domino Deo, quod & antea dicere, & nunc ad marginem asscribere non dubitavit, his verbis: *Vnus Deus & Dominus Christianis colendus*. Quis verò non videt, aliud esse, unum Deum & unum Dominum colere, quàm unum Deum & Dominum? Nam qui dicit, colendum esse unum Deum & unum Dominum, præsertim cum tali utriusq; descriptione, quæ apertè docet, alterum ab altero ita differre, ut alter sit Pater ille, alter Iesus Christus, alter ex quo omnia, alter per quem omnia, alter denique in quem nos, alter verò per quem nos, is disertè dicit, duos esse colendos, eosque ita distinctos personis & essentiis, ut nullo modo idem Deus esse possint. Hunc dolum si non agnoscit Smiglecius, equidem valdè miror, & aut malitiæ aut cœcitatis eum reum agere jure possum. Alter dolus est, quòd, dum nos dicimus, duos colendos a Paulo proponi, unum Deum & unum Dominum, captiosè id ita traducit Smiglecius, non proponi multos Deos ac Dominos. Nam si ille unus Deus non sit ille unus Dominus, & vicissim unus ille Dominus non sit unus ille Deus, nullo jure dici potest, duos etiam Deos vel Dominos colendos proponi, nedum multos. Nam si duo Dii vel duo Domini proponerentur colendi, necesse esset, utrumque illorum esse eadem ratione & Deum & Dominum. Quod quia secus se habet, ut jamdocuimus, non dicendum est, duos Deos & duos Dominos proponi colendos, sed tantùm dicendum

Smiglecii doli deteguntur.

dum eſt,duos,vel duasperſonas proponi colendas,quorum unus ſeu una perſona ſit unus Deus, nempe ille ſummus, alter vel altera perſona,ſit unus Dominus, a Deo illo ſummo conſtitutus.

Rationes Smiglecii refellũtur

Rationes verò, quibus hanc mentem Apoſtoli eſſe oſtendere vult Smiglecius, jam antè refutatæ fuêre. Etſi enim 1. dicat Paulus, tantùm unum eſſe Deũ, tamen id iſto in loco nullo argumento probat,quod vult ſatis ineptè Smiglecius. 2.Etiamſi Paulus de Deo abſolutè loquatur,tamen eum de ſummo loqui,ex eo conſtat,quòd, quæ in ſuo genere perfectiſſima ſunt, abſolutè & ſola talia eſſe dicuntur in ſ. literis, & ab iis qui ſana ratione utuntur. 3. Etiamſi uni Deo opponat Apoſtolus eos, qui in cælo & in terra Dii dicuntur, tamen falſum eſt,iſtos multos Deos ab iis agnitos non fuiſſe, qui Chriſtiani erant. Addit enim Paulus de ſuo : *ſicut ſunt dii multi;)* & poſſunt opponi omnes dii veri, Deo illi uni, quatenus huic ſoli debetur cultus divinus, reliquis verò non,exempto eo,quem Paulus unum excipit, Ieſu Chriſto. 4. Etiamſi denique dicatur, tantùm unum eſſe Deum, & alium nullum præter eum : tamen id non abſolutè accipiendum eſſe, ſed de eo, qui ex ſe talis eſt, jam abundè demonſtratum eſt per id, quod eodem modo Deus ſolus etiam beatus & immortalis appellatur,quo unus.

Ad noſtram interpretationem,quæ eſt,Paulum non de gentiliũ, ſed de veris diis ſubordinatis loqui, & quæ confirmata à me fuerat tribus rationibus, quarum 1. eſt, quòd Paulus indefinitè de omnibus diis,qui ſunt extra unum Deum, loquatur: quæ verò indefinitè dicuntur, ad certos reſtringenda non eſſe, niſi aliqua cogat neceſſitas. 2. Quòd de diis qui in vero cælo erant, agat: Tales autem non fuiſſe Deos gentilium. Illi enim verum cælum eſſe neſciebant. 3. Quòd Paulus ſuo calculo confirmet id, quòd de diis in cælo & terra dixerat,dum ait: *Sicut ſunt multi dii & Domini multi.* Paulum autem Deos gentilium pro diis aut dominis non agnoviſſe, ad hanc, inquam, noſtram interpretationem parat reſponſionem duplici modo Smiglecius.Nam primùm meam interpretationem &falſam eſſe &mentem Pauli evertere ait, deinde ad argumenta mea reſpondet. Videamus utrumque.

Falſam eſſe,ait,indicare duas particulas: Vna eſt, Nobis autem eſt unus Deus; *quibus verbis illos multos Deos in cælo & terra a nobis Chriſtianis rejicit, & ſolùm unum Deum nobis attribuit.* At falſum eſt, Paulum his verbis, *nobis eſt unus Deus*, ſimpliciter rejicere multos Deos in cælo & in terra, nec id ulla ratione comprobavit Smiglecius. Non rejicere autem eum ſimpliciter iſtos multos Deos in cælo

Paulus quatenus rejicit deos multos in cælo & in terra.

& in

& in terra,hinc conſtat,quod ait, *(ſicut ſunt dii multi:)* Rejicit autem ſecundùm quid, quatenus ſcilicet colendi nobis Chriſtianis non ſunt,ut colendus eſt Deus Pater & Ieſus Chriſtus.

Eſt autem hîc iterum detegendus dolus Smiglecii. Nam in priori ſuo ſcripto dixerat diſertè, Paulum per multos Deos & multos Dominos,de diis gentilium loqui : nunc dicit,illos deos fuiſſe & falſos deos,&deos ſubordinatos. Dolo hoc detecto,falſitas etiam ejus, quod nunc aſſuit de diis ſubordinatis, ex iis, quæ jam diſputamus, conſtabit. *Dolus Smiglecii.*

Particulam alteram,quæ indicet,falſam eſſe meam interpretationem, Paulum hîc de veris diis ſubordinatis tamen agere, ait eſſe, quod *dicantur* dii, hoc eſt,nomine ſint dii,non re, ut S. patres explicant. Sed iſtam Patrũ conſiderationẽ vanã eſſe mox ſequentia verba docent: *Sicut ſunt dii multi.* Hîc enim Paulus idem eſſe docet,dici Deũ & eſſe Deũ: &adhuc clariùs ea, *& Domini multi.* Nec enim dominos idola ſua gentiles appellare ſolebant; ſed Paulᵘˢ eſt,qui, cauſę ſuę gratificaturus,ut ſcilicet cum uno Deo,unum etiam Dominũ Ieſum cõjungeret in cultu divino,iſta duo diſtinguit, & tum Deos,tum dominos multos dari concedit. Non eſt autem novum,ea;quæ revera aliquid ſunt,dici *vocari* ita,ut ſcilicet hac ratione indicetur,eos,qui revera aliquid ſunt, id quod ſunt,aliunde habere. Hoc modo Chriſtus ait,eos filios Dei vocatum iri, qui ſunt pacifici, cùm docere vellet, eos revera filios Dei futuros.De promiſſione enim ſalutis æternæ ibi ſermo eſt. Qui verò ſalvabuntur, re ipſa erunt Dei filii. Vnde etiam D. Ioannes promiſcuè his phraſibus utitur. Ait enim ſemel : *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur* : & iterum addit: *Dilecti,nunc Dei filii ſumus*. Hoc etiam modo de ipſo Ieſu Chriſto Angelus dicebat: *Sanctum quod ex te naſcetur, vocabitur Filius Dei*, hoc eſt, erit. *Dici quid ſignificet apud Paulum.* Matth:5.9. 1.Ioan:3. 1,2. Luc:1.32,35.

Mentem Pauli noſtra interpretatione everti, ſic docet Smiglecius, *quòd Paulus duo velit probare.* 1. *Idola nihil eſſe ſeu non eſſe veros Deos.* 2. *Alterum eſt, nobis eſſe unum Deum. Vtrumq; hoc argumentum ruere, ſi plures veri Dii admittantur.* Ego verò nec iſta eſſe argumenta Pauli; nec etiamſi ea eſſent, quicquam nobis ea adverſari, contendo. Argumenta Pauli ea non eſſe,quæ fingit Smiglecius,jam antè indicatum eſt. Non conſtat enim,Paulum quicquam argumentari,ſed tantùm rem per ſe manifeſtam,& Corinthiis optimè notam, utpote cujus notitiâ freti libertate ſua abutebantur,declarare. Et quomodo quæſo Paulus probaſſe illud dici poteſt, idolum nihil eſſe, per ea, quòd, etiamſi ſint Dii in cælo & in terra, tamen nobis ſit unus Deus. Nam ex *Paulus 1. Cor. 8. nõ argumentatur, ſed tantùm rem, quam tractat, declarat.*

Num ex eo,quòd tantùm unus eſt Deus, ſequitur, idolum nihil eſſe? Certè nihil minùs. Et ſanè nimis obſcura & longè petita eſſet iſta argumentatio, adeoq; non ad captum hominum vulgarium, quibus iſta ſcribebantur. Non probat igitur Paulus quicquam: ſed poſtquam dixiſſet: *Scimus idolum nihil eſſe, & non eſſe alium Deum præter unum*, cui oppoſiturus erat,ignorantiam quorundam inter Chriſtianos circa hanc rem v.7.,qui ſcilicet nondum rectè didicerant,idolum nihil eſſe. adhuc enim cum conſcientia idoli (ut Paulus loquitur) idolothyta comedebant,illud,quod de ſcientia plerorumq; dixerat,declarat,ita ut verba iſta omnia, quæ v. 5 & 6. habentur,in parentheſi collocata eſſe cenſeri poſſint. Declarat autem ita, quòd ita ſciant Chriſtiani,non eſſe Deum alium niſi unũ, præſertim ex Ethnicis ad Chriſtum aggregati,quòd etiamſi multi ſint dii & domini veri,tamen ex illis diis & dominis multis unus tantùm Deus, nempe Pater, & unus Dominus Ieſus Chriſtus colendus ſit. Quam declarationem Paulus ſtudio & datâ operâ addidiſſe videtur,ut hac occaſione auguſtum illud Chriſtianæ religionis myſterium,quibuſnám cultus debeatur divinus,panderet.alioquin enim ad rem, quæ tunc agebatur,non propriè id pertinebat. Sed eſto Paulum argumentari, & docere idola nihil eſſe, & tantùm unum Deum eſſe Chriſtianis, num hinc ſequitur, alios,qui ſunt in cælo & in terra, Deos,nõ eſſe Deos veros?Sanè quàm hoc ſit infirmum argumentum jam centies in reſponſione mea priori demonſtratum fuerat:& in hac ipſa repetitum eſt aliquoties.Summa eſt: unus Deus dicitur Pater, quia ſolus per excellentiam Deus eſt. Nam quæ in ſuo genere perfectiſſima ſunt, ea ſola talia eſſe jure cuntur.

Refutationes Smiglecianæ infirmæ & vanæ.

Nunc, quomodo rationes meas refutet Smiglecius, audiamus. Ad: 1. reſpondet: *voces quidem indefinitas eſſe: at ex circumſtantiis loci, ad eos tantùm, qui nomine ſunt Dii, determinari.* At hoc eſt nugari, vel ſaltem nudam, eamq; incertam aſſertionem adverſario obtrudere, quod is, qui aliorum argumenta ratiunculas appellat, committere nunquam deberet. Cur verò non docuit Smiglecius, quomodo voces iſtæ ex circumſtantiis determinentur? Porrò dum ait, *ſi propter indefinitam locutionem ſibi non liceat determinatè de falſis Diis verba Pauli accipere, pari ratione mihi etiam non licere eadem determinatè de Diis ſubordinatis interpretari*, iterum valdè pueriliter ſe gerit, & prorſus non habere videtur quod reſpondeat. Ego enim verba Apoſtoli nego eſſe determinanda, ſed dico, indefinitè eſſe accipienda de omnibus, qui Dii dici poſſint. Tales autem dico diſertè, *non ſolùm gentilium Deos dici potuiſſe, ſed etiam alios veros Deos, qui tales ſint*

les sint appellati ab ipso Deo, ut tacitè concedere videar, posse etiam Deos gentilium suo modo contineri in verbis Pauli, quantumvis minùs proprie. Licuit igitur mihi in definitè de omnibus, qui Dii dici possunt sive fallò sive verè, verba Pauli accipere: at Smiglecio non licuit ea determinare ad falsos Deos. Quod verò hîc iterum dicit, se non repugnare, si quis Pauli verba de omnibus, qui dicuntur Dii, revera autem non sunt veri Dii, interpretetur, & in his non veris Diis etiam Angelos & homines, qui Dii sunt appellati in sacris literis, includat, id primùm repugnat ei, quod antea dixerat, de Diis gentilium Paulum loqui. Deinde etiam falsum est. Quicunque enim sunt Dii in cœlo & in terra & Domini, ex mente Pauli, illi non possunt non esse veri Dii & veri Domini, licet non sint ita excellenti modo, ut est Deus Pater: Smiglecius autem, istos appellari posse veros Deos, pernegat.

Ad secundam rationem meam respondet, non sine scommate, dum me Rabinum appellat, & tamen ignorantiam mihi rei claræ & cuique obviæ objicit. Dicit autem gentiles solem, lunam, sydera & omnem militiam cœli pro diis adoravisse, ipsisq; sacrificasse 2. Reg: 23, 5. Ego contra sophistam & cavillatorem magnum esse ajo Smiglecium. Primùm enim locus allatus non de gentilibus loquitur, sed de iis, qui in terra Iudæ adolebant incensum Baal, qui procul dubio Iudæi fuere. Deinde non constat in loco citato sermonem esse de cœlo vero, in quo ipse Deus est, de quo sermonem esse apud Paulum certum est, si de veris Diis loquatur. Non enim in aëre vel cœlo hoc, cujus creationem describit Moses, angeli sunt, sed in illo superiori, in quo Deus est, & quod tertium cœlum Paulus alibi appellat. Videat igitur lector, quàm facile fuerit Smiglecio ratiunculas dissolvere. *Inertia Smiglecii.*

Sed tandem quomodo tertiam refutet, operæ pretium est videre. Respondendum esse ait, *cùm Paulus dicit, sicut sunt dii multi & Domini multi, illos qui dicuntur Dii, seu qui nomine tenus Dii sunt, aßeri a Paulo eße Deos & Dominos, quòd re ipsa ab hominibus pro Diis haberentur*. Ita quidem respondendum est, si veritatis vim declinare velit Smiglecius: sed an verè respondeatur, id cogitandum relinquitur. Quid verò falsius esse potest, quàm Paulum ideo dixisse, (sicut sunt Dii multi,) ut assereret, Deos istos reipsa ab hominibus pro Diis habitos? Num ideo Paulus falsum confirmare debuit, quia homines re ipsa Deos illos multos pro Diis haberent, & dicere id esse, quod non erat? Nonné satis erat ad hominum opinionem exprimendam, dicere, etiamsi sint qui dicantur Dii. Hoc enim de aliis intelligi poterat? At dum ait, *sicut sunt dii multi*, jam non, quid alii senserint, sed *Paulus non ex alieno sed ex suo sensu multos Deos veros cōstituit.*

quid ipsemet sentiat, eum exprimere voluisse, ipsa verborum complexio satis superque indicat. Quanquam etiam falsum censeri potest, Paulum in illis verbis: *Etiamsi sunt qui dicantur Dii*, sententiam gentilium recitare, ut suprà ostendimus. Possunt enim hæc verba haberi pro prolepsi, quam Paulus nomine aliorum verorum Dei cultorum fecerit, contra id, quod dictum ab eo fuerat, non esse alium Deum, nisi unum. Quam prolepsin Paulus concedit quidem veram esse: interim tamen verum etiam esse ait, quod dixerat, non esse Deum nisi unum, nempe talem, qui omnium rerum ad salutem pertinentiũ prima causa est & ultimus finis, qui est Pater, nempe Christi.

Smiglecius eadem repetit, eaq; vana. Quæ deinceps scribit Smiglecius, quòd Pauli verba depravem, dum dico, Paulum in illis verbis, *nobis est unus Deus*, non quemcunque verum Deum sed summum intelligere, ea sunt otiosa repetitio unius & ejusdem rei; & præterea ita frigida, ut nihil ad causam Smiglecii juvandam faciant. Esto enim Paulum docere duo. 1. Deum verum absolutè non esse nisi unum. 2. hunc unum Deum esse Patrẽ ex quo omnia, quod Smiglecius contendit, num hinc sequetur, Deum illum unum, non esse illum summum, de quo Paulus ait, Pater ille, ex quo omnia? Nonné de Deo dici potuit semel, quòd non sit alter nisi unus, & deinde explicari quis sit ille unus Deus, nempe Pater, quem summum esse Deum ex eo constat, quia ex ipso omnia & nos in ipsum. Itaque etiamsi sub ratione (ut Smiglecius obscurè loquitur) veri Dei, dixerit Deum esse unum, & ita potentissimè urgeat, Deum verum non esse nisi unum, si constet, Deum verum dici posse tum eum, qui ex se & naturâ talis est, tum eum, qui divino beneficio talis est, an non in fumum abiit responsio Smiglecii? Quanquam prorsus falsa sunt omnia, quæ hic dicit Smiglecius. Nam Paulus Deum unum esse ait, tam sub ratione veri Dei, ut nunc ita cum Smiglecio loquar, quam sub ratione summi Dei. Idem enim sunt, unum Deum esse verum, & esse summum. Vnus enim ille Deus est & verus & summus: & idem prorsus est: Vnus est Deus, vel non est Deus nisi unus, ac si dixisset Apostolus: Non est Deus alter nisi summus: & unus tantùm est Deus summus. Verba verò, quæ adduntur v. 6. tantùm docent, tum quis sit ille unus verus & summus Deus, nempe Pater, tum cur Pater sit ille unus verus & summus Deus, quia scilicet ex eo omnia & nos in illum.

Idem sunt, Vnum Deum esse verum, & esse summum.

Sed nondum finis est verbositatis & iterationis Smiglecianæ. Etiamsi enim, ut ipsemet fatetur, hac de re suprà disseruerit c. 3.: tamen absque ulla necessitate probare conatur, Paulum docere, Deum absolutè & omni respectu esse unum, quod tamdiu falsum erit,

donec

donec vocabulum Deus non commune sed proprium esse docebitur, quod nunquam fiet. Rationes tamen expendamus. 1. est. *si de certo respectu agatur, sicut Paulus dixit, nobis esse unum Deum Patrem ex quo omnia: ita potuisset æquè dicere, nobis esse unum Deum Iesum Christum, per quem omnia. Cùm talis Deus, per quem omnia, secundùm nos, non sit, nisi unus: sicut Deus ex quo omnia, non est, nisi unus.* Repello etiam. Dico Paulũ id dicere non potuisse. Nam aliam thesin formaverat v. 5. his verbis: *Sicut sunt Dii multi & Domini multi.* Necesse igitur fuit, dicere & de Deo uno, & de Domino uno distinctè. Præterea licet Christus sit etiam Deus, quatenus est unus Dominus, quia tamen nõ est Deus ex quo omnia & nos in illum, unus Deus respectu aliorum Deorum, qui sunt in cælo & in terra, dici non potuit. Vt enim illi Dii subordinati a Deo sunt, sic etiam ipse Iesus Christus: licet rursus a Deo ita exaltatus sit, ut omnium illorum Deorum, qui sunt extra unum Deum Patrem, Deus ipse sit. Cur Paulus & de uno Deo & de uno Domino loquatur. Cur Christus non dicatur Vnus De⁹.

2. Ratio est. *Ad hæc non minùs verè dici posset: nobis non esse unum Deum sed duos: quorum alter sit Deus ex quo omnia, alter Deus per quem omnia. Et sicut dixit, nobis esse unum Deum ex quo omnia, ita debuisset dicere, non solum nobis esse unum Deum, ex quo omnia, sed & alterum Deum per quem omnia.* Repello hanc etiã, & dico, Smglecium id pro absurdo adducere, quod tale est minimè. Vnde enim constat ei, Paulum ita loqui non potuisse suo modo, etiamsi ita locutus non sit? Imò nonné constat, Paulum, re ipsa & quoad sensum, ita locutum esse? Nam qui dicit, esse unum Deum, & addit, esse etiam unum Dominũ, si Domin⁹ ille Deus sit, re ipsa dicit esse duos Deos, sed non pares: Qui item dicit, nobis esse unum Deum ex quo omnia, & unum Dominum per quem omnia, is re ipsa dicit, non tantùm nobis esse unum Deum ex quo omnia, sed etiam alterum Deum, per quem omnia. Quod verò Paulus iisdem verbis usus non est, quibus utitur Smiglecius, hoc prudentiæ illius ascribendum est. Prævidit scilicet Spiritus S., tales locutiones obnoxias fore cavillis, ut hodie nos experimur, qui, sensum Apostoli exprimentes, tale quid interdum dicere cogimur. Itaq; absolutè loqui maluit, unum esse Deum, etiamsi tantùm dicere vellet, unum esse Deum summum, & præter eum esse etiam Deum ipsum Iesum Christum. Quia scilicet Christus non est tali modo Deus prorsus, quo Deus ille summus est. Quod præstitit, dum non simpliciter dixit, unum esse Deum, sed eum ita describit, ut nemo sanæ mentis de Christo id intelligere possit, dum scilicet addit, *Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum.* Iesus Christus enim nec Pater est, nec ex eo omnia, nec nos in ipsum sumus. Rursus etiamsi Christus sit Deus etiam, ob Cur Paulus patrẽ unum Deum & Christum unum Dominum appellârit.

am, ob id ipſum quia eſt unus Dominus: tamen dicere maluit Spiritus S., eum non eſſe unum Deum, ſed unum Dominum, & eum ita deſcripſit, ut nemo ſanæ mentis non intelligat, eum, licet ſit unus Dominus, tamen non eſſe unum Deum, dum ait, *Per quem omnia & nos per illum*. Hæc enim de Deo uno, eo ſenſu quo de Chriſto, nullo modo dici poſſunt.

3. Ratio eſt. *Apud gentiles & idolatras ſimili modo dici poſſet unus Deus, quia talis Deus, qualis eſt Saturnus aut Iupiter, unus tantùm erat. Sicut igitur negamus abſolutè, gentiles unum Deum colere, quia etiamſi unum Deum colant talem, quales non ſunt alii, cum eo tamen alios Deos ab ipſo diverſos colunt. Ita etiam dicendum eſſet abſolutè, Chriſtianos non unum Deum colere, quia cum Deo, ex quo omnia, colerent alium Deum, per quem omnia. Neq; id Paulus diſſimulare potuiſſet aut debuiſſet, cum quæſtionem de uno Deo tractaret.* Repello & hanc tertiam, & dico, ineptiſſimè huc accommodari gentiles. Illi enim talem Deũ, qualem Chriſtiani credunt, nunquam crediderunt, nec credere potuerunt. Et etiamſi aliquid tale de Diis ſuis dixiſſent, quale hîc fingit Smiglecius, tamen totum illud repudiari potuit eo, quòd commenta eſſent hominum. Iure autem dici potuiſſe unum Deum colere Chriſtianos, etiamſi cum Deo, ex quo omnia, colant alium etiam, per quem omnia, imò dictum eſſe ab Apoſtolo, jam modò oſtendimus. Vnde conſtat, valde rudem eſſe Pontificiorum Doctorum deductionem, cujus hîc Smiglecius meminit, qui ex eo, quòd dicitur, nobis unus eſt Deus, Chriſtum unum illum Deum eſſe aſtruunt. Non ſimpliciter enim dicitur, Deum nobis eſſe unum: ſed cũ additione tali, quæ nullo modo permittit, ut Chriſtus ſit ille Deus, quæ eſt: unus Deus eſt, Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum. Quæ ita repetere me oportet, quia cum repetente tantùm ſemel dicta Smiglecio res mihi eſt. Vt & illud ſequens, quod jam aliquoties iiſdem verbis ſuprà a Smiglecio dictum fuerat: Diſtingui quidem Chriſtum a Patre diſtinctione perſonæ, nõ deitate. Iam enim dictum eſt, non neceſſe eſſe docere, Chriſtum eſſe diſtinctum a Patre deitate, cùm eadem ſit divinitas Chriſti quæ Patris, ſuo modo. Nec enim aliunde habet aut habere poteſt Chriſtus deitatem, quàm a Patre: ſed ſatis eſſe, ſi conſtet, Chriſtum eſſe diſtinctum a Patre perſonâ vel eſſentiâ. Nam ſi perſonâ vel eſſentiâ diſtinctus eſt, jam non poteſt eſſe idem Deus qui Pater. Cùm neceſſe ſit, ut ſit perſona humana, quia homo appellatur diſertè. Humana autem perſona non poteſt eſſe idem Deus, qui Pater eſt. Quod etiamſi negẽt Pontificii Doctores, tamen evertere nullo modo poſſunt. Duæ ſunt agnoſcendæ in Chriſtiana religione perſonæ: Altera divina ex ſe ipſa &

Comparatio gentilium cum Chriſtianis inepta.

pſa & naturâ : Pater, Altera divina ex Deo, certo tempore, certa de cauſa talis effecta: Chriſtus. Harum duarum perſonarum una eſt ſuo modo Deitas, quia quicquid habet divinitatis Chriſtus, id totum ex Patre habet: ſed non ſimpliciter una. Nam Deitatem ex ſe habet Pater: Chriſtus a Patre. Deitas Patris ad omnia in univerſum extenditur: Chriſti ad ſalutem tantùm humani generis. Patris Deitas nemini tradi poteſt: Chriſti Deitas vel regnum tandem Patri reddetur. Duæ in Chriſtiana religione perſonæ agnoſcendæ: & quales.

At interrogat me Smigleeius, unde colligam, Chriſtum hîc diſtingui Deitate a Patre? Reſpondeo me ex eo id colligere, quòd Paulus & illum unum Deum, & unum Dominũ ita deſcribit, ut nec unus Deus, unus Dominus, nec unus Dominus unus Deus eſſe poſſit. Deſcribit enim unum Deum. 1. quòd ſit Pater ille. 2. quòd ſit, ex quo omnia, 3. quòd ſit in quem nos. Rurſus unum Dominum deſcribit. 1. quod ſit Ieſus Chriſtus, hoc eſt, homo ille natus ex virgine Maria, & idem filius Dei. 2. quòd ſit, per quem omnia. 3. quòd nos per illum. Ad hæc quid Smiglecius. Primùm *negat, titulos, unum Deum, unum Dominum ita eſſe diverſos, ut unus alterum non contineat. Nam & unus*, ait, *Deus eſt quoq; unus Dominus, & unus Dominus eſt etiam unus Deus.* At ego ex illis ſolis titulis nihil colligo: Imò fateor, eum, qui eſt unus Deus, eſſe etiam unum Dominum, abſolutè his verbis acceptis, hoc eſt, ſine additione eorum, quæ addidit Paulus, per quem omnia & nos per illum. Quomodo enim, qui omnem habet divinitatem, non haberet etiam omnem dominatum? Quanquam, ſi verba Pauli accipiantur ita ut poſita ſunt, falſum eſt, unum Deum eſſe unum Dominũ: Dominum verò unum eſſe unum Deum, ſi unus Deus pro Deo ſummo, ut res eſt, accipiatur, ita ab omni veriſimilitudine alienum eſt, ut nihil ſit alienius. Perinde enim eſt, acſi quis præfectum Regis ipſum Regem eſſe diceret. Nec quicquam valet, quod addit Smiglecius: niſi ambo ſint unus Deus & unus Dominus, conſequens futurum, eſſe plures Deos & plures Dominos. Tantùm enim ſequetur, eſſe unum Deum & unum Dominum, quod non tantùm non eſt abſurdum, ſed ipſiſſima veritas. Vnus autem Deus & unus Dominus, non niſi Sophiſticè plures Dii & plures Domini appellari poſſunt, ut antea etiam docuimus. Cur Chriſtus diſtinguatur Deitate a Patre. Quatenus unus Deus ſit unus Dominus.

Porrò negat Smiglecius diſtinctionem Chriſti a Patre, quoad deitatem ex eo conſtare, quòd de Deo uno dicatur, ex quo omnia, de uno Domino, per quem omnia; *quia tituli hi non ita ſint diverſi, quin unus in altero contineatur. Cùm idem Deus, ex quo omnia, ſit etiam per quẽ omnia.* Ad hoc licet abundè reſponſum ſit tum in ſcripto priori, tum in reſponſione ad libellum, cui titulus eſt, *Verbum caro factum*, iterũ

 reſpon-

respondeo. Et quo ad Patrem dico: Alio sensu de Deo Patre dici,per quem omnia,quàm deChristo.De Christo enim dicitur,quòd aliquis alius per eum omnia fecerit & faciat:At de Patre id nusquam dicitur. Dicitur autem de Patre, per quem omnia, quia non tantùm causa sit principalis, sed etiam causa mediarum causarum, & quòd ad causas medias non ita sit alligatus,ac si sine illis non possit,quicquid velit,operari. Quoad Filium autem nego uspiam dici, ex eo esse omnia, & Smiglecium audaciæ magnæ accuso, qui id jam bis asseverare non dubitaverit. Nam quod pro ratione hîc addit, *illa ratione qua ex aliquo sunt omnia, etiam per illum eße omnia dici poße, & e converso, qua ratione per aliquem omnia esse dicuntur, etiam ex ipso omnia dici poße*, hoc aliud nihil est, quàm rei incertæ pertinax tantùm asseveratio. Nec enim verum est,per eum esse omnia,ex quo sunt omnia.Quanquam interdum id fieri possit.Ex eo autem esse omnia,per quem sunt omnia,prorsus sunt contraria. Nam qui causa media rei alicuj⁹ statuitur,is causa principalis esse hoc ipso negatur. Locus Rom: 11.tantùm docet,dici posse de uno& eodẽ,quòd ex eo &per eum omnia: sed nõ docet, vel eum, ex quo omnia, ita esse, per quem omnia, ut sit causa instrumentalis, quâ aliquis alius utatur. hoc enim esset contrarium ei,quòd semel dicitur,ex quo omnia.Causa enim principalis non potest esse causa instrumentalis; vel eum,per quem omnia aliquis alius agit,esse eum,ex quo omnia. Tam enim hoc est impossibile, ut illud prius.

Quomodo de Patre dicatur, per eum omnia & cur.

De Christo nusquam dicitur, ex eo esse omnia.

Non omittam autem hîc,quod omittere se ait Smiglecius, *Paulum non de uno Deo proximè dicere, ex quo omnia, sed de Patre: similiter non de uno Domino, per quem omnia, sed de Christo, ita ut his attributis Patrem & Christum describere voluiße Paulus videatur*. Hoc enim est, quod rem totam illustrat egregiè, ut antea indicavimus. Cùm hinc constet, Paulum,cum de Deo uno loqueretur, parum habuisse dicere,eum esse ex quo omnia,sed voluisse etiam indicare,quis ille Deus unus sit, nempe Pater. Iam verò cùm nullo modo Christus Pater sit, nullo etiam modo Deus idem,qui Pater est,dici potest.

Hoc annotato, redeo ad illud, quod Smiglecius ex epistola ad Coloss.c.1.16,20.affert,quòd per eum omnia sint creata & reconciliata. Sed non probat Smiglecius,hoc in loco Christum considerari aliter,quàm ut causam instrumentalem. Nam quod addit, condita per eum tanquam per verbumPatris,de quoIoannes dicat, *Deus erat verbum, & omnia per ipsum facta sunt*, quàm sint futilia, tum in responsione ad *Verbum caro factum* ostendimus abundè,tum per se patet. Nã ut Pauli sic etiam Ioannis verba, de causa instrumentali accipienda esse,

esse, nemo non videt. Et quia in creatione veteri nullius causæ instrumentalis scriptura meminit, de creatione nova sermonem esse, tum apud Ioannem, tum apud Paulum, per se pariter constat. Nihil etiam & illud Smiglecium juvat, quòd eadem omnia dicantur per Christum, quæ sunt ex Patre. Nec enim probari potest, Paulum, cùm dicit,ex Deo Patre esse omnia,omnia universè intelligere. Imò contrarium suadet,tum articulus voci græcæ πάντα additus,tum voces *nobis* & *Pater*. Illa enim ad solos Christianos pertinet: hæc verò Deum,quatenus se sub N. Fœdere revelavit,describit.

Cur vox omnia 1. Cor: 8. restringenda.

Distinctionem meam alteram ex ipsis S. literis desumtam,quam inter Patrem & Filium ex eo ostendo, quòd Filius olim Patri subjectus futurus sit, Pater verò nemini subjectus esse possit, tollere conatur Smiglecius distinctione fictitia duarum naturarum in Christo & autoritate omnium Patrum. Sed præterquam quòd nullum esse potest pondus distinctionis rei controversæ, & Patrum autoritas infirmissimum est argumentum, dico, de Christo, quantus quantus est dici,eum subjectum futurum Patri. Hoc enim requirunt verba, *& ipse Filius*, quippe quibus persona filii indicetur, non natura aliqua. Vnde apparet, vel Deum Deo subjectum futurum, quod est absurdum,vel Christum non esse talem Deum, qui divinam naturam habeat.Ineptè autem Smiglecius hîc ex suo sensu interseruit,Christum nunc non esse subjectum Patri secundùm divinitatem. Quia Deo sit æqualis. Nam nos idem dicimus, dum affirmamus, Christum subjectum futurum. Hinc enim infertur, Christum nunc non esse subjectum suo modo. Nec minùs ineptè, vel potiùs falsò docere nititur, quomodo Christus homo etiam nunc Patri subjectus sit. Nam si nulla sit in Christo natura divina, qualem fingit Smiglecius,sed sola humana, & tamen dicitur, eum patri subjectum futurum, Apostolo is contradicit, qui Iesum hominem hodie subjectum esse dicit. Nam si subjectus nunc esset, subjectum eum futurum dici nullo modo posset. Vnde apparet, quomodo religioni Pontificiæ cum Apostolica doctrina conveniat: & quomodo hic locus, in quo affirmatur,Christum vel filium olim subjectum futurum Patri, nullo modo rectè ab illis intelligi possit,qui divinam in Filio Dei naturam comminiscuntur. Nec immeritò. Nam si Cristus naturam illam haberet,nulla ratione, nullo respectu de eo dici id posset. Qui enim semel cum Deo personaliter unitus est, quomodo iterum aliquando ista unione privari posset,absque insigni imo turpi mutatione, quam in Dei naturam & personam non cadere, omnes unâ nobiscum confitentur. At si nostra de Christo recipiatur sententia, omnia sunt plana. Quis enim non

Responsio Smiglecii infirma.

Christum patri subjectum futurũ intelligi nequit, si divina in Christo natura agnoscatur.

nim non intelligit, potuisse Deum, qui ad certum tempus, certa de causa, Christo absolutum in homines dominium concesserat, hoc cavere vel decernere, ut tandem istud dominium totum ad se rediret, & ita cognosceretur, Iesum divino beneficio talem extitisse, qualem nunc eum esse fatemur & gaudemus. Quod mysterium longè altissimum, in his tantùm verbis Pauli contentum, nonnullis etiam ex aliis cœtibus ad nostros accedendi, & unâ nobiscum eam confessionem, quam de Christo sequimur, amplectendi & constanter retinendi occasionem præbuisse, jam non semel me audire memini.

Tertiam meam distinctionem, quæ est, quòd Paulus de Patre ait, *nos in ipsum*, de Christo autem, *nos per illum*, unde constat, Patrem considerari tanquam ultimum finem salutis nostræ, Christum verò ut medium quoddam, per quod ad Deum adducendi simus, nullam itidem esse ait Smiglecius eò, *quod sicut Patri hoc loco tribuitur, quòd simus in illum: ita ad Coloß:1.16. ab eodem Paulo de Christo dicatur, omnia per illum & in ipsum creata eße, & quæ ego diversa putem, Paulum in unum conjungere, eidemque Christo tribuere, quod per ipsum & in ipso sint omnia.* Sed ego nego, Paulum Col:1. dicere, *Nos* in Christum esse, quod hîc de Patre dicitur. Aliud enim est dicere, omnia in Christum esse, & nos, scilicet homines fideles, in Christum esse. Si dicas, sub voce *omnia*, homines etiam comprehendi, negabo illud iterum. Verba enim Pauli, *omnia per ipsum & in ipsum creata sunt*, ad omnia quæ in cælis sunt, & invisibilia, quæ ibidem etiam commemorat, nempe thronos, dominationes, principatus & potestates referenda esse; & omnibus aliis, quæ in terra sunt, visibilibus opponi, quivis confitebitur, qui locum semel tantùm inspexerit. Quomodo autem intelligendum sit, omnia, quæ in cælis sunt, invisibilia in Christum creata esse, non est nunc necesse explicare. Satis est docuisse, Paulum non dicere, nos, scilicet Christi populum, esse in illum. Adde quod aliud etiam esse dici possit, in Christum creata esse omnia, adeoque etiam fideles, & aliud, fideles esse in Deum. Nam priori phrasi tantùm significaretur, reformationem populi Christi spiritualem, quam per creationem illam indicari concedi potest, in Christi etiam gloriam cedere, quamdiu scilicet reformatio ista spiritualis durat. Cùm verò certum sit, istam reformationem populi Christi spiritualem, ob quã per Christum creatus esse dici potest, aliquando cessaturam. nam qui nunc Christo paret, is olim cum eo regnabit, populum Christi in Christum esse nullo modo absolutè dici potest. Solus enim Deus Pater est, qui in omnem æternitatem in Christi populum dominium obtinebit, ut sit omnia in omnibus perpetuò, quemadmodum Christus ad

Nusquam dicitur nos in Christum esse.

In Christum esse creata omnia, & nos esse in Christum, differunt.

ſtus ad tempus fuit omnia in omnibus, vel omnia in omnibus implens. Quod ipſum fortaſſe animadvertens Smiglecius, ait Paulum eidem Chriſto tribuere, quòd per ipſum & in ipſo ſint omnia. Cùm tamen Paulus non ſimpliciter, quòd ſint in Chriſto omnia, ſed quòd creata ſint omnia, diſertè dicat. Libet autem hîc uno verbo oſtendere vitioſitatem verſionis vulgatæ. Hæc enim, etiamſi, ut ipſemet Smiglecius fatetur, in Græco habeatur εἰς αὐτὸν, tamen *in ipſo*, verba iſta convertit. Quanta verò ſit differentia inter, *in ipſo*, & *in ipſum*, nemo non videt. Imò inter *per ipſum* & *in ipſo* nulla ferè eſt differentia. Et tamen Smiglecius vulgatam ſequens, ait, Paulum dicere, per ipſum & in ipſo eſſe omnia. Ita ſcilicet imperium Eccleſiæ Romanæ homines contra rationem & veritatem ſentire in rebus divinis cogit. Quæ omnia cùm nimis manifeſtam Chriſti & Patris differentiam, non quidem in deitate ſimpliciter, ſed in perſona & natura arguant, videat Smiglecius, qua fronte impium me & blaſphemum appellet, qui id aſſeram, quod Paulus ipſemet nos in loco ad Corinthios diſertiſſimè docet.

Caput IX.

Cultum divinum ei ſoli, qui naturâ Deus eſt, competere ſub novo Fœdere, ex Scripturis oſtendi non poſſe, docetur.

PRIMUM hîc me iterum Smiglecii accuſare oportet ingenium. Nam & ad nauſeam uſq; ea, quæ in monſtris ſuis non ſemel dixerat, repetit, & quæ antea ab ipſo ineptè dicta & a me refutata fuerant, quæque defendi non facilè poſſunt, quæ deniq; a me ad veritatem commendandam dicta fuere, artificioſè omittit. Quæ oſtendunt, non id propoſitum fuiſſe Smiglecio, ut veritatem erueret, ſed ut victoriâ gauderet. Sed quia cum talibus nobis adverſariis res eſt, qui omnia pro libitu agunt, & nullis legibus aſtringi ſe patiuntur, devoranda nobis iſta eſt moleſtia. Non poſſum etiam non accuſare verboſitatem Smiglecii, quâ interdum non diſputantis ſed concionantis perſonam gerere videtur, & rem tantùm obſcurare conatur. Sed & hoc ferendum eſt, donec Deus tandem efficiat, ut ſine iſtius modi phaleris ſimpliciter & directè, quod arffimant, probare etiam teneantur Ieſuitæ. Tunc enim ſtatim fucus appareret omnibus cordatis & piis, qui nunc latet. Sed ad rem.

Smiglecii reſpõdendi modus oſtenditur.

Tertium argumentum affert, vide quæſo, quale & quomodo conceptum. Verba Smiglecii ſunt. *Tertium argumentum, quo unus tantùm*

tum Deus colendus probatur, est, quod divinus cultus soli ei, qui naturâ Deus est, & divinæ tantùm naturæ respectu, deferri possit ac debeat. Cùm ergo is, qui naturâ Deus est, sit unus, sequitur unum tantùm Deum coli posse. Si ergo Christo divinus cultus deferendus est, necesse est Christum nastum naturâ Deum esse, ac ex consequenti unum cum Patre Deum. Argumentum ait esse, idque tertium, quo obscuritatem in re satis manifesta affectat Smiglecius. Nam nec satis apparet, quid probare & quomodo velit. Novimus autem, quid illi probandum sit, nempe Christum esse naturâ Deum. Hoc vult ex eo docere, quòd ei soli, qui naturâ Deus est, cultus divinus debeatur. Hoc nos falsissimum esse sub N. Fœdere affirmamus. Disertissimè enim legitur (ut alia multa, quæ in refutatione monstrorum ascripsi, omittam) sedenti in throno & Agno cultum divinum exhibitum fuisse ab omni creatura. Qui verò Agnus est, is Deus naturâ esse nequit Est enim naturâ homo. Smiglecius ad hæc quid? *Clarissimis*, ait, *primùm scripturæ testimoniis, deinde ratione manifesta demonstramus, soli ei, qui naturâ Deus est, cultum impendi posse.* At hæc eadem antea iisdem verbis dicta fuere in monstris. Quid igitur tempus terit, & hominibus fucum facit? Sed ecce iterum cum Smiglecio in hanc arenam descendam, & semel fugatum fugabo iterum. Cedò clarissima ista scripturæ testimonia Smiglecî: *Et enim*, ait, *cum in scriptura unus Deus colendus præcipitur, non solum is, qui naturâ Deus est, intelligitur, sed etiam, qui talis est, cultum divinum mereri indicatur.* Sed hoc non est clarissima scripturæ testimonia afferre, sed explicationem scripturæ, eamque nescio qualem, ad rem certè nihil facientem. Vides né, benevole lector, quomodo se torqueat Smiglecius? Non quid intelligatur aut indicetur in scriptura nunc quæritur, sed clarissima scripturæ testimonia secundùm promissum illius postulantur, quibus doceatur, soli ei, qui naturâ Deus est, cultum divinum sub N. Fœdere conferendum. Tandem igitur ait: *Idcirco soli illi serviendum præcipitur. Matth: 4, 10. Idcirco gloriam suam se alteri non daturum protestatur.* Primùm nullum affertur ex N. Fœdere testimonium. Nos verò sponte nostra confitemur, in V. Fœdere soli ei, qui naturâ Deus est, cultum divinum tributum fuisse & tribui debuisse: Nunc autem alia est ratio cultus divini, quàm olim erat sub V. Fœdere. Hinc nova cantio ea, quæ hodiè canitur, appellatur, qua de re prolixè disseruimus in refutatione Monstrorum. Hoc fortasse præsentiscens Smiglecius ait, *Idcirco soli illi serviendum præcipitur Matth: 4. 10.* Cùm tamen Matth: 4. nihil præcipiatur, sed, quod olim præceptum est, tantùm repetatur. Disertè enim Christus ait: *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies.* Nec tunc, cum

Obscurus Smiglecius.

Sub N. F. præter Deum Christo etiam cultus divinus debetur.

De uno tantùm Deo colendo, nullum ex N. T. testimonium afferri potest.

f. 2. pag: 14.

cùm Christus ista diceret, præcepto opus erat novo, sed præcepti tantùm repetitione. Quodnám verò preceptum sit sub N. F. de cultu divino, non ex isto loco Matth: 4, sed aliunde discendum est. Cùm scilicet docemur, ut omnes honoremus Filium, sicut honorant Patrem, & cùm alia huic similia proponuntur. Libet autem hîc Smiglec: aliquid interrogare. Allegaverat hunc locum in monstris Smiglecius in hunc modum: *Vnum solum Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Ego istam allegationem carpseram, quòd scilicet nec *unum* nec *solum* in priori membro haberentur. Cur igitur allegationem suam vel non defendit, vel vitium ejus non agnovit Smiglecius? Certè qui sic agunt, conscientiæ rationem non admodum habere videntur.

Lapsus Smiglecio exprobratur.

Ad locum Esaiæ 42. 8. *Gloriam meam alteri non dabo* &c. prolixè etiam responsum erat antea, & nunc iterum dico: Non ex Propheta V. F. discendum nobis esse, quomodo hodie Deus colendus sit, sed ex scriptis N. Fœderis. Vt enim vetera transierunt, & facta sunt nova omnia, sic in primis etiam novus Deum colendi modus revelatus est. Itaque quamdiu ex sacris literis N. Fœderis non demonstrabit Smiglecius, soli ei, qui naturâ Deus est, cultum divinum deberi, non tantùm nihil agit, sed etiam rei, quam probandam suscepit, summam vitiositatem prodit. Cùr enim non ex N. Fœderis scriptis potiùs, quid populo N. Fœderis sequendum sit, docetur, quàm ex veteris? An non extat descriptio modi cultus divini in N. Fœdere, ut necesse sit ad V. Fœdus recurrere? vel potiùs, num tacitè fatetur Smiglecius, se, si id ex N. Fœdere probare velit, causâ casurum? Sed ne credat Smiglecius, se aliquid, attulisse, quod veritati, quam nos profitemur, obsit, videamᵘˢ, quid ad explicationes istius loci nostras, quas duas commemorat, respondeat. Iterum autem prius castigandus est Smiglecius, ut antea in refutatione monstrorum. Antea in monstris unam tantùm explicationem nostram loci istius adduxerat, & ad eam aliquid responderat: Ego triplicem afferri a nostris & a Socino solitam dixeram. Nunc monitus etiam a me, tamen duplicem tantùm explicationem, vel duo tantùm refutare conatur, quæ nos ad istum locum explicandum afferre solemus. Vnde aut negligens esse aut impatiens admonitionis esse videtur, quâ tamẽ valdè eget. Omisit autem nunc hanc explicationem, quæ non minimi est momenti, quòd dicimus, verba *non dabo* apud Prophetam significare posse, *non permittam*. Vnde constat Deum non de eo loqui, quod ipse met non sit facturus, sed quod alios facere nolit. Qui sensus, si verus sit, quis non videt, quàm sit infirmum, quod in his verbis collocant adversarii, præsidium.

Cultus Dei hodiernus, ex N. T. discendus est.

Tergiversatio Smiglecii detegitur.

um. Hoc indicato, audiamus quomodo duas alias explicationes nostras impugnet Smiglecius. Prior est, quòd dicimus, per vocem *alteri* significari, non omnem alterum, nempe Deo subordinatum, sed eum tantùm, qui Deo est contrarius, qualia sunt idola. Id ita se habere docemus eo, quòd mox additur, *neq; laudem meam sculptilibus*, statuentes, hęc verba priorum esse explicationem, ut plærumq; fit apud Prophetas, quòd una eademque res duobus unius versiculi membris explicatur. Addideram ego in refutatione monstrorum c. 2. p. 25. locum huic simillimum ex cap: 48. ejusdem Prophetę, ubi vox *alteri* de solis idolis accipitur, idque testimoniis virorum insignium Vatabli & Tosarii comprobaveram. Ad hæc quid Smiglecius? Ad locum Esaiæ alterum, ex quo hujus prioris peti potest explicatio, connivet, ut mox ostendemus: testimonia virorum, quos allegaveram, flocci pendit, ut undequaque appareat, eum, quomodo ista elevaret, non habuisse, & ita eum vel victum esse, vel saltem vincere tantùm quavis ratione, hoc est, etiamsi nihil ad ea, quæ objiciuntur, respondeat, velle. Quod ego in homine, tam docto alioquin & nimis arrogante, non possum non subinde reprehendere, ut, si non ipsemet Smiglecius, saltem alii discant, quid de eo sentiendum, & quantum ei tribueudum sit. Sed hoc iterum indicato, jam id, quod restat, aggrediamur.

Sensus verborum Esaiæ.

Smiglecii respõdendi modus.

Interrogat Smiglecius, quis mihi revelârit, verba posteriora, *Et laudem meam sculptilibus*, esse explicationem priorum, *Gloriam meam alteri non dabo.* Respondi antea, hoc inde patere, quòd is sit mos Prophetarum, unam eandemque rem in eodem versiculo paulò diversis verbis repetere. Quòd verò plerumque fieri solet, id hîc etiam factum esse verisimile est admodum. Quod si in dubium vocatum iri credidissem, alia etiam ratione facilè confirmare potuissem, ut mox patebit. Interrogabo enim & ego Smiglecium, quis ei revelârit, quòd hîc de duabus distinctis rebus agatur, & quòd duo tacitè (ut ait Smiglecius) Deus insinuaverit, nempe se & esse solum Iehovam & verum Iehovam? Certè verba id nullo modo suadent: *Ego Iehova, hoc est nomen meum.* Sensus enim simpliciter est. Ego sum Iehova, hoc est, ego sum ille, qui semper sui est similis, & hoc est nomen meum, hoc est, hæc est summa mea dignitas. Nomen enim pro dignitate sumi, nemo Theologiæ peritus nescit. Conjecturam autem & explicationem (si modo eo nomine digna est) Smiglecii falsam esse vel hinc patet, quòd, si voce *alteri* omnes alios excludat, frustra deinceps adderetur, *nec laudem meam sculptilibus*. Nam quis non intelligit, eum, qui nemini prorsus, etiam sibi subordinato, gloriam suam dare velit, nolle etiam idolis eam dari. At eandem rem bis dici,

Per vocem alteri idola significari docetur.

nec

nec inusitatum est, nec absurdum. Vnde etiam constat, quare vox *alteri*, non simpliciter accipienda sit, sed tantùm de tali, qui similis sit sculptilibus: imò quia prior pars versiculi nimis erat latè dicta, his sequentibus eam Deum quodammodo correxisse, statuendum est.

Sed habet præter hanc suam meram conjecturam Smiglecius argumentum. *Tota*, ait, *ratio, ob quam se gloriam suam alteri non daturum obstringit Deus, est: quia ego Iehova. At hæc ratio non solùm falsos Deos excludit, sed etiam subordinatos. Quia nullus ex illis sit Iehova, quare nec Iehovæ gloria dignus.* Sed hoc argumentum prorsus est elumbe. Nec enim constat, verba, *ego Iehova*, rationem esse ejus, quòd Deus gloriam suam alteri dare nolit. Simpliciter enim prolata sunt, Ego Dominus. Smiglecius autem, qui nihil non audet, de suo addidit vocem *Quia*. Et possunt illa verba simpliciter haberi pro narratione, quòd Deus scilicet de se dicat, se esse illum, qui semper sui sit similis, hoc esse nomen illius, & se gloriam suam alteri nō daturum. Nec etiamsi ratio essent ejus, quare Deus gloriam suam alteri dare nolit, statim consequeretur, voce *alteri* excludi omnes etiam Deo subordinatos, & præsertim Iesum Christum. Quantumvis enim nemo re ipsa Iehova esse possit, potest tamē Iehovæ personam gerere, & ita eatenus gloriâ divinâ dignus esse, quod in Christo Iesu perfectissimè contigit.

Quid in loco Esaiæ dicatur.

Iehova alius præter Deum appellari potest.

Porrò cùm ego dico, Apostolum Petrum testari, quòd Deus Christo gloriam & honorem dederit, ad ostendendum vocem *alteri* apud Prophetam non simpliciter de quovis, qui Deo subordinatus sit, intelligendam esse, respondet Smiglecius, *negandum esse, Apostolos illo sensu, quem ego urgeo, interpretatos esse Esaiam.* At nunc non de sensu, sed de verbis tantùm sermo est; & si legatur alicubi, præsertim apud Apostolos, quòd Deus Christo gloriam dederit, jam necessarium esse videtur, verbum *alteri* apud Prophetam restringendum esse. Sed cur tandem non eo sensu, quem ego urgeo, interpretati sunt Esaiam Apostoli? *Quia Apostoli nunquam docuerunt, Christum esse alterum Deum, nec patri in divinitate subordinatum, sed ei æqualem.* At æqualem Deo esse, & eidem subordinatum non sunt contraria. Imò qui docet, aliquem Deo esse æqualē, hoc ipso docet, eum esse Deo subordinatū, & ita suo modo alterū Deum. Æqualis enim Deo absolutè nemo esse potest, cùm essentia Dei sit numero una. Numerica verò unitas, omnimodam æqualitatem nullam patitur. Et quandocunq; Christus æqualis Deo dicitur, semper id restringendum esse, prolixè à nobis jam antea demonstratū est. Addit deinde Smigl: aliquid, quomodo Deus Christo gloriam suam dederit, nempe *tanquam ei, qui unius & ejusdem naturæ cum Deo sit.* Quod est istud artificium Smiglecii, cùm

Ex Apostolis Prophetarum verba restringenda.

cii, cùm non habet quod dicat ampliùs, ſententiam ſcilicet dicere, & ita adverſarium non argumentis refutare, ſed autoritate reprimere. Quæ tamen ipſius ſententia vel ex hoc ipſo falſitatis arguitur, quòd Deus Chriſto gloriam dedit, quem ex mortuis reſuſcitavit, ut ibidem Apoſtolus addit. At qui ex mortuis reſuſcitatur, is ejuſdem cum Deo naturæ eſſe nequit. Mortalis enim ut fuerit neceſſe eſt: Natura autem Dei immortalis eſt. Nec quicquam hîc juvare poteſt Smiglecium diſtinctio naturarum in Chriſto. Nec enim Chriſtus, quoad naturam humanam, mori potuit. Cùm mori ſit ſuppoſitorum. Natura autem humana ſuppoſitum vel perſona non fuit. Ex quo ſequitur, aut perſonam Chriſti mortuam fuiſſe, aut Chriſtum non eſſe mortuum. Si Chriſtus non eſt mortuus, falſi accuſantur ſ. literæ: Si perſona Chriſti mortua eſt, Deus ipſe mortuus eſt, quod & blaſphemum eſt, & cõtrarium ei, quod Chriſtus ejuſdem naturæ cum Deo fuerit.

Smiglecius ſententiã dicit loco reſponſionis.

Chriſtũ non eſſe unius naturæ cum Patre.

Iam ex his tandem videre poteſt Smiglecius, quanti æſtimandum ſit, quod hîc de loco Eſaiæ 48, 11. in quo vox *alteri* de idolis accipitur, aſſerit, nempe eodem ſenſu illum accipiendum eſſe, quo hunc Eſa. 42. Nam ſi vox *alteri*, Eſa. 48. ſignificat ſola idola, ut textus ipſe comprobat & teſtimonia virorum doctorum, quæ etiam antea attuli, hîc verò Eſa. 42. vox *alteri* aliud quid ſignificat, & idolis opponitur, quomodo eodem ſenſu verba utraq; accipi poſſunt: vel quomodo ex eo quòd Deus Chriſto gloriam dedit, intelligi ea verba poſſunt, quibus dicitur, Deum non daturum gloriam ſuam alteri, hoc eſt, nemini ex ſenſu Smiglecii. Ita interdum turpiter claudicat Smiglecius, & quid affirmet, ipſemet vel non intelligit, vel non conſiderat. Videat etiam lector cordatus, an gloriatio, quâ affirmo, omnia, quæ de loco iſto Eſa. 42, ab adverſariis allata fuere antea, ita a noſtris eſſe proſtrata, ut conſiſtere nullo modo poſſint, ſtulta ſit, & an ea omnia, quæ nos dicimus, nugæ ſint & næniæ, ut ait protervus Smiglecius.

Incogitantia Smiglecii.

Porrò rudem me appellat Smiglecius, cùm illum reprehendo, qui dicit, nomen Iehova eſſe incommunicabile, & doceo, id cum eis communicari, qui perſonam Dei ſuſtinent. In quo verò eſt iſta mea ruditas, & ineptia, ut ad marginem addit? *Aliud eſt*, ait, *communicari nomen alicui verè, aliud figuratè. Iis enim qui Dei perſonam repræſentant, nomen Iehova poße communicari, figuratè & repræſentativè, quis inficiatur? At verè communicari, Deus ipſe diſertè hoc loco negat.* Hæcciné eſt iſta alta ſapientia, cujus opinione inflatus Smiglecius ruditatem mihi obiicit & ineptias? At ego ſanè nullam hîc perſpicio. Nam ſi nomen Iehovæ communicabile eſt, qualicunque modo, ut ipſemet Smiglecius fatetur, quomodo is jure non reprehenditur, qui abſolutè dicit,

tè dicit, nomen istud esse incommunicabile? Quomodo porrò is non rudis est, qui verè & figuratè communicari invicem opponit. Cùm, quicquid communicatur figuratè, verè communicari necesse sit, alioquem communicatio nulla esset. Nam quod non verè communicatur, id etiam non communicatur. Iam si per vocem *verè* aliud quid intelligat Smiglecius, videat iterum intelligens lector, quanta hic lateat sapientia. Fortasse nobis inter verum & falsum tertium quid constituere iterũ volet Smiglecius, ut in monstris suis fecerat. Quod tamen in hoc altero scripto nusquam meminit. nimis enim fabulosum est.

Verè & figuratè non opponuntur.

Sed adhuc habet, quo se tueatur Smiglecius, nempe quod *sap:* 14, 21, dicantur, *homines errore deceptos nomen incommunicabile lignis & lapidibus imposuiße*. Ad librum Apocryphum confugit, ut appareat, eum non habere aliunde pręsidium in hac causa. Nec tamen hoc etiam quicquam prodest. Iam enim concessit Smiglecius, nomen Iehovæ esse certo modo communicabile. Vnde constat, non simpliciter id dictum esse in libro sapientiæ, sed certo loquendi modo Dei nomen ita describi & extolli. Vnde etiam Vatablus pro incommunicabile habet, *cum nulla re communicandum*, nempe ab hominibus. Adde quòd vox græca aliter converti potest, ut ex Vatablo apparet, nempe nomen nulla cum re communicandum, ut hinc appareat, non esse nomen istud per se incommunicabile, sed communicari cum nemine debere scilicet ab hominibus & modo perfectissimo. Nemo enim alius Iehova esse potest, præter unum Deum illum summum.

Quatenus nomen Iehovę sit incommunicabile.

Repetat igitur, quantum volet Smiglecius, istam suam illationem, quòd, si alteri cuipiam Deo, Dei Iehovæ gloria communicari diceretur, Deus ille futurus sit, sculptile & falsus Deus, propterea tamen non cessabit ea esse, id quod ego dixeram, nempe contradictio spiritui sancto, & blasphemia ejusdem. Cùm enim Christus Deus sit, & alius Deus a Iehova. nam a Iehova Dominus & Christus (adeoque Deus, ut quidam Patres legunt,) factus, & talis Deus est, qui apud illum Deum, summum scilicet, fuit, qui ex Patribus natus, qui deniq; ex mortuis resuscitat⁹, vestigia clavorum in manibus & latere ostendit, parumné constat, eum, qui sculptile illum & falsum Deum appellat, quia non sit Iehova, spiritui S. contradicere, & eundem blasphemare? Appellet etiam incredibilem temeritatem & impudentiam meam Smiglecius, quòd Christum alium Deum esse dicam ab illo uno Deo, qui est Iehova, nihil tamen proficiet, quamdiu non docet, eum, qui naturâ homo est, Deum naturâ esse posse, quod fieri nunquam poterit. Nam qui naturâ homo est, is etiam persona humana

ut sit

ut sit necesse est, ideoque persona divina & naturâ Deus esse nequit. Negare autem Christum esse naturâ hominem vel personam humanam, est negare, quodammodo, ipsum Christum, de quo alibi plura.

Sed nunc alteram nostram explicationem loci Es: 42 aggreditur Smiglecius. Gloriam Dei dicimus esse tum eam, quæ solius Dei propria, tum eam, quæ gloriæ Dei similis est. Illam Deum nemini, nec Christo ipsi dedisse, concedimus. Smiglecius gloriam similem gloriæ Dei non dari, vel non esse gloriam Iehovæ, triplici ratione ostendere conatur. Prima est. *Quemadmodum, scriptura teste, uni vero Deo nullus est similis Deus, ita etiam gloria unius veri Dei nulli alterius gloriæ similis esse potest.* Inverto ego. Quemadmodum, scriptura teste, uni vero Deo similis est Deus Christus ita etiam gloria unius: veri Dei, Christi gloriæ similis esse potest. Adducit scripturam V. Fœderis Smiglecius, in qua dicitur, *Domine quis similis tibi?* Adduco ego scripturam N. Fœderis, quæ disertè testatur, Christum esse æqualem Deo, & ea de illo affirmat, ex quibus necessariò colligitur, eum esse similem, & Deum similem vel æqualem Deo. Distinguat tempora Smiglecius, & concordabit scripturas. David jure dicere potuit, Domine quis similis tibi? nesciebat enim tunc alium Deum esse Deo similem: At nos Christiani, edocti ab Apostolis, dicere possumus, Deus noster, similis tibi est Iesus Christus. Vis enim ut ita eum honoremus, sicut te ipsum.

Christus similis Deo.

Secunda ratio est. *Non quævis similitudo cum Deo, sed solùm similitudo in Deitatis essentia divinum cultum meretur. Cùm igitur nulla res creata similitudinem cum Deo in Deitatis essentia habeat aut habere possit, non poterit etiam similem Deo gloriam habere.* Agnoscimus, non quamvis similitudinem cum Deo, cultum divinum mereri, nec opus erat, ut ita verbosè istud, quod nemo negat, prosequeretur Smiglecius. Hoc docendum erat, solùm similitudinem in Deitatis essentia (ut loquitur Smiglecius) cultum divinum mereri. Hoc quia non facit Smiglecius in hoc suo verboso discursu, ratio hæc secunda prorsus nulla est. Falsum autem esse quod ait Smiglecius hinc constat, quod ei, qui essentiâ Deus esse non potest (est enim homo essentiâ) scriptura N. Fœderis cultum divinum tribuendum esse asserit.

Præter similitudinem in deitatis essentia, alia est digna cultu.

Tertiam rationem, ut habet marginalis additio, asscripturus Smigl: a voce *Deinde* incipit, novo scribendi genere. Vox enim *deinde*, secundæ rationis indicium esse solet. Hæc qualis sit, expende lector. *Proprius*, ait, *Dei cultus est ille quo colitur, ut primum rerum omnium principium. Ergo cùm nulla res creata in ratione primi principii similis esse possit, cùm non solum non omnium, sed ne unius quidem rei possit esse primum*

primum principium, nulla quoque res creata similem Deo cultum & gloriam habere poterit. At probandum erat Smiglecio, præter illum cultum, quo Deus colitur, ut primum omnium rerum principium, non dari alium cultum divinum. Hoc verò quia nunquam probabit, nullius prorsus valoris est ista ratio. Debetur quidem cultus ei, qui est primum principium omnium rerum, & is cultus est omnium absolutissimus: sed & ei, qui non est principium primum, sed secundarium in divinis rebus, divinus cultus debetur. Vt enim unus Deus, ex quo omnia & nos in illum, colendus est Christianis: sic etiam est unus Dominus, per quem omnia & nos per illum. Dum verò talem cultum non similem cultui divino, sed ei dissimilem appellat, qui tribuitur principio secundario, verbis ludere videtur. Potest enim is cultus & similis & dissimilis cultui divino appellari, diverso respectu. Dissimilis est, quatenus non est prorsus idem, qui Deo tribuitur. Is enim est, ut quis agnoscatur primum rerum omnium & ipsius salutis principium, quod de nemine præter Deum Patrem prædicari potest. Similis est, quatenus non est cultus humanus aut civilis qualicunque modo religiosus, sed verè divinus. Nam & animum hominis requirit, qui solus Deo debetur: & circa ea versatur, quæ a solo Deo proficisci possunt.

Cultus debetur etiam secundario salutis principio.

Cultus qui Christo debetur, quatenus divino similis & dissimilis.

Addidit hîc aliquid de suis Catholicis Smiglecius, quòd illi credunt, Christum esse Deum non ὁμοιύσιον (ὁμοιούσιον habet Smiglecius) sed ὁμοούσιον, non similem sed consubstantialem: sed nunc, non quid credant Catholici, sed quid credere debeant Christiani, docendum erat. Præterea nescio quo fine addatur, Catholicos non credere, Christum esse Deum ὁμοιύσιον, cùm hac de re nemo nunc illis litem moveat: nec nos talem Deum esse Christum credamus. Aliud enim est, credere Christum esse similem Deo, vel Deum similem Deo; & aliud, credere eum esse Deum ὁμοιύσιον. ὁμοιύσιος enim non similem (ut Smiglecius ineptè hanc vocem convertit) significat, sed substantiâ similem. Quæ sententia certè non est nostra. Qui verò Christum Deum ὁμοιύσιον esse credit, is quomodo eundem etiam Deum ὁμοιύσιον esse non cogatur credere, non facilè exponet Smiglecius. Ita scilicet sæpe Smigleciū quidvis effutire nescio quid cogit.

Impertinentia adducit Smigl.

Iam cùm docet Smiglecius, parum esse ad id, ut quis divino cultu afficiatur, quòd sit secundarium principium, nempe salutis nostræ, ut nos semper addimus, cùm etiam homines & Angeli sint secundarium principium salutis nostræ, nec tamen divino cultu coli possint, respondemus: Satis id omnino esse in Christi persona, si duo considerentur.

Christus divino modo salutem administrat.

derentur. Vnum eſt, quòd non qualicunq; modo, quo etiam homines & Angeli ſalutẽ noſtram adminiſtrare poſſint & adminiſtrant, Chriſtus ſalutem adminiſtret, ſed eo modo, quo ipſe Deus: Imò quod majus eſt, loco Dei. Pater enim neminem judicat, ſed omne judicium dedit filio. Quod de nullo nec hominum nec Angelorum vel cogitari quidem poteſt. Alterum eſt, quòd divina autoritas nos ad cultum Chriſto exhibendum adigat. Nam ſi præceptum eſt Angelis, ut eum, poſtquam in mundum introductus eſt, adorent, quantò magis hominibus? Et ideo datum ſibi eſſe ait Chriſtus omne judicium, ut omnes honorent filium, ſicut honorant Patrem. Quod iterum nec de Angelis nec de hominibus uſquam dictum reperitur. Et mirum ſanè eſt, Smiglecium ita eſſe errore excœcatum, ut non videat, quãtum interſit inter Chriſtum & Apoſtolos vel Angelos in adminiſtratione ſalutis noſtræ, & proinde Chriſto cultum deberi, Apoſtolis verò & angelis minimè, non agnoſcat. Quid enim annuntiatio ſalutis & mediorum ad eam conſequendam, remiſſio item peccatorum, qualis in Apoſtolos cadit, & Sacramentorum adminiſtratio, commune habet cum eo, quod Chriſtus in ſalute noſtra procuranda nunc agit? Chriſtus enim omnia ad ſalutem pertinentia verbo virtutis ſuæ portat: Chriſtus per ſe ipſum expiationem peccatorum noſtrorum facit, perpetuò ſedens ad dextram Dei: Chriſtus nos ab ira futura eruit: Chriſtus nobis omnibus, qui ipſi confidimus, vitam æternam poteſtate ſua divina in ipſo reſidente, daturus eſt: a Chriſto reguntur omnes Angeli: a Chriſto ex mortuis reſuſcitabuntur & ſaluabuntur ipſi etiã Apoſtoli. Illud nunc non examino, quòd, aliud agens Smigl:, ait, per Sacramenta (& procul dubio ſeptem) ſalutem obtineri. Falſiſſimum autem eſſe & idolatriæ non minimam partem, conſtanter affirmo, & demonſtrare paratus ſum, ſi id probare, quod aſſerit, unquã volet Smiglecius. Quanquam id antea etiam a nobis præſtitum eſt.

Heb: 1. 6.

Ioan: 5. 23.

Differentia adminiſtrationis ſalutis inter Chriſtũ & angelos vel Apoſtolos.

Porrò cùm nos ex Scriptura docemus, Chriſto propter communicatam poteſtatem cultum divinum deberi, ut jam non ſemel ex loco iſto inſigni, *Pater neminem judicat, ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem*, oſtendimus, magnam parat Smiglecius, ſed valdè otioſam, & prorſus vanam reſponſionem. Primùm enim ait, *Chriſtum nullo modo ratione poteſtatis creatæ, ſed ſolùm increatæ, quam unâ cum natura divina ſibi communicatam habet, & Deum eſſe & divinum cultum mereri.* Et duplicem in Scripturis poteſtatem Chriſto homini communicatam commemorat. *alteram, quâ eſt æqualis Deo, & omnia quæ Pater facit, & ipſe ſimiliter facit: alteram miniſterialem, ſecundùm quam ſubjectus eſt Patri, & Patre minor, ſe-*

nor, ejusque nomine ac virtute omnia facit. Audimus, quid dicat Smiglecius, sed,quomodo id,quod dicit,probet,non videmus. Dico autem, considerationem istam potestatis divinæ in Christo increatæ & creatæ prorsus nullam esse. Nam, etiamsi tandem concederetur,potestatem Christi divinam creatam esse, nullo tamen modo consequeretur,Christum propter illam & Deum non esse, & cultum divinum non mereri. cùm nihil impediat, quominùs talis & tanta a Deo creari possit potestas, ob quam quis & Deus sit & divino cultu dignus. Nam nec ratio repugnat, nec contrarium quid sacræ testantur literæ. Sed præterea non est necesse statuere, Christo creatam potestatem esse a Deo communicatam. Dici enim potest,&fortasse debet, increatam potestatē divinam cum Christo communicatam,vel saltē de increata potestate potestatem in Christum emanasse,&derivatam esse. Quo sensu dicitur, Deum ex Spiritu suo,qui proculdubio increatus est,ut ipse Deus, dare fidentibus; & eosdem naturæ divinæ,quæ proculdubio increata est, fore participes affirmatur: imò de Christo dicitur, quòd ei pater vitam in semetipso habere, quæ certè non est creata, dederit, sicut ipsemet Pater eam in semetipso habet. Itaque non tam investigādum relinquitur,núm creata vel increata sit potestas Christi divina,sed simpliciter&firmiter id tenendū est,potestatē illā divinam cum Christo a Deo cōmunicatam, idque Dei beneficio certa de causa & certo tempore fuisse. Hoc enim firmo stante, semper apparebit, quanto in errore versetur Smiglecius,qui credit,cum Christo potestatem divinam unâ cum natura divina ab æterno, idque necessariò fuisse communicatam. Deinde dico, distinctionem etiam duplicis in Christo potestatis, non minùs esse futilem. Non duplicis enim potestatis Christi fit mentio in s. literis, sed una eademq; potestas Christi duplici respectu consideratur. Quod ad causam efficientem istius potestatis attinet, non habet eam Christus a se ipso, sed a Deo, ex gratia, certo tempore & certa de causa; & ita Christus Patre minor est, & ejus virtute omnia agit. (nam Christum nunc subjectum esse Patri ut ait Smiglecius falsum est. cùm disertè legatur, eum subjectum futurum cùm regnum suum tradet Patri) Quo ad perfectionem verò potestatis & usum illius, Patri æqualis esse, imò loco Patris regnare dicitur. Nam ut Pater, sic etiam Christus potest mortuos vivificare, hoc est, immortales reddere. Nihil autem huc faciunt verba illa, *quæ Pater facit, ea similiter & Filius facit.* Hæc enim de potestate Christi non ea, quâ nunc nos regit & olim servabit, sed de ea, quâ in terris miracula faciebat, dicta esse, ipse contextus ostendit. Explicatio etiam potestatis Christi ministerialis, saltem

Christi potestas quomodo creata & increata dici queat.

In Christo non duplex potestas, sed unius potestatis duplex respectus considerandus.

ex parte admodum frigida est & insulsa, dum ait: *Hac potestate Christus est sacerdos & servator, potestq; nos salvare, sed accedens ad Deum, pro nobis orando, interpellando, sanguinem fundendo, sacrificando.* Primùm enim Smiglecius accessionem Christi ad Deum & pro nobis interpellationem propriè accipit, quo nihil ineptius dici potest. Hoc enim admisso, Christus non est re ipsa servator noster. Negatur enim hoc ipso, eum potestatem habere absolutam nos servandi. Cùm absolutæ potestatis possessio & interpellatio ex diametro invicem pugnent, & alterum alterum tollat necessariò. Deinde ita Smiglecius loquitur, ac si Christus sanguinem nunc fundendo nos servet, cùm dicendum esset, si modo ita etiam dici potest, eum nos servare sanguine fuso. Quòd si Smiglecius aliter intelligit, multò fœdius errat.

Inepta dicit Smiglecius.

Sed his omissis, expendamus, quomodo doceat Smiglecius, Christo datam esse potestatem increatam cum natura scilicet vel essentia divina conjunctā. Sic ergo ait: *Neq; enim aliquid creatum, potest esse æquale Deo. Vt enim Deus est quid summum: ita potestas ejus est summa, & id, quod est illi æquale, debet esse summum, ac proinde Deus. Solus enim Deus est summus: & quicquid est extra Deum, est infra Deum, ac proinde infra summum, & ex consequenti non æquale Deo.* Verbositatem Smiglecii non curo. Rem ipsam expedio breviter. Absolutè accipit Smiglecius æqualitatē cum Deo, cùm de Christo sermo est, quæ secundùm quid necessariò accipienda est. Non datur enim ulla persona, Deo per omnia æqualis. Daretur enim alia substantia Deo per omnia æqualis, præter divinam, (cùm nulla sit persona, quæ non sit substantia) atq; ita essent duo Dii summi, quod falsissimum est. Quando verò de Christo dicitur, eum esse æqualem Deo, nempè quoad potentiam, tunc illud non simpliciter accipiendum est, sed certo respectu & certa ratione, nempè quòd Christi potestas sit ejus generis, cujus ea est, quæ in Deo inest naturaliter, atq; ita, quod æquale Deo est, creatum vel, ut nos loquendum censemus, datū vel communicatum esse potest: imò ut sit, prorsus necesse est, nisi duos Deos summos inducere velimus.

Æqualitas cum Deo nulla est absolutè.

Quæ deinceps de judiciaria Christi potestate disserit Smiglecius, ea iterum produnt, quantum in vera Theologia profecerit. Primùm id, quod Christus de judicio sibi tradito ait, refert ad illud tempus, *cùm Christus omnes in corpore & anima vivificabit* ut ille ait. Cùm tamē certum sit, per omne judicium intelligi omne imperium, quod Christus ab eo tempore exercet, quo ad dexteram Dei sedere cœpit. Additur enim, hoc ideo factum esse, ut omnes honorent filium, sicut honorant Patrem. Atqui jam ab eo tempore voluit Deus, ut filius ho-

Locus Ioan. 5. explicatur.

us honoraretur ut Pater, quo Christus in cœlis regnare cœpit. Ergo etiam ab eo tempore illi judicium omne datum fuit,&Christus illud exercet. Nunquam enim effectus prior est suâ causâ. Deinde id,quòd Pater ipse non judicet quenquam, sed per Christum, ineptè explicat per id,quod Ioh.5.dicitur,filium nō posse facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem,hoc est,simul secum operantem.Nam hæc verba Christi non pertinent ullo modo ad judicium illud, de quo v. 22. sermo est: sed ad id, de quo v.17.dictum fuerat,nempe de operib⁹ miraculosis,quæ Christus,dum mortalis esset,edebat,quæ oratio durat usq; ad illa verba, *Pater diligit filium,& omnia demonstrat ei, quæ ipse facit*, ut pote quæ causam,cur Christus tunc miracula tanta facere potuerit, continent. Postea verò nova res incipit, dum Christus ait: *Et majora his demonstrabit ei opera ut vos miremini*. Quæ verò ista sunt majora opera? Hæc: *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat.* Et iterum: *Neq; enim Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio.* Vnde constat, filium non posse facere quicquam a se ipso,longè aliud esse ab eo, quod Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio.In illis enim verbis prioribus de eo est sermo, quod Christus tunc, cùm in terris degeret, potestate a Patre sibi tradita operari poterat:in his verò de eo, quod postea demum Pater ei demonstraturus erat.

Judicium Christi & eius in terris operatio differunt.

Iam quæ de perfectione potestatis (ut ille loquitur) judiciariæ Christi differit Smiglecius,ea prorsus sunt vana. Cùm non id nunc agatur, quàm perfecta sit Christi potestas,sed an naturalis juncta cum natura vel essentia divina ista potestas fuerit,quam increatam appellare libet Smiglecio,quod, dum ita, nescio qua de causa, discursui indulget Smiglecius, obscurare velle videtur. Quanquam & hîc ipsius apparet inscitia, ut alibi semper, cùm aliquid de loco sacrarum literarum differit. Ait enim, his verbis Christi: *Filius quos vult vivificat, Pater dedit Filio vitam habere in semet ipso,& potestatem dedit judicium facere, quia filius hominis est*, describi potestatem Christi absolutam vivificandi omnes in corpore & anima, quâ Christus in judicio suo usurus est. Cùm tamen ipsa verba & res aliud suadeant.Nam dum dicit Christus, *quos vult*, de omnibus se loqui disertè negat.Dum verò ait infra, *pater dedit filio vitam habere in se ipso, & potestatem dedit judicium facere,quia filius hominis est*, pariter non de omnibus agit. Ratio enim redditur,quare ii,qui vocem FiliiDei audierit,victuri sint, hoc est, æternam vitam consecuturi. Ea autem duplex est. 1. quòd Christus sit futurus immortalis,ut ipse Deus est v.26. 2. Quod potestatem consecuturus sit omnibus dandi immortalitatem v.27.Et cer-

Ioan:5. non de omnibus hominib⁹ agi.

 te verba, *quia filius hominis est*, poterant monere Smiglecium, hic non de vivificatione omnium sermonem esse. Quid enim hoc ad impios, quòd Christus filius hominis est. Soli fideles insignem ex eo consolationem & salutis certutitudinem habent, quòd is nunc salutem administret & olim perfecturus sit, qui filius hominis est. Hinc enim salutem non tantùm promissam, sed ad oculum expressam vident.

Error Smiglecii. Mitto nunc illud, quod ait, *Christum vivificaturum omnes in corpore & anima*. Viderit tamen ipse, quomodo hoc cum dogmate Pontificiorum, quo tradunt, animas post mortem hominis vivere, conveniat, & cur me impietatis accuset, de quo infrà ait, quod negem hominem cum anima & corpore interire, quod tamen non sine calumnia dicitur, ut infrà docebimus. Nam si Christus in corpore & anima omnes vivificabit, certè anima & corpus interit. Nam quæ non intereunt, ea vivificari non est necesse.

Sed nondum est finis discursus Smigleciani. Fingit enim me opponentem sibi aliquid, & ad marginem asscripsit: *oppositio Smalcii prima*, & iterum: *Altera solvitur*, cùm tamen non ascripserit, ubi ego istam opponam. Sed quid facies? Ita pro libitu suo me tractat Smiglecius. Videamus quid nám illud sit, &, quid occasione hujus fictæ objectionis prolixè disserat Smiglecius, diligenter examinemus, ut quàm in fœdo & multiplici errore immersus sit Smiglecius, hîc etiam copiosè appareat. Ait igitur, *quod si opponat Smalcius, additum esse, quia filius hominis est, respondeo, non ideo eße additum, ut creata potestas intelligatur, sed quia divina illa & increata potestas eo fine homini illi communicata est, ut per actus illius hominis, & in forma hominis exerceatur. Placuit enim Deo judicare orbem terræ in viro in quo statuit, Act:* 17.31. Vide, benevole lector, quàm me frigidè opponentem fingat Smiglecius, ut habeat, quem vincat. Vide etiam, quomodo opponenti respondeat. Certè enim ego, si opponendum mihi esset, paulò aliter opponerem ista verba Christi Smiglecio, & alio modo argumentum adversus ipsum ex illis eruerem, quod non tam facile solveret Smigl: quod etiam sæpe antea indicatum fuit. Smiglec: autem quid respondet? Sententiam, ut solet, dicit, eamq; talem, quæ nihil in se roboris habet. Non enim quęritur, cur vel quo fine divina potestas homini Christo cõmunicata sit: sed, quomodo cum filio hominis cõmunicari increatea, quã vocat, hoc est, cum essentia divina cõjuncta potestas potuerit, nunc investigatur. Infiniti enim ad finitum nulla est proportio. Allegatio loci Act. 17. digna etiam est Smiglecio. Verba vitiosè conversa, sinę omni sensu perfecto ita asscripsit, acsi Paulus ita

Negligentia Smiglecii.

lius ita locutus fuisset. Cùm Paulus non dicat,placuisse Deo judicare orbem terræ,sed statuisse(Deum) diem,in quo judicaturus est orbem terræ in æquitate. Post verba verò, *in viro*, addit, *quem statuit, fidem præbens omuibus, suscitato eo ex mortuis.* Sed hoc in Smiglecio indicasse lectori, satis est, ut ejus negligentiam saltem agnoscat.

Pergo ad alia,quæ sic habent:*Cùm rursus opponit Smalcius, eam potestatem,quæ in Deo est,esse innatam,in Christo verò homine esse donatam, non innatam, ac ex consequenti esse diversam ab ea potestate, quæ in Deo est. Primùm non intelligit,eandem rem,quæ uni innata est,alteri posse esse donatam. Vti si fructus, qui arbori innati sunt,donantur alteri una cum arbore, erunt simul innati & donati diverso respectu: ita & potestas,divinæ quidem personæ Christi innata est, tamen naturæ humanæ Christi, unà cum persona,donata est per unionem hypostaticam,illa,inquam,innata Dei potestas.* Nusquam me ita opponere memini: ipsam tamen rem nunc admitto. Responsio autem Smiglecii nugacissima est.Nititur enim fundamento falsissimo,nempe pluralitate personarum in divina essentia, de qua nunc inter nos controvertitur,dum nos docemus,unam tantùm esse,naturâ personam divinam,Patrem. Iesum verò humanam personam esse contendimus, & ex hoc ipso loco,in quo Filius hominis disertè appellatur, id evincimus. Vnde etiam apparet, quàm appositum sit exemplum de arbore & fructibus.Hîc enim conceditur, esse eum, qui alteri det utrumq;: At in potestate illa innata non est locus ulli dationi. Quia natura rei increatæ,ut eam Smiglecius appellat,hoc est,quæ in Deo una cùm natura necessariò inest,talis est,ut dari nemini possit.Præterea contra manifesta s. literarum testimonia affirmatur,datam esse Christo potestatem divinam, eamq; increatam per unionem hypostaticam.Sacræ enim literę docent,Christo postquam Deo obediens fuisset,datam esse potestatem in cœlo & in terra, & nomen quod est super omne nomen.Et in hoc loco Ioannis 5. disertè affirmatur, quod Pater filio,cui opera,quæ ipse faciebat, demonstrabat,majora opera esset deinceps demonstraturus,quod unionis istius hypostaticę,quam tunc,cùm Christus natus fuit,factam fuisse credit Smiglecius,figmentum prorsus destruit.

Smiglecius principium petit.

Potestas Christo certo tempore data est.

Descendit deniq; Smiglecius ad id,ut neget,scriptum esse,Christo esse donatam potestatem. *Tantùm enim*, ait, *legi, datam esse. Dari autem etiam ea,quæ per generationem & naturalem originem dantur, & ita Christo per generationem datam esse omnem potestatem concludit.* Ego verò disertè scriptum esse affirmo, Deum donasse, & ut fert vox græca,gratis donasse (sic enim alibi eadem vox ab interpretibus Pontificiis conversa est,) Christo nomen, quod est super omne nomen.

Christo donata est divina potestas. Phil: 2. 9. Luc: 7. 42.

Quod

Quod nomen super omne nomen aliud nihil esse,quàmChristi divinitatem vel divinam potestatem, quæ scilicet causa est adorationis illius, quæ ab omni genu Christo debetur validis argumentis demonstrare in promtu esset: Sed quia hoc alio loco refellendum ait Smiglecius,differamus ampliorem hujus rei demonstrationem in illum locum.Deinde dico,siquidem is,qui donat,dat etiam, non posse per id, quod alicui datur aliquid, excludi donationem;& non ita differre dare & donare,ut alterum alterum tollat.Dationem autem pro donatione, non verò pro datione per generationem in loco Ioan: 5. accipiendam esse, ex iis, quæ antea diximus, ad oculum videre est. Christus enim disertè ait: Patrem sibi,posteaquam in mundo fuisset, majora opera demonstraturum, & horum operum unum,idq; præcipuum,recenset,quòd Pater sibi sit daturus omne judicium,hoc est,omnem potestatem in populum suum. At posteaquam Christus in mundo fuit,non fuit ei datum aliquid nec dari potuit per istam generationem vel unionem hypostaticam. Apparet igitur, dationem illam idem esse quod donationem. Adde quòd ibidem dationis istius causa exprimitur, non generatio aut unio hypostatica, sed dilectio Patris. *Pater*, ait Christus,*diligit Filium* &c. Totum igitur id irritum est, quòd hic de ista fictitia generatione Christi, nempe ex essentia Patris,dissferit Smiglecius.In quod si etiam animadvertere voluissem, multò apertiùs fœditas istius opinionis Smiglecianæ apparuisset.Sed satis est in præsentia dixisse,ingens monstrum esse religionis Christianæ,dum docetur, personam divinam hominem esse natum; nec tamen personam humanam fuisse aut esse eum, qui homo natus dicitur: Sed Christum, (ut hìc ineptissimè loquitur Smiglecius) & naturam humanam & personam divinam per suam generationem humanam assecutum esse. Nam ubi nulla nascitur humana persona,ibi nec homo nasci dici potest. Cùm nullũ hominis individuum detur,quod personâ non sit. Adde quòd, si Christus per suam generationem humanam assecutus est aliquid, jam Christus ante extitit,quàm illud assequeretur, quæ est mera contradictio. Assequi enim est suppositi. Deniq; istud naturam humanam tantùm appellare, quod anima & corpore constat,quòd concipitur, nascitur, crescit, patitur, moritur, non verò personam vel suppositum humanum, est hominem ratione privare,& brutam religionem introducere. Quanto verò rectius est, sapere cum f. literis, & credere, Iesum ante mundi constitutionem præcognitum, post conditum verò mundum & promissum & variè adumbratum: tandem verò ex Spiritu S. conceptum &, ex virgine natum, verum & perfectum hominem fuisse, qui,postquam salutis no-

In datione includi potest donatio.

Cur Christo data divina potestas.

Errores Smiglecii ingentes.

Non est homo, sine persona humana.

Christũ esse personam humanam.

Veritatis de Christi persona confessio.

lutis nostræ causa afflictiones & mortem perpessus esset, Dei Patris virtute ex mortuis resuscitatus,& ad dexteram ejus collocatus est,ut populum ipsius nunc regat, & tandem æternùm servet. Quo absoluto, ista Christi potestas iterum ad Deum illum unum redibit tanquam ad fontem suum. Hæc enim sunt ex ipsissimis s. literarum penetralibus depromta oracula,veram summamq;Dei & ipsius Christi gloriam astruentia, & solidam universi humani generis consolationem ob oculos perpetuò ponentia.

Caput X.

Ratione ostendi non posse,ei, qui divinam naturam non habet, cultum divinum non deberi sub N. Fœdere docetur.

Hîc iterum accuso Smiglecium, qui, quod antea in Monstris a se confictis dixerat, otiosè iisdem planè verbis repetit. Quæ licentia Smiglecii quidnám sapiat, cordatis judicandum relinquo. Sequor autem hominem. Dicit iterum,propriam rationem divini cultus, esse naturam divinam: quia verò Christum eam habere nos negamus, hinc concludit, Christo etiam cultum divinum non deberi. Ad hanc rationem,nihil nunc respondeo,ne Smiglecii ingenium imitari videar, qui unam eandemq; rem sine omni justa causa in uno eodemque libello, paucis chartis interpositis, tractat. Quod an hominem doctum, & qui tantum sibi tribuit & alios ita sugillat, deceat, judicent iterum eruditi. Tractabitur autem hac de re in initio capitis sequentis, ubi ea etiam, quæ hîc dicuntur, examinabimus. Nunc verò iterum conqueror coram lectore pio & prudente de Smiglecii in verbis meis recitandis negligentia, si non astutia. Sic enim me facit respondentem: *Non esse omnino certum, cultum divinum deberi Deo propter ejus essentiam: & quamvis id certum esset, tamen præter divinam essentiam esse aliam quoque rationem divini cultus, nempe divinam potestatem: non quamcunque, sed quæ par sit divinæ potestati, qualis est potestas Christi communicata.* Vnde constat, me de potestate, quæ cum Christo est communicata,loqui, & eam causam esse dicere cultus divini. Smiglecius autem, dum ad hoc respondet, ita loquitur: *Deinde & illud, quomodo verum est, quod secundo loco Smalcius asserit, Deum ratione suæ potestatis divinæ, divinum cultum mereri?* Ipsemet antea fassus est,me de Christo loqui: nunc verba mea ad ipsum Deum trahit. An hoc studio fiat, an lapsu, equidem nescio. Indignum sanè est eo, qui palmam aliis in nobis durissimè & irreligiosissimè

Modus responsionis Smiglecianæ reprehenditur.

Cur Christo divinus honor debeatur.

ſiſſimè tractandis præripuit. Iam de Christo intellectum, veriſſimum id eſſe conſtanter affirmo. Nam ſacræ literæ N. Fœderis diſertiſſimè docent, Chriſti, qui naturâ homo eſt, & proinde Deus naturâ eſſe non poteſt, poteſtatem tantam eſſe, ut ei honor divinus debeatur. Filius enim, cui Pater omne judicium poſt id tempus, quo in terris docere cœpit, dedit, qui filius non poteſt eſſe naturâ Deus. Deus enim naturâ omnia ſimul & ſemel habet a ſeipſo, ita eſt honorandus, ut Pater. Ratiuncula autem Smiglecii vix digna eſt, quæ audiatur, ut pote quæ ſacris literis N. Fœderis adverſa fronte repugnet, imò nihil aliud eſt, quam pertinax rei falſiſſimæ, absque omni probatione aſſertio, dum ait: *Etenim nihil meretur divinum cultum, quod Deus* (ſubintellige, *naturâ*) *non eſt.* Hoc enim nec iis verbis in N. Fœdere habetur: nec ex univerſo N. Fœderis codice probari poteſt. Sed de hoc etiam plura in ſequenti capite.

Fatetur Smiglecius, poteſtatem omnem eſſe honore dignam. Vnde ſequitur, aut poteſtatem Chriſti non eſſe divinam, aut ſi divina eſt, divinum etiam ei cultum deberi. At falſum eſt, Chriſti poteſtatem non eſſe divinam. Ergo verum eſt, illi cultum divinum deberi. Sed addit, *ut honore quis divino dignus ſit, Deus quoque eſſe debet.* Fateor. Sed & is Deus eſt, qui poteſtatem divinam habet, etiamſi eſſentiâ divinâ careat, ut millies antea oſtenſum eſt. Iam ſi ob limitatam & circa res terreſtres verſantem poteſtatem Deus aliquis eſſe poteſt: quantò magis Chriſtus ob abſolutiſſimam (in Chriſti populum) & circa res cæleſtes verſantem poteſtatem Deus dici debet? Et ſi Deus talis & tantus eſt, quomodo ei divinus cultus non debeatur?

Chriſtus cur Deus ſit.

Accuſat me, quòd ad argumentum non reſpondeam, dum dico, non propter qualemcunque poteſtatem divinum cultum deberi, ſed ſolùm propter eam, quæ par eſt poteſtati divinæ. Sed ego dum illud dicebam, non ad argumentum ullum reſpondebam: ſed tantùm docebam, contrà quàm Smiglecius ſentit, deberi etiam ob aliam cauſam cultum alicui, nempe propter poteſtatem divinam; &, ut ab eo excluderem alios, qui divinam etiam poteſtatem habent, non qualemcunque ad id, ſed talem, quæ par ſit poteſtati divinæ, requiri oſtenderam. Omiſit autem Smiglecius in his meis verbis recitandis, Chriſtum. Nam aliàs verba mea nullum ſenſum haberent verum: omiſit etiam limitationem additam a me voci *par*, nempe *ſuo modo.* Nam prorſus & abſolutè par Dei poteſtati poteſtas nulla datur. Cùm ut eſſentia, ſic etiam poteſtas Dei propria numero una ſit, & cum nemine communicari poſſit.

Argumentum denique quod hîc format Smiglecius, ne audiveram

ram quidem antea. Nunc illud videamus. *Si divina potestas*, ait, *est per se ratio cultus divini, omnis divina potestas erit ratio alicujus cultus divini: par verò potestas esset solùm ratio paris cultus, non absolutè omnis cultus. Id enim requirit perfectio, quæ esse debet, potestatis & cultus: ista enim sibi mutuò respondere debent proportione quadam.* Dico iterum, antequam ad hoc argumentum respondeam, Smiglecium hoc argumentum antea nunquam proposuisse hoc modo. Quomodo igitur me jure carpit, qui ad illud non responderim? Nunc regero. Argumentum istud a Smiglecio formatum partim fallax esse, partim nihil directè concludere adversus nos. Fallax est, dum ludit in verbis *divini cultus*. Nam si per ea intelligit honorem aliquem & reverentiam, qualem hominibus vulgaribus non exhibemus, concedi potest, omnem divinam potestatem rationem esse talis honoris. At si honorem, qualis Deo debetur, intelligit, falsum est, alii præter solum Christum, talem honorem deberi. Ratio est, quia divina potestas aliorum omnium Angelorum & hominum tantùm eatenus divina dici potest, quatenus & a Deo profecta est, & quatenus divinos quidem suo modo effectus producit, sed tamen tales, qui vel circa res versantur merè terrestres, vel si etiam tales, qui circa res cœlestes versantur, producat: non tamen Dei proprii sunt aut Deo competentes, sed servorum Dei proprii sunt, & illis tantùm competunt. At Christi potestas nõ tantùm eatenus divina est, quatenus a Deo profecta est: sed etiam, idq; potissimum, quatenus tales effectus producere potest & producit, quales nulla omnium creaturarum producere potest, sed tantùm solus Deus. quales sunt, judicare, hoc est, regere spirituali modo homines, & eos tandem vivificare, hoc est, ex mortuis resuscitatos vitâ æternâ donare. Nihil etiam concludit adversus nos. Nec enim nos dicimus, parem potestatem *absolutè* rationem esse omnis cultus: Sed potestatem quæ par est, *suo modo*, divinæ potestati, dicim⁹ rationem esse cultus etiam verè divini, licet non isto perfectissimo modo, quo divinus appellatur is, qui Deo uni, primo omnium rerum autori, competit.

Differentia potestatis Angelorum vel hominum & Christi.

Quæ deinceps addit, *quòd ne in Deo quidem ejus potestas sit ratio divini cultus, nisi quatenus idem est, quod ejus essentia, & quod potestas quæ in Deo est, & a nobis divina ratione colitur, est potestas primi principii*, ea jam antea, (ut ipsemet fatetur) semel dicta ab illo fuerant, a nobis verò refutata, & causam Smiglecii non promovent. Falsum enim est, potestatem, quæ in Deo est, non esse rationem cultus divini. Quod verò idem est potestas illa Dei, quod ejus essentia (ut nunc ita loquar) hoc est, quod in Deo est naturalis & ad essentiam ejus pertinet, id

BIBLIOTHECA UNIV. JAGELL. CRACOVIENSIS.

net, id per accidens eſt, quo ad cultum, quem ejus cauſâ Deo tribuimus. Et etiamſi poteſtas divina ſit primi principii poteſtas, ob quam ei cultus tribuitur: tamen non ſequitur, ob aliam poteſtatem, quæ ſcilicet non ſit primi principii (ut Smiglecius loquitur) hoc eſt, quæ ſit aDeo collata alicui,non deberi ei cultum,ſi nempe par ſit ſuo modo divinæ poteſtati, & præterea ipſius Dei voluntas, quæ ſumma lex eſt, accedat.

Sed quærit ex me Smiglecius,*quamnam poteſtatem inChriſto exiſtimem eſſe parem divinæ poteſtati, creatamné an in creatam? Si dicam in creatam,jam me agnoſcere debere inChriſto naturam quoq; increatam: hæc enim ab in creata poteſtate dividi non poteſt. Si creatam, eam longè eſſe inferiorem, quippe dependentem ab increata, ac proinde parem divinæ poteſtati eſſe non poſſe.* Quæſtio iſta Smiglecii valdè puerilis eſt. Iam enim antea docuimus,creatam dici poſſeChriſti poteſtatem,nec tamenlongè inferiorē increatâ ſimpliciter&abſolutèdici neceſſe eſſe.Poteſt enim Deus,cujus poteſtas infinita eſt,conferre alicui poteſtatem, quæ non longè inferior ſit ipſius increata poteſtate,ſed ei, ſi non prorſus,tamen aliquo modo par, imò prorſus par ei,quæ increata eſt,in certis rebus & ad certum tempus. Nam ſi hoc Deus prçſtare non poſſet, increata iſta poteſtas ipſius hac ipſa ratione blaſphemaretur.Nec neceſſe eſt, poteſtatem creatam dependentem eſſe neceſſariò & abſolutè. Poteſt enim is,qui poteſtatem habet increatam dare alteri tantam poteſtatem quæ, poſtquam ſemel data eſt,& catenus dependens appellari poteſt, jam propria ſit ipſius, cui data eſt, præſertim ad certum tempus &in certis rebus,& ita dependens dici nullo modo poteſt. Vt ſi Rex aliquis, qui regnum habet hæreditarium, filio ſuo partem regni traderet regendam ad aliquod tempus vel ad vitæ filii finem, ejus poteſtas dependere eatenus dici poſſet, quatenus a Patre profecta eſt: Quatenus verò Pater ſeſe imperio ſuper iſtam regni partem ſponte ſua ad tempus exuit, & totamfilii arbitratui permiſit, ita ut nunquam ad Patrem appellare teneatur, certè non independens iſta poteſtas dici poſſet,ſed abſoluta, & ita ſuo modo, in ſuo genere,par poteſtati patris ipſius eſſet. Præterea falſum eſſe docuimus antea, ſi Chriſti pietas increata ſit, in eo etiam agnoſcendam eſſe naturam divinam, eo ſenſu quo Smiglecius id intelligit,hoc eſt,eſſentiam divinam. Poteſt enim ei,qui eſſentiâ a Deo diverſus eſt, increata poteſtas dari, vel de increata poteſtate dari, ut immortalitatem divinam datam, vel de immortalitate ejus datum,vel dandum eſſe fidelibus dicitur.

Creata poteſtas increatæ par eſſe poteſt ſuo modo.

Sed iterum ratione probare nititur Smiglecius, creatam, quam vocat,

vocat,hoc eſt, datam poteſtatem eſſe dependentem. Ait igitur. *Nam ſi de ea poteſtate ſit ſermo, quæ eſt in homine Chriſto ad nos ſalvandos & vitâ æternâ donandos, eâ Chriſtus utitur, cum dependentia, & ſubjectiſſimè pro nobis orando, interpellando, ſacrificando, ſanguinem fundendo, qui non ſunt actus abſolutæ poteſtatis, ſed ab altero dependentis: talisque poteſtas nullo modo eſt par poteſtati divinæ, ſiquidem Deus non orando nec ſacrificando nos ſalvat, ſed ſuâ abſoluta & independeuti ab alio poteſtate & voluntate. Si verò de ea poteſtate agatur, quam Chriſtus per paſſionem ſuam ac mortem acquiſivit, quâ poteſt ſibi ſubiicere omnes & omnibus imperare, ab iisque obedientiam exigere ac leges ad ſalutem pertinentes illis imponere, de quo plærique intelligunt illud Matth: 28, data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, ea poteſtas in primis tam in ſua eſſentia eſt dependens à Deo in fieri & conſervari, quàm in omni ſuo uſu, ac proinde impar poteſtati divinæ independenti.* Appello te, lector cordate, an non idem antea aliquoties dixerit Smiglecius iisdem ferè verbis. Quid igitur de illo ſentiendum ſit, tute judica. Equidem, an animi an corporis morbum accuſare debeam, neſcio. Sed videamus pondus rationis. Primùm ineptiſſimam poteſtatis Chriſti facit oppoſitionem, præſertim ex noſtro ſenſu. Opponit enim Chriſti poteſtatem, quæ in ipſo eſt ad nos ſalvandos & vitâ æternâ donandos, ei poteſtati, quam Chriſtus per paſſionem ſuam & mortem acquiſivit, quâ poteſt ſibi ſubjicere omnes & omnibus imperare, ab iisque obedientiam exigere, ac leges ad ſalutem pertinentes imponere. Quis verò non intelligit, hanc utramque poteſtatem eſſe eandem, & eosdem ejus effectus? Nam qui me ſalvat, is etiam mihi poteſt imperare, & obedientiam a me exigere, & leges ad ſalutem pertinentes imponere. Et certè mirum eſt, Smiglecium ita diſtinguere Chriſti poteſtatem, cùm neque ipſius Theologia id ferat, nec noſtra id poſtulet. Deinde verò non minus ineptè illud dicitur, Chriſtum poteſtate illa, qua utitur ad nos ſalvandos & vitâ æternâ donandos uti ſanguinem fundendo. Cùm Chriſtus per fuſionem ſanguinis poteſtatem illam conſecutus ſit, & ante fuſionem ſanguinis, poteſtatem illam nos vitâ æternâ donandi nec habuerit nec habere potuerit. Quomodo enim is, qui ipſemet mortalis eſt, alium immortalem efficere poteſt? Porrò quid in eo eſt myſterii, quòd Chriſtus utitur poteſtate ſua ſanguinem fundendo, ut ea utitur pro nobis orando, interpellando, ſacrificando? Num ita durat ſanguinis fuſio, ut oratio, interpellatio, ſacrificium, ut ea Smiglecius conjungere non dubitet & hîc & alibi? Certè ſanguinis fuſio res eſt præterita: at oratio, interpellatio & ſacrificium Chriſti, res ſunt præſentes. Ita ſcilicet nugari eos oportet, qui veritatis ſunt

Opponit Smiglecius quæ idē ſunt reipſa.

Chriſtus poteſtatem nos ſervandi quando habuerit.

Fuſio ſanguinis Chriſti & ejus interpellatio differunt.

Per Christi interpellationē independens potestas describitur.

expertes. Præterea unde scit Smiglecius, Christi pro nobis interpellationem & sacrificium esse actus potestatis ab altero dependentis? Si voces istæ propriè accipiantur, verum est, per eas indicari potestatem ab alio dependentem: Sed si figuratè accipiantur, (ut accipi eas necesse est) ad exprimendam tantùm causam istius absolutæ potestatis Christi, nihil impedit, quo minùs independens certo modo potestas per ea describatur. Qua de re infrà suo loco fusiùs dicemus, in refutatione secundi libri. Deniq; falsissimum est, Christi potestatem, quam per passionem suam & mortem acquisivit, in omni suo usuesse a Deo dependentem, ut antea ostendimus. Taceo nunc illam loci Matth: 28. explicationem. Miror autem, qui nám sint illi plærique, qui eum ita intelligant, ut ait Smiglecius Prodiderunt sanè isti, quàm sint inopes Spiritûs divini, qui tam puerilem sensum illis divinis Christi verbis affinxêre. Quid enim? Num in cælo etiam sunt, quibus Christus leges ad salutem pertinentes imponere potest? Num salute opus habent, qui in cœlo sunt? Istam ego intelligentiam aliis non invideo: Smiglecius verò cogitet, an jure me infra reprehendat, qui talium Theologorum libros (ut ille ait) non evolvam. Miror etiam Smiglecium, qui ea asscribere non dubitaverit, quæ exsibilatione sunt dignissima. Agnosco tamen ejus prudentiam, qui, an cum illis plærisq; sentiat, non exposuerit, & ita alienum tergum ad censuram, quam a nobis spera potuit excipiendam, obverterit.

Post hanc rationem aliam etiam subjungit Smiglecius, dum sic ait: *Deinde ea potestas non est omnino absoluta, cùm sit solo meritorum respectu, ideoq; par esse divinæ potestati non potest. Et enim divina potestas non aliqua merita respicit, neque in eis fundatur, sed in absoluto jure ac Dominio, Deus enim non propter aliqua sua merita habet in nos jus & potestatem imperandi, sed absolutè quia Deus est.* Otiosam repetitionem unius & ejusdem rei vel orationis non accuso amplius. Hoc enim vitium Smiglecius affectare quodammodo videtur, ut nunquam contentus sit logica argumenti explicatione, sed semper verborum copia & rei unius iteratione obtundit lectorem. Rationem impugno. Dicit Smiglecius, *eam potestatem* (quam scilicet nos Christo tribuimus) *non esse omnino absolutam.* Sed & nos idem dicimus. Nam omninò absoluta potestas tantùm una est numero in una numero Dei essentia. Cur igitur nugatur Smiglecius? Absolutam autem Christi potestatem dum negat esse, quia fundetur in meritis, hoc est, quia eam Christus per merita acquisierit, & opponit eam absoluto juri & dominio, jam antea dictum fuit, Christi potestatem absolutam isto modo non esse, quo est Dei. Potestas enim Dei in Deo naturalis est: at in

Christi potestas non est omnino absoluta.

Christo

Christo acquisita. Quod verò ad usum potestatis istius attinet, tam absolutus is esse potest, in certis rebus, ad certum tempus, ac est ipsius Dei jus & dominium, nisi Dei potestati multùm detrahere velimus. Illud etiam nunc non exagito, quòd Smiglecius de acquisitione Christi potestatis per merita affirmat. Hoc enim quàm sit falsum, alio loco fusè demonstrabitur, ubi nullum prorsus merito, propriè accepto, apud Deum locum esse docebitur.

Itaque falsum prorsus est, quod deinceps addit Smiglecius his verbis: *Ad hæc quamvis ea potestate absolutè nobis imperare possit, salutem tamen & vitam æternam nobis non confert ex absoluto dominio (hoc enim facit ut Deus) sed ut dictum est, pro nobis interpellando & sacrificando.* Christus enim ex absoluto dominio, dato sibi certo tempore a Patre, confert nobis salutem & vitam æternam, quod absolutum dominium vel effectus illius per verba interpellandi & sacrificandi describitur, ad exprimendum, dominium illud absolutum non esse in Christo naturale, ut est in Deo, sed illi a Deo concessum, ac perinde se habere, ac si Christus illud subinde orando efficiat. Ineptissimè autem iterum distinguit Smiglecius, potestatem Christi, quâ nobis absolutè imperare potest, ab ea, qua nobis salutem & vitam æternam confert. cùm hæc ex sensu, sacrarum literarum & nostro, prorsus sit eadem. Quod verò illud alterum, Christum facere ait Smiglecius, ut Deum, in eo non disputat, sed sententiam dicit, idque pro solutione objectionum affert, quod ipsum in controversia est, adeoque principium petit. De quo ipsius vitio infrà agemus fusiùs, ubi id sibi objici ægrè se ferre prodidit Smiglecius.

Cur absolutum Christi dominiũ per interpellationem describatur.

Nihil autem est, quod ait: *Idem etiam in potestate miraculorum cernere licet, quâ Christus invocato Patris nomine uti solitus erat, ut ostenderet, eam sibi, quâ homo erat, & dependenter a Deo convenire.* Alia enim est ratio ejus, quod Christus fecit, dum in terris mortalis degebat: alia ejus, quod fecit & facit ab eo tempore, quo ad dexteram Dei collocatus est. Tunc Christus potestatem omnem in cælo & in terra nondum erat consecutus, nondum ei omne judicium datum fuerat, nondum potestatem vivificandi, quos vellet, habebat, nondum glorificatus erat: At nunc ista omnia habet. Quanquam falsum etiam est, *Christum invocato Patris nomine, potestate sua ad miracula patranda usum fuisse.* Manente enim in se potestate semel data, omnia miracula fecit, nec opus habuit, ut Patrem super ea re invocaret unquam. Nam quòd semel legitur, illum, cùm miraculum esset editurus, gratias egisse Patri, quòd se exaudierit, id primùm aliud est, quàm invocato Dei nomine aliquid agere, ut ipse sensus communis testatur. Potest enim gratiarum actio esse sine ulla invo-

Alia ratio Christi potestatis nũc est, ab ea quam in terris degens habuit.

Christus miracula non fecit invocato nomine Patris.

catione. Deinde, impropriè etiam accipi poteſt & debet illa gratiarum actio, pro eo quòd poteſtatem illam in ſe manentem, ideoque quoad uſum non dependentem, iſta gratiarum actione datam ſibi fuiſſe ſignificare voluerit, de quo alibi ſcripſimus.

In monſtris ſuis dixerat idem Smiglecius, Chriſtum *ſæpè* invocato Dei nomine miracula feciſſe: monueram eum erroris. Sed ille hoc gnaviter reticet, & ita credit ſe evaſiſſe. Ego verò id annotavi.

Sed adhuc una ratio ſupereſt, cùm ait: *Denique cùm Smalcius per Chriſtum ait facta omnia, tanquam per cauſam mediam & inſtrumentalem, an non eo ipſo poteſtatem Chriſti longè imparem poteſtati divinæ agnoſcit. Dei enim poteſtas eſt poteſtas primi principii, nec eſt inſtrumentalis ſed præcipua.* At hæc ratio nihil contra me valet. Nec enim ego dico, Chriſti poteſtatem eſſe abſolutè parem divinæ poteſtati. Cùm abſoluta paritas divinitæ poteſtatis nulla ſit nec eſſe poſſit. Poteſt autem tam is, qui eſt cauſa prima efficiens, quàm is, qui eſt cauſa inſtrumentalis media, parem ſuo modo habere poteſtatem. Is ex ſe ipſo & naturalem: hic ab illo, qui eam ex ſe ipſo habet, datam. Quemadmodum Pharao & Ioſephus pari poteſtate Ægypti regnum adminiſtrabant, licet non abſolutè pari. Nec enim ita Pharao a Ioſepho poteſtatem habebat ut Ioſephus a Pharaone: & filius Regis. qui partem regni a Patre ſibi ad tempus conceſſam adminiſtraret, pari poteſtate id faceret, licet non abſolutè pari. Tam enim eſſet abſoluta filii poteſtas, in illa regni parte, ſibi cōceſſa a patre, adminiſtranda, quàm abſoluta antea erat Regis patris poteſtas in eam, dum illam poſſidebat, & quàm abſoluta eſſet ejusdem poteſtas in eam regni partem, quam ſibi præ filio reſervavit.

Abſoluta paritas divinæ poteſtatis nulla datur.

Hanc noſtram de Chriſti poteſtate ſententiam, quæ & veriſſima eſt, & ſalutarem Chriſti cognitionem ſuccinctè continet, quod ſcilicet & æqualis Deo & inæqualis dici poſſit, inæqualis, ratione cauſæ, quia a Deo profecta ſit: æqualis, ratione formæ vel uſus, qui eſt independens, Smiglecius fortiter aggreditur, &, eam refutaturus, ait, quòd neque ſufficiat, nec omnino vera ſit. Videamus accuratè, quomodo id effectum velit. Nam ſi hîc Smiglecio aquam hærere oſtendero, conſtabit ſanctiſſima noſtra de Chriſto confeſſio. Sic igitur prius probat: *Nam regum omnis poteſtas, quam Paulus Rom:13.* (14. habet Smiglecius) *a Deo eſſe teſtatur, quoad omnem uſum ſuum abſoluta eſt. Reges ſiquidem abſolutè imperant ſuis ſubditis & leges imponunt: neque tamen idcirco quis dixerit, regum poteſtatem divinæ poteſtati in ratione regiæ poteſtatis eſſe parem. ſiquidem non ſolum a Deo per ſe dependet, ſed etiam ab eodem in omni ſuo uſu (ſi Deus abſoluta ſua poteſtate uti velit) impediri*

Veritas de æqualitate potentiæ Chriſti divinæ non abſoluta defenditur.

impediri potest &c.Pari ergo ratione neq; Christi potestas creata, quæ eodem modo Deo subjecta est, tam secundum se quàm secundùm omnem suum usum, etsi suo modo & certo respectu absoluta sit, par tamen divinæ potestati simpliciter dici non potest, sed illi omni ratione subjecta. Pugnat enim subjectio cum æqualitate. At ego dupliciter errare dico Smiglecium. Errat primum, cùm dicit, potestatem Regum, qui absolutè regnant, non posse dici suo modo parem divinæ potestati. Quæ enim potest esse major potestas, & ad divinam magis accedens, quàm habere imperium vitæ & necis in homines? Nec refert, quòd Deus illam potestatem in manu sua habeat, & eam impedire vel etiam abrogare possit. Nam nunc de eo tantùm tempore sermo est, quo Deus non impedit nec abrogat. Non potest autē efficere contingens vel certò etiam futura rei abolitio, quominus antea sit suo modo par divinæ potestati, quàm aboletur. Errat iterum, dum eodem modo censet Christi potestatem, quo regum terrenorum, & non considerat, de nullo regum dici posse, quòd ita regnet super populum suum, ut Deus super illum non regnet, quod de Iesu Christo dicitur: nec de ullo regum dici potest, eum subjectum Deo non esse, quòd de Christo dicitur, dum affirmatur, eum subjectum olim futurum. Delenda igitur prorsus ista parum religiosa & rantùm nō blasphema verba sunt Smiglecii, dum ait, *eodem modo subjectum eße* Christi potestatem, quo regum potestas Deo subjecta est, ut pote quæ Christum de solio ipsius regio deturbent, & in numerum regum terrenorum referant, qui tamen est princeps regum terræ.

Regum potestas par suo modo divinæ potestati.

Christ⁹ alio modo regnat, quàm reges.

Error Smiglecii crassus.

Posterius sic probat Smiglecius: *Verè etiam dici non poße, Christum ex suæ potestatis usu non dependere a Deo, ex paulo ante dictis manifestum est: cùm constet ea potestate Christum usum, atq; etiam num uti cum relatione ad Deum a subjectione, interpellando, sacrificando, ut dictum est.* At hæc omnia jam antea nescio quoties profligata sunt. Quomodo igitur ea denuo affert Smiglecius ad aliquid probandum? Summa est: Christus ante mortem potestate ista præditus non fuit, de qua nunc nobis sermo est. Quæ verò tunc in eo erat potestas, ea etiam independens ratione usus erat: Quantò magis igitur ea, quâ nunc post mortem suam & ascensionem in cœlos præditus est? Hæc enim verba, *Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit filio*, ut dependentiam eatenus significant, quatenus Christo datum est omne judicium. Deo enim nihil dari potest: sic rursus dependentiam eatenus excludunt, quatenus omne judicium ita datum est Christo, ut pater neminem judicet, hoc est, gubernet ex sua persona, sed per Iesum Christum. Quæ verò de interpellando & sacrificando dicuntur, ea omnia

Christi potestas semper independens fuit, ratione usus.

figuratè accipienda esse, tum ipsa res loquitur. nam perfecta potestas cum interpellatione propriè accepta pugnat, tum infrà suo loco docebitur. Nunc iterum uno verbo rem explico: Per istas phrases, quòd Christus miraculum editurus, Deo gratias egerit, &, quòd nunc salutem æternam administrans, interpellare & sacrificare dicitur, non potestatis Christi usus & forma, sed origo & causa efficiens describitur.

Quid per gratiarum actionem & interpellationem Christi significetur.

Quæ deinceps de ratione potestatis divinæ, ob quam quis colitur, quæ scilicet sit summa, disserit, ea repetere toties, nimis indignum est homine docto; multò verò indignius eo, qui tantùm sibi arrogat, quantum Smiglecius. Credimus Deo tribui gloriam propter potestatem ejus summam, sed negamus, gloriam vel cultum divinum propter solam potestatem summam tribuendam. Testantur enim sacræ literæ N. Fœderis, propter potestatem etiam non summam, ut pote datam &, datam certo tempore certa de causa, deberi Christo cultum divinum.

Quæ verò de Christi potestate increata, ut eam intelligit Smiglecius, hoc est, de naturali iterum addit, ob quam ipse cum suis Christum colat, ea magno animo contemnimus, ut pote quæ in S. literis non tantùm non contineantur, sed etiam ex diametro cum illis adeoq; cum sana ratione pugnent. In s. literis non contineri increatam istam vel naturalem Christi potestatem, manifestum est ex eo, quòd per meras consequentias id deducere conetur Smiglecius. Iam verò, si id ad salutem esset necessarium, ut credit Smiglecius (nam, quia propter datam vel participatã certo tempore potestatẽ, Christo cultum divinum tribuimus, idolatras non esse affirmare non veretur,) necesse omnino esset, ut id in s. literis disertè, &, ut loquuntur, ῥητῶς contineretur. Cùm s. literis pugnat. Hæ enim potestatem divinam Christo certo tempore & certa de causa datam & donatam esse pronunciant. Ratio deniq; id non permittit. Nam, ut una numero est essentia, sic una numero ut sint omnia, quæ illam essentiam constituunt, necesse est. Quod verò cum alio communicari potest, id numero unum hoc ipso esse desinit. Rationem Smiglecii, quam iterum verbosè asscripsit, quòd nihil sit Deo æquale nisi summum, non curo ampliùs. Iam enim paulò ante sufficienter displosa fuit.

Cur non debeat agnosci in Christo potestas naturalis.

Illud etiam falsissimum esse ut antea docui, sic nunc affirmo iterum, omnem divinum honorem esse summum. Datur enim honor in Iesu Christo verè divinus. Nam & fides ei & adoratio & invocatio, quæ verè divini cultus forma sunt, debetur: nec tamen summus. Non enim agnoscendus est pro ultimo fine fidei, adorationis & invocationis.

Non omnis divinus honor est summus.

onis. Cùm qui in Christum credit, non in ipsum credat, sed in Deum, quod idem etiam, de adoratione & invocatione dici posse, omnibus constat. omnium enim horum par est ratio. Sed quia, plura se dicturum ea de re in sequenti capite, promittit Smiglecius, nos etiam plura nos responsuros ibidem pollicemur, non necessitati rei, sed genio Smiglecianо, qui in repetitione unius & ejusdem rei potissimùm apparet in hoc scripto, indulgentes.

Nunc distinctionem, quam nos in cultu Christi divino adhibemus, refutandam sumit. Distinctionem nostram facit, quòd dicamus, *Christo divinum quidem cultum deberi, qui sit ejusdem generis cum eo cultu, quo Deus unus colitur: non tamen esse illi æqualem.* Parum fideliter. Nam si dicimus, cultum Christo debitum esse ejus generis, cujus is est, qui Deo debetur, quomodo negare possumus, esse illi æqualem? Addimus igitur semper, vel saltem sic nostra verba intelligi volum⁹, esse quidem cultum illum æqualem ei, qui Deo tribuitur, sed non absolutè. Deo enim tribuitur, ut causæ primæ omnium rerum & salutis: Christo, ut causæ secundæ salutis. Refutatio Smiglecii est. *Quis hoc absurdè dici non intelligat? Nam si Christus non sit ejusdem generis Deus cũ illo uno Deo, quomodo potest ejusdem generis honore coli? Ejusdem enim generis cultus ob ejusdem generis divinitatem debetur.* Reliqua omitto, quibus probat, Christum non esse Deum ejusdem generis cum Deo. hoc enim in confesso est. Rationis autem hujus primæ consequentiam negamus. Quam quia nullo confirmavit argumento Smiglecius, videat ipsemet, quomodo se gesserit. Nego ad cultum ejusdem generis alicui tribuendum, requiri ejusdem generis divinitatem, ut sic nunc ex mente Smiglecii loquar; & in hoc sequor novi F. autoritatem. Hæ enim ei, qui non potest non esse creatura, tribuunt honorem ejusdem generis, cujus is est, qui Deo uni debetur, dum dicũt: *Sedenti in throno & Agno honor & benedictio.* Nec repugnat huic ratio sana. Quicquid enim contradictionem non implicat, id omne ei, qui potestatem habet a se ipso, eamq; infinitam, possibile factu censendũ est. Quanquam concedi etiam potest, Christum habere divinitatem ejus generis, cujus ea est, quæ in Deo est naturaliter. Ejusdem enim generis effectus producere potest potestas Christi, quos ipsa Dei potestas: Imò suo modo dici potest & debet, unam & eandem esse divinitatem Patris & Filii, quatenus scilicet ab uno fonte proficiscitur, licet diversimodè sit in utroq; Nec enim aliam potestatem, quæ antea nunquam extitit, Deus cum Christo communicavit, sed de sua naturali potestate illi tantum concessit, quantum ad nos nunc regendos & olim servandos opus est. Quemadmodum etiam dici potest, Deum

Cultus ejusdem generis debetur Deo & Christo.

Quatenus Christi divinitas eadem cum patris divinitate.

cum aliis, qui attributorum ejus participes ſunt, de eo, quod in ipſo eſt naturaliter, communicaſſe & communicaturum.

Rationem addit alteram Smiglecius. *Ad hæc,* ait, *Chriſti divinitas ſecundùm adverſarios eſt participatio divinæ poteſtatis. Dei autem veri divinitas eſt eſſentia ejus divina. Sicut igitur Deus per participationem non eſt ejusdem generis Deus cum Deo per eſſentiam, ita nec cultus illius erit ejusdem generis cum honore veri Dei.* Hæc ratio idem fermè eſt cum prima. Nego autem divinitatem veri Dei, eſſe *potiſſimùm* eſſentiam ejus divinam. Divinitas enim veri Dei in poteſtate illius potiſſimùm conſiſtit. aliàs enim nemo præter Deum unùm Deus appellari poſſet, cùm nemo eſſentiæ ejus particeps fit: et tamen alii multi præter unum Deum, Dei ſunt, iique veri; nec contrarium probavit Smiglecius. Falſitas autem utriusq;, quod hic affirmatur, ſuprà & permodò dicta, oſtenſa eſt.

Divinitas in poteſtate divina conſiſtit potiſſimùm.

Teıtia ratio eſt. *Accedit quòd cultus veri Dei eſt cultus ob rationem primi principii, Chriſti verò cultus, ſecundùm illos non eſt ejus generis, non igitur is cultus dici poteſt ejusdem generis cum cultu Dei.* Hoc creberrimè repetitum & a nobis proſtratum iterum proſterno. Cultum divinum dico non eum ſolum eſſe, qui Deo debetur ob rationem primi principii; et hoc nusquam probavit Smiglecius, quod tamen ad argumentum ipſius neceſſariò requiritur. Itaq; etiamſi eo reſpectu non ſit cultus, qui Chriſto tribuitur, ejusdem generis cum cultu unius Dei: poteſt tamen eſſe & eſt ejusdem generis alio reſpectu, quatenus ſcilicet in iis rebus colitur, quæ ſoli Deo propriæ ſunt, & nemini creaturarum debentur.

Quarta ratio eſt. *Denique cultus ob divinitatem participatam non eſt verè cultus divinus, ut patet in hominibus & angelis, in quibus eſt divinitas participata, qui tamen divino cultu propterea non coluntur.* &c. At conſequentiæ ratio nulla eſt. Diverſitas enim divinitatis, quæ Chriſto data eſt, a divinitate, quæ data eſt angelis, facit, ut angelis & hominibus non debeatur cultus divinus, Chriſto verò debeatur. Conveniunt enim tantùm in eo divinitas Chriſti, & angelorum hominumq;, quòd tam illa quàm hæc a Deo eſt: at in ipſa quantitate & qualitate tantùm differt Chriſti ab angelorum & hominum poteſtate, ut reſpectu Chriſti poteſtatis hæc vix divina appellari mereatur. De quo enim non hominum ſed angelorum dixit Deus? Et adorent eum omnes angeli Dei. Cui non hominum ſed angelorum dixit Deus? ſede a dextris meis. Servi ſunt Chriſti homines & Angeli. Quid igitur mirum eſt, Dominum coli, ſervos verò non item? Medium eſt quiddam inter omnes, qui divinitate a Deo donati fuere, & Deum ipſum,

Chriſti poteſtas qualis & quanta.

psum, Iesus Christus. Et licet essentiâ sit homo, potestate tamen propiùs ad Deum accedit, quàm ad ullam aliam creaturam. Quanquam ipsa etiam natura nunc prorsus divina censenda est, de quo alibi infrà. Itaq; id ei debetur quòd Deo. Et annumerare Iesum Christum aliis Diis, est, Christum non cognovisse, & gloriam tam ipsi quàm Deo invidere. Sed prȩter hæc omnia voluntas Dei attendenda est, quæ suprema lex est. De hac quia constat nobis, Deum scilicet velle, ut homines honorent Filium, sicut Patrem honorant, & eum in finem Christum super exaltasse, & donasse nomen (quod est) supra omne nomen, ut omne Iesu flectatur in nomine Iesu, simpliciter illi obsecundandum est, & plùs ei tribuendum, quàm nostris nescio quibus subtilitatibus, vel potiùs sophisticè compilatis argumentatiunculis.

Absurdum deniq; in hoc capite id ait esse, quòd negemus Christum æquali cum Deo cultu coli posse. *Nam si credunt*, ait, *Christum esse æqualem Deo, quomodo illum nō æquali cultu honorandum censent?* Sed & paulò ante docui, injuriâ nobis id affingi, quòd negem⁹, Christum æquali cum Deo cultu coli posse: Imò, ut credimus, Christum esse æqualem Deo, sed non simpliciter & absolutè prorsus. nemo enim datur Deo æqualis absolutè. essent enim duo Dii summi, quod est absurdissimum ex mente ipsius etiam Smiglecii: sic etiam credimus, æquali cum Deo cultu eum colendum esse, sed non simpliciter & absolutè prorsus. Colendus enim est Deus ille unus, ut omnium rerum prima causa: Christus verò Deus subordinatus, tanquam causa rerum omnium, quæ ad salutem quoquo modo pertinent, media. Hoc enim est mysterium Christianæ religionis potissimum & augustissimum, ut unus Deus naturâ, & alter Deo subordinatus Deus colatur.

Cultûs inter Deum & Christum differentia.

Caput XI.

Quæ de divino cultu sentimus, defenduntur a cavillationibus Smiglecii.

DE cultu divino partim falsa, partim impia afferre me ait Smiglecius. Quænam verò illa sunt? Primùm asserit, quòd dicam, *non esse certum, propter divinam essentiam Deo cultum divinum deberi.* Ego verò aliter me loqui dico. Sic enim habent mea verba: Vtut enim certum est, divinum honorem ei deberi, qui divinam habet essentiam: incertum tamen est, ideo eum, *& quidem præcisè*, ei deberi, qui divinam essentiam habeat. Quæ mea verba tacitè viden-

Modus agendi Smiglecianus reprehenditur.

videntur concedere, Deo etiam ob essentiam cultum deberi, tantùm abest, ut id negent. Opposita autem sunt verbis Smiglecii, qui sic argumentabatur: Divinus honor Deo debetur præcisè propter divinam ejus naturam & essentiam. Impossibile igitur est, aliquem divino honore dignum esse, qui divinam essentiam non habeat. Hîc ego antecedens negabam & nunc nego. Nego, inquam, Deo cultum divinum, propter essentiam illius *præcisè* deberi, hoc est, solam ejus essentiam efficere, ut talis cultus Deo tribuatur, qualem ei tribuere tenemur secundùm sacras literas, ut suprà docui. Smiglecius igitur non impium hoc appellet, quòd petam probationem illius, quod affirmat ipse; & insuper, quia non victoriam sed veritatem quæro, rationem explicem, quare probationem ejus petam: sed agnoscat, probandum sibi antea fuisse quod affirmârat, vel, quia tunc id neglexit, nunc probandum id sibi incumbere consideret, & probet quod asserit. Sic igitur rem probat, & quidem demum cap: præcedenti 10. quæ verba huc reservavi: *Propria ratio divini cultus est natura divina: ratione cujus & Deus est Deus, & summum bonum & omnium rerum principium. Deus enim propter id à nobis colitur, propter quod est Deus. Atqui propter solam naturam suam divinam est Deus. Ergo propter solam naturam divinam colitur. Dei autem natura est illa, per quam Deus est, & in seipso summum bonum, & respectu nostri primum principium bonorum nostrorum.* Prolixitatem affectatam non possum non digito ubique ostendere. Cur non succinctè loquitur Smiglecius, rem asserendo & confirmando, omissa ista molesta repetitione tum eorum, quæ semel dicta sunt, tum quæ nihil ad rem pertinent. Quod pluribus prosequerer, nisi id omnibus constare jam arbitrarer, & ab aliis etiam id ei objectum non esset. Dico, Smiglecium non probare, quod probandum erat, sed tantùm iterum affirmare aliis verbis id, quod antea affirmârat. Antea dixerat, cultum divinum Deo propter naturam divinam *præcisè* deberi: nunc ait, propriam esse rationem cultus divini, naturam divinam: Sed ego & illud & hoc nego. Nihil enim video afferri a Smiglecio, quod probabilem istam assertionem efficiat. Agnosco, Deum ratione essentiæ esse Deum & summum bonum, & omnium rerum principium; concedo Deum, ob id a nobis coli, propter quod Deus est: At Deum propter solam naturam divinam Deum esse tam nego, quàm Deum ob solam naturam esse colendum.

Smiglecius non probat, quod probandū erat.

Quid dicet Smiglecius? Hocciné, *me dubitare de eo, quod nullus ne dum Christianorum sed ne gentilium quidem in dubium revocare ausus fuerit?* Sed respondentem ita repellere, non est probare id quod impugnâ-

pugnatur. Probat quidem Smiglecius cap:10. Deum quà Deus est colendum esse, me verò semel dubitantem facit, sitné Deo propter divinam ejus essentiam cultus deferendus, iterum verò me sic interrogat: *An si Deus propter potentiam suam cultum divinum meretur, propter eßentiam non merebitur? Num essentia divina ita Smalcio res vilis & abjecta eße videtur, ut nullum cultum mereatur, aut potentia in Deo majus quiddam sit, quàm ejus eßentia, ut illa sola cultu divino afficienda sit, hæc non item?* Addit & illud: *Denique cùm eßentia in Deo sit veluti fons ipsius potestatis, qui fieri potest, ut ipsa excludatur a cultu, cùm potestas non excludatur.* Sed ista omnia quàm sint calumniosa, malo cordatum lectorem judicare, quàm verbis prosequi. Si sic apud vulgus & summum Magistratum nos traducant Iesuitæ, quid mirum est, nos ab illis, pro hominibus blasphemis & omnis generis suppliciis dignis, haberi? Sed vivit Deus defensor innocentium. Non dixi unquam aut dubitavi, an Deo propter essentiam ejus divinus cultus sit deferendus, sed quòd propter essentiam *præcisè* aut solam sit cultus deferendus, jussi probare Smiglecium: Non dixi, quæ gravior est calumnia, nec cogitavi unquam, essentiam divinam nullum cultum mereri, vel excludendam esse a cultu. Nam credo, dum Deus colitur ob potestatem divinam, summo honore affici divinam illius essentiam & naturam. Et sanè mirum est, Smiglecium ita hîc tumultuari, qui ipsemet fateatur, *Divinam potestatem eße causam sufficientem divini cultus.* Nam quòd postea addit, divinam potestatem esse rationem cultus propter essentiam, cum qua idem sit, & proinde divinam essentiam fore rationem divini cultus, id secundùm ipsius tantùm Theologiam verũ est. Potestas enim Dei vel de potestate Dei communicari cum aliis potest: at de essentia Dei nihil. Regula autem illa, qua hanc suam assertionem fulcit Smigleci9. Quicquid in Deo est, Deus est, nec Theologica est nec Philosophica. Ratio enim docet, aliud esse id quod inest, ab eo, in quo inest. Theologia verò, præterquã quod rationi nihil habet contrarium, non tantùm id nuspiam docet, sed etiam contrariũ ex ea colligi potest. Spiritus enim Dei in Deo est, nec tamen Deus ipse est, revera & accuratè loquendo. Sic enim in Deo est Spiritus Dei, ut spiritus hominis est in homine, teste Paulo & ipso Smiglecio non diffitente: At spiritus hominis non ita est in homine, ut sit homo. Ergo nec Dei Spiritus ita est in Deo, ut sit Deus. Sed hæc alibi etiam & a me & ab aliis viris doctis dicta sunt.

Smiglecii calumniosa dicta.

Axioma Scholasticorum Theologorum examinatur.

C. 1. lib: de baptismo aquæ.

Iam ad ea transeo, quæ cap: 11. dicit Smiglecius ad probandum illud, de quo quæstio est. *Vnicuiq; ait, honor debetur propter ipsius excellentiam, Summa autem Dei excellentia est, natura ipsa divina, quæ tanta est,*

ta est, ut omnem perfectionem comprehendat, & eâ nil majus & melius cogitari possit. Quare certum esse omnino oportet, Deo propter excellentissimam ejus naturam cultum divinum deberi. Respondeo, iterum Smiglecium non probare quod probandum erat. Probat enim Deo propter essentiam cultum deberi: probandum autem erat, Deo propter essentiam *præcisè* vel solam, ut cap: 10. loquitur, cultum deberi. Hoc ego negaram, illud verò minimè. Cur igitur tantopere debachatur in me Smiglecius, siquidem id, de quo me dubitantem facit, nulla ratione probavit?

Smiglecius nec probat nec probare potest, quod est probandum.

Sed mavult me exagitare, quàm sua probare. Producit enim mea verba, *nisi constaret, eum, qui divinam habet essentiam, divinam etiam habere potentiam in nos omnes, & simul voluntatem nos juvandi, non sequeretur, præcisè ei deberi divinum cultum*, & ad ea sic respondet: *O bovis non hominis vocem!* Verba sanè nec morata nec religiosa. Sed ita licet Smiglecio quod libet. *Itáne*, ait, porrò, *tibi Smalci videtur Deus in se vilis, ut, si tibi bene non faciat, & voluntatem te juvandi non habeat, ipse in se non sit Deus, nec honore divino, ob suam ipsius infinitam excellentiam, dignus? Disce, Smalci, Dei honorem non ex tuis commodis metiri, sed ex immensa ipsius in se ipso præstantia.* Ad quæ ego. Dupliciter me calumniaris Smigleci. Nam primùm ego non ex sola Dei beneficentia vel voluntate nos juvandi, sed etiam ex potestate, quam in nos omnes habet, perfectissima, cultum divinum pendere dixi, quam tu studio, in tota hac tua responsione, omittis nescio quâ cōscientiâ. Similis est hic dolus tuus ei, quo Socino in Monstris affingebas, eum Christum Dei filium non nominare ob sanctitatem, cùm tamen ejus & a Socino, & a te ipso, Socini verba repetente, esset facta mentio. Quod quomodo excusaturus esses expectabā: sed tuo more id præteriisti. Ego verò illud aliis notandum ascribo. Deinde non dico, Deum ob suam ipsius infinitam excellentiam non esse dignum honore, ut me traducis Smigleci: sed dico, non deberi cultum divinum Deo *præcisè & propter essentiam*. Tacitè scilicet concedens, deberi etiam propter essentiam, sed non ob solam; nec loco essentiæ dico propter ejus infinitam excellentiam. Nam divina potestas potissima pars est istius infinitæ excellentiæ ipsius. Disce igitur, Smigleci, adversus proximum tuum falsum testimonium non perhibere.

Smiglecius calumniatur.

cap: 20.

Sed ait. *Nam & scriptura, cùm Dei majestatem, quâ omni honore dignus est, extollit, non solùm commemorat profusam in nos benevolentiam, sed præcipuè ea, quæ naturam illam in se præstantissimam & omnibus perfectionibus admirabilem indicant, ut quòd sit immortalis, invisibilis, æternus, immensus, magnitudinis non habeat finem, nec sapientiæ numerū, quòd sit primus & novissimus &c. uti ex innumeris scripturæ locis mani-*

festum est. Sed hîc iterum idem est dolus Smiglecii, quem, modo indicavi, isq;, ut apparet, studio & datâ operâ commissus. Nam ego non solùm benevolentiam Dei commemoro, sed etiam potestatem, eamq; potissimùm, ut verba mea a Smiglecio citata docent. Meminerit igitur Smiglecius, se, dum me impietatis arguit falsò, aliquid certè non admodum pium commisisse. Præterea ineptissimè id asscripsit, quid scriptura de Dei majestate commemoret, quâ omni honore dignus est. Nemo enim hoc inficiatur. Probandum erat, ob hæc, quæ asscribuntur, *præcisè & sola*, honorem & cultum Deo tribui. Licet enim ista omnia de Deo dicantur, quæ Smiglecius commemorat: tamen, nisi nobis constaret, eum, qui est immortalis, invisibilis, æternus, immensus &c. potestate esse infinita præditum, & ad nos juvandos prõtum, propter ista commemorata præcisè cultum divinum ei deberi, dici jure non posset. Adde quòd ego de sola loquor essentia: Smiglecius autem ea commemorat, quæ de Dei essentia esse dici possunt. An verò ipsa Dei sint essentia, non planè constare videtur, cùm certum sit, ista nonnulla saltem cum aliis etiam communicari posse: essentia verò Dei cùm nemine communicari possit.

Smiglecius iterum omittit quæ causæ suæ obsunt.

Pergit Smiglecius in hoc dolo sibi placere, dum ait: *Et verò si Deus neminem juvaret, nemini benefaceret, neminem servare vellet (uti re ipsa dæmones damnatos servare non vult) non desineret proculdubio esse Deus, neq; ante mundum conditum, cum nulla res extaret cui Deus benefaceret, dici potest Deum non fuiße Deum, aut si mundum totum, omnes homines & angelos in nihilum verteret, aliquid ei de divinitate decederet: & sicut non minus tunc eßet Deus, quàm modo cùm nobis benefacit, ita non minori honore ex se dignus eßet. Non pendet igitur a nobis Deus, sicut in divinitate, ita nec in honore* &c. Adverte, benevole lector, quàm me gravi Smiglecius injuria afficiat, dum, tertiùm me refutaturus, tertiùm omittit, quod ipsemet me dicere dixerat, de potestate scilicet Dei. Adverte & hoc, quàm otiose & extra propositum ista omnia differantur, quæ differuntur. Quis enim negat, Deum fuisse Deum ante mundum conditum, & futurum Deum, etiamsi neminem servare vellet, & etiamsi mundum & omnes creaturas in nihilum verteret, ut ista tam verbosè obtrudat Smiglecius? Probandum erat ob essentiam *præcisè* Deo deberi cultum. Hoc quia difficile erat Smiglecio, aliud agendo tempus terit, & invidiam etiam fortasse nobis creare conatur apud incautum lectorem, quasi ista negemus, quæ ipse tam copiosè enumerat. Quanquam valdè ridiculus est etiam Smiglecius, dum ait, Deum honore dignum ex se futurum, si mundum totum, omnes homines & Angelos in nihilum verteret. Nunc enim

Smiglecius tertiò omittit, quæ causæ suæ obsũt.

non de eo ſermo eſt,qualisDeus futurus eſſet,etiamſi nulla eſſet creatura, ſed quid in hominibus efficiat, ut cultum divinum Deo tribuant,an ſola eſſentia præciſè,an verò unâ cum illa ipſius poteſtas & benignitas? Quod verò addit amplius Smiglecius,divinam beneficentiam,non propter nos,ſed propter ejus divinam excellentiam & naturam eſſe divino & ſummo honore dignam , non futuram , niſi ab illa infinita natura procederet, hoc & ad rem nihil facit. omittitur enim iterum poteſtas divina, cujus ego mentionem feceram diſertiſſimè; & præterea falſum tam diu cenſendum eſt , donec a Smiglecio probetur, quod quia nunc non fecit, negligentiæ eum ſaltem accuſare jure poſſum.

Expeditâ unâ,ut ait Smiglecius,inſtantiâ,ſecundam affert & tertiam & quartam. Sed revera nihil eſt in hac prolixa oratione,præter conatum multa otioſa dicendi, & ſtudium ſemel dicta ad nauſeam usque repetendi. Quod ut verum eſſe conſtet, non gravabor examinare omnia, & oſtendam,nihil habuiſſe nec habiturum Smiglecium, quo noſtram de Chriſti divinitate ſententiam denigrare poſſit. Dicimus,divinam poteſtatem divinum honorem mereri, ſicut Regia poteſtas regium. Smiglecius ait: *At quis non videt,Regiam poteſtatem,ſi ab ipſo Rege exerceatur, regium honorem mereri:ſi verò aliis officialibus vel etiam proregi communicetur, non mereri honorem regium,ſed regio minorem. Regius enim honor eſt ille,quo quis pro Rege colitur. Atqui nudi officiales regii aut proreges pro regibus habendi non ſunt,eò quod poteſtate regiâ ſibi communicata gubernant: pari igitur ratione de divina poteſtate ſentiendum eſt* &c. Hîc dupliciter errat Smiglecius. Nam primò falſum eſt,proregi vel vicario regis non deberi regium honorem. Regius enim honor non eſt (ut ait Smiglecius) coli pro rege,ſed coli,ut Rex colitur,etiamſi Rex quis non ſit. Sic etiam Chriſtus non colitur a nobis pro Deo, (nempe illo uno) quod ſcilicet is ſit, ſed colitur tamen ut Deus ille unus, hoc eſt, ejuſdem honoris genere, quo Deus colitur. Deinde quod jam non ſemel dictum eſt, non eſt Chriſtus in poteſtate ſua comparandus cum officiali regis aut prorege ſimpliciter: ſed vel ei, qui unâ cum abſoluto rege regnat, vel qui abſolutè in certa quadam regni parte regnat, ut rex antea in univerſo regno regnabat, vel ut poſtea in parte regni reliqua regnat,ut de imperatoribus quibusdam Romanis ſcriptum legimus, & ex parte etiam in noſtra patria factum eſſe , parentum noſtrorum memoriâ , regnante Auguſto jam patre Sigismundo , auguſtæ memoriæ , experti ſumus. Vnde nemo non videt, divinum cultum jure Chriſto deberi. Itaque verba eſſe cenſenda ſunt, quæ poſtea abſque ulla probatione addit Smiglecius, *poteſtatem tantum divinam junctam excellentiſſimæ naturæ*

Chriſtus non colitur pro Deo ipſo, ſed tamen ut Deus.

Chriſtus non regnat ut prorex.

honorem divinum mereri: si verò communicata sit rei creatæ, longè inferiorem. Non enim id attendendnm est, an sit avulsa ab essentia Dei (ut Smiglecius loquitur) hoc est, cum quo sit juncta: sed quàm propè potestas, quæ juncta est creaturæ, ad eam, quæ excellentissimæ naturæ juncta est, accedat. Quod in Christo Deus conspici voluit. Huic enim potestatem certo tempore & certa de causa dedit & donavit, & tamen tantam, ut ipsemet Deus neminem judicet, sed omne judiciũ filio tradiderit, quæ non potest non esse verè divina potestas, ut ipsemet etiam Smiglecius fatetur, qui dicit, eandem numero potestatem esse datam Christo homini. Verba non minus & illa sunt: *Divinum honorem ei tantùm, qui verè & propriè Deus est, deberi*, si voces *verè & propriè* pro eo, qui naturâ Deus est, accipiantur. Repugnant enim manifestis & clarissimis s. literarum N. F. testimoniis, quæ, ut modò diximus, docent, potestati divinæ participatæ etiam cultum divinum deberi.

Potestas divina, cum quacunque natura juncta sit, divinum honorẽ meretur.

Tertiam assertionem meam facit, Christo homini cum divina potestate, divinum quoq; honorem communicatum esse, eamq; ex sensu Catholicorum verissimam, ex nostro falsissimam esse ait. Sed & ineptè se gerit in nostris sententiis referendis, & pueriliter ad illas respondet. Quid enim nunc, ubi docendum erat, nos & falsa & impia de Christi divinitate docere, opus erat id afferre, quod ipsemet fatetur esse verissimum, quoad verba saltem? Et quid est aliud quàm ludificare homines, cùm disputandum est, sensum suum Catholicum ascribere? Sensus enim iste Catholicus, Catholicus error est, nisi testimoniis aut rationibns comprobetur. Videat autem iterum cordatus lector, an non jure accusem verbositatem & unius ejusdemq; rei iterationem Smiglecii. Nam sensum nostrum explicans, & quare non sequatur, cum potestate Christo communicata communicatum esse cultum divinum, hanc rationem iterum affert: *Divinæ enim potestati non nisi, quatenus idem est quod Deus, debetur cultus divinus*, & iterum: *participatæ enim potestati non deberi eundem cultum, qui ipsi principi potestati debetur, omnino ratio suadet.* Nonnè enim illud idem in proximè antecedente periodo dictum fuerat? Falsum autem & fallax esse ibidem demonstratum fuit.

Inepta Smiglecii responsio.

Porrò cum potestatem Christi ejusdem generis cum principe potestate esse dicimus, ait Smiglecius. *At ut concedatur esse ejusdem generis in ratione potestatis respectu ejusdem generis effectorum, quæ utraque respicit* (quæ verba obscuritate non carent) *non tamen idcirco sunt* (hoc quomodo cum adversativa, *At ut concedatur esse*, &c. conveniat, videat Smiglecius) *ejusdem generis in ordine ad cultum* (verba

 iterum

iterum perplexa) Cur verò? *Nam potestas,ait, quæ in Deo est ideo meretur cultum divinum,quia est potestas primi principii,& idem est cum Deo, quod cum potestate creata non conveniat, sequitur, eum non eße in hoc ejusdem generis cum divina potestate.* Sed quid dixit Smiglecius? Nihil. Nam etiamsi non sit Christi potestas in hoc ejusdem generis cum divina potestate,quòd Dei potestas sit primi principii,Christi verò nō: certum tamen est,eam esse ejusdē generis, quoad effectus,quos producere potest, ideoque cultu divino verè dignam. Cùm ,teste scriptura,ea etiam potestas digna sit isto cultu, quæ participata est,si tanta sit,ut effectus verè divinos, quales nulla creatura præstare potest, producat. Quod in sola Christi persona Deus exeri voluit. Videat igitur lector, an oppugnare hanc Smiglecii sententiam & rationem & antea sciverim & nunc sciam, adversus quam testimonium sacræ scripturæ clarissimum, idque non unum, tanquam arietes invictas produxi.

Christi potestas divina est, etiamsi non sit primi principii.

Ad ista Smiglecii verba: *si Christus solam haberet potestatem divinam absq; naturæ divinæ communicatione, omnino nec Deus verus eßet, nec vero divino honore dignus*, videat lector, an non jure regerere illud possem, o bovis non hominis vocem! Hoc enim & ipsi rationi & sacris literis N. F. ita contrarium est, ut vix aliquid magis, ut ex suprà dictis apparet. Christus enim omnino est verus Deus, quia vera est divinitate & potestate præditus, & omne habet judicium; et vero honore divino dignus, quia ita honorandus, ut ipse Pater: nec tamen istam divinitatem & potestatem,vel omne judicium adeoq; divinum cultum habere potest cum divinæ naturæ communicatione, tum quia natura divina numero una sit. communicari autem & numero unum esse contraria sunt, tum quia Christus naturâ homo sit, adeoq; persona humana. Qui verò persona est humana,is divinæ naturæ, qualem credit Smiglecius,particeps esse nullo modo potest.

Christus Deus est, & dignus honore divino, absque naturæ divinæ communicatione.

Quartam meam assertionem facit Smiglecius, quòd dicam, potestatem divinam participatam mereri cultum divinum, idque probem tum ratione tum s. literis. Rationē enim docere,ob potestatem deberi alicui honorem, eumq; tantò majorem,quantò major est potestas; literas verò sacras, cùm dicunt, patrem dedisse filio, ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem, nihil aliud dicere, quàm ipsam Christi potestatem suadere, ut ei cultus divinus tribuatur. Sed hæc quarta assertiò eadem est re ipsa cum secunda. Nam nos in Christo divinam potestatem nullam agnoscimus præter participatam,eamq; divino cultu afficiendam dicimus.Itaque verbosus iterum esse cupit potiùs Smiglecius, quàm veritatis studiosus. Quia tamen

men in hoc cardo rei vertitur, videndum eſt, quid ad hæc noſtra a ſe allegata reſpondeat. Ait igitur: *ut verum eſt cuiq; poteſtati convenientem honorem deberi: ita poteſtati, quæ verè & intrinſecè divina eſt & in Deo reſidens, verus divinus cultus debetur.* Hoc verò ut nemo negat, ſic non opus erat dicere, niſi obſtudium verboſitatis. Semper enim id in quæſtione eſt, an ob ſolam talem poteſtatem divinam, qualem per voces *verè* & *intrinſecè* Smiglecius intelligit, cultus alicui debeatur. Nam ſi ex ſenſu verborum loqui velimus, Chriſti poteſtas verè & intrinſecè divina eſt. Nam effectus verè divinos producit, & poſtquam ei data eſt, intrinſecè ita in eo reſidet, ut in ipſo Deo. Probet igitur Smiglecius, poteſtati divinæ participatæ, ita ut in eo, cui participata eſt, in hæreat, cultum divinum non competere, niſi tergiverſari videri velit. Ait igitur: *Quod vel ex eo patet, quia in hominibus & Angelis eſt etiam poteſtas divina participata, tum ad judicandum, tum ad miracula patranda, ob eamq; poteſtatem in ſcriptura Dii vocantur, neq; tamen quiſpiam dixerit, propter eam poteſtatem illos verò divino cultu afficiendos.* At hæc probatio antea in monſtris & in hoc libello Smiglecii toties iterata & profligata, adeoq; miſerabilis eſt & infirma, ut non niſi deſperatio eam reaſſumere jubeat. Quid enim commune habet poteſtas omnium angelorum & hominum cum poteſtate Chriſti, ut ex eo, quia illorum poteſtati cultus non debeatur, hujus etiam, nempe Chriſti, poteſtati cultum divinum non deberi colligatur? Parumné conſtat, Smiglecium non intelligere vel ſaltem non conſiderare, quanta ſit Chriſti divina & participata poteſtas, dum ita in eam involat? Audet ipſemet affirmare, ut ex ſequentibus verbis conſtat, divinum honorem angelis etiam & hominibus, ob poteſtatem ipſorum divinam: deberi, & tamen ei, qui omnium illorum Rex & Deus eſt, Chriſto, divinum honorem deberi negat, quod nos ſolùm affirmamus. Iam quod addit, cultum, qui angelis & hominibus debetur, nullo modo dici poſſe verè & quoad eſſentiam divinum, nec nos de Chriſto dicimus, nec dici volumus, quòd cultus, qui ei debetur divinus, ſit quoad eſſentiam divinus. Nam ut Chriſtus non eſt eſſentiâ Deus: ſic nec quoad eſſentiam, (ut Smiglecius captioſè vel ineptè loquitur) divinus ei cultus tribuendus eſt. Interim tamen firmiter adverſus Smiglecium ex ipſius ſententia concludi poteſt: Si ob poteſtatem qualemcunque divinam, debetur alicui divinus cultus, multò magis divinum cultum deberi ei, qui perfectiſſima & abſolutiſſima ſuo modo divina poteſtate donatus eſt, qualis eſt Chriſti poteſtas. Nam & poteſtas ipſius divina in ipſo ita reſidet, ut à nemine dependere dici poſſit, & tales effectus producere poteſt, quales

Chriſti poteſtas verè & intrinſecè divina eſt.

Cur Chriſto præ Angelis & hominibus cultus divinus debeatur.

quales nulla nec angelorum nec hominum divina poteſtas produxit unquam aut producere poteſt. Videat igitur lector benevolus, an jure glorietur Smiglecius, me premi hac ſua inſtantia, quâ nihil levius dici in hoc argumento poteſt.

Porrò cum dico, non propter qualemcunque poteſtatem divinum honorem Chriſto deberi, ſed propter talem & tantam, quæ divinæ poteſtati par ſit ſuo modo, in nobis regendis & ſervandis, qualem poteſtatem, cùm non habeant angeli & homines, idcirco divinum eis cultum non competere, *reſponſionem hanc nimis frivolam eſſe & meam doctrinam evertere*, ait Smiglecius. Videamus & iſta. *Etenim*, ait, *paulò ante probabat Smalcius univerſè divinæ poteſtati divinum honorem deberi, hic verò concedit in hominibus divinam poteſtatem, cui tamen negat cultum divinum deberi. Se ipſum igitur evertit Smalcius. Etſi enim poteſtas divina in hominibus & angelis ſit diverſi generis ab ea poteſtate, quæ in Chriſto, quòd hæc ad nos regendos & ſalvandos pertineat, illa verò aliò ſpectet: tamen utraque eodem modo divina eſt, nempe participatione divinæ poteſtatis. Vel igitur utraq;, quia divina eſt, merebitur cultum divinum, & ſic homines & angeli cultu divino colendi erunt, vel neutra divinum honorem merebitur, & ſic ſequetur, poteſtatem divinam participatam cultum divinum non mereri.* At tota hæc machinatio Smiglecii, quæ his & ſequentibus verbis ſatis prolixa continetur, declaratione ſola ſenſus noſtri & diſtinctione refutatur ſolidiſſimè. Divinus cultus duplici modo conſiderari poteſt. Nam & cultus, qualis Deo debetur, divinus eſt, iſque propriè: & cultus, qui humano ſuperior eſt, divinus appellari poteſt, licet minùs propriè. Cùm igitur dicimus, divinæ poteſtati divinum cultum deberi, indenifitè loquimur & implicitè. Cum verò poteſtatem in hominibus & angelis concedimus, cui negamus divinum cultum deberi, talem cultum divinum intelligimus, de quali nobis ſermo eſt, nempe qualis Deo debetur. Is autem eſt, cujus comes eſt fides collocata in eo, quem colimus, & adoratio ſimul & invocatio. Talem cultum divinum non deberi hominibus vel hinc conſtat, quòd nec angelis competat. Propterea enim Ioannes, cùm angelum eſſet adoraturus, prohibitus ab eo fuit, ne id faceret. Iam ſi angelis adoratio ſub N. F. non debetur, quomodo hominibus? cum nemo non videat, multò eſſe majorem poteſtatem angelorum, quàm omnium hominum divinorum. Cultum verò (ut ſic loquar) alium, qui ſit humano ſuperior, & ideò ſuo modo, licet impropriè, divinus appellari poſſit, deberi & angelis & hominibus non diffitemur. Pluris enim faciendi & reverendi ſunt angeli,

Cultus divinus dupliciter conſiderari poteſt.

Qualis cultus, ſit propriè divinus.

quàm

quàm omnes homines: pluris etiam faciendi & reverendi omnes Principes & Reges, quàm alii omnes homines vulgares.

Insignem autem commisit fallaciam Smiglecius, dum ait, *eodem modo* divinam esse Christi potestatem, quo angelorum & hominum. Nam quod secundùm quid tantum verum est, id ille simpliciter accipit. Eodem modo divina est, quia tam Christi, quàm angelorum & hominum potestas participata est, & ut sit, necesse est: at rursus non eodem modo divina est, duplici de causa. Nam & non ita dependet a Dei potestate Christi potestas, ut omnium angelorum & hominum potestas dependet, non tantùm a Dei sed etiam a Christi potestate; & longè diviniores effectus producere potest, quàm omnis omnium angelorum & hominum potestas. Vnde apparet, licet utraq; sit divina, tamen non eundem cultum deberi utrique: imò dici posse, divinum cultum, de quali nobis nunc sermo est, nullo modo eis deberi. Ridiculus proinde visus mihi est Smiglecius, qui me hoc ipso vehementer premi & in explicabiliter innodari dicere ausus sit. Observato enim hoc, quod modò dixi, apparebit, me nec cogitare de evasione, nec ut cogitem, necesse esse.

Cur Christi potestas non eodem prorsus modo divina, quo Angelorum & hominum.

Frustra etiam illud addit Smiglecius. *Sicut potestas regendi nos & salvandi a divina potestate derivata in Christo meretur divinum cultum, angelorum quoq; & hominum potestatem a divina potestate derivatam mereri cultum divinum.* Nec enim ob derivationem potestatis cultus alicui divinus tribuitur, sed ob dérivatæ potestatis qualitatem vel quantitatem. Quia igitur Christi a Dei potestate derivatæ potestatis ea est qualitas & quantitas, quæ non est potestatis angelorum & hominum derivatæ, hinc fit, ut illa cultum divinum, hoc est, qualis Deo debetur, mereatur, hæc verò non item.

Non ob derivationem potestatis, sed ob derivatæ potestatis qualitatē, debetur Christo cultus.

Iam cum dico amplius, Angelorum & hominum potestatem non esse verè divinam. quia non sit ejus generis, cujus ea est, quæ in Deo in est, cùm non possint angeli potestate, quam habent, nos a morte liberare & vitâ æternâ donare, nedum homines, tria mihi objicit Smiglecius, quæ ordine examinabimus. Primùm dicit, me mihi contradicere. *Hactenus enim,* ait, *docuit, homines & angelos dici in scriptura veros Deos a divina potestate quam habent. Hoc autem quomodo stare potest, si potestas eorum non sit verè divina? an verus Deus dici poterit, absque vera potestate divina?* Hanc contradictionis speciem tollo distinctione eadem, quâ modò sum usus in cultu divino explicando. Potestas divina duplici modo expendi potest. Nam & divina est, quæ naturaliter Deo inest, & quæ ab eo participata est. Participata potestas rursus duplici modo considerari potest. Nam & ea divina est, quæ

Potestas divina quàm variè considerandа sit.

est, quæ effectus tales, quales Deus solus producere potest, producit, eaq; propriè, & divina etiam potestas participata ea appellari potest, quæ sublimiores effectus producere potest, quàm humana potestas. Hoc modo considerata hominum, hoc est, regum ac principum, & angelorum potestas, divina verè est: isto verò modo non verè divina est nec angelorum nec hominum potestas, sed solius Christi potestas ita appellari meretur.

Secundò ait Smiglecius: *Nimis ineptè probat, non esse verè divinam, ex eo, quòd est alterius generis ab ea potestate, quæ est in Deo ad nos salvandos.* Cur verò? *Etsi enim,* ait, *sit alterius generis a potestate nos salvandi, non tamen est alterius generis a potestate miracula faciendi, quæ in Deo est.* Imò est alterius generis. Nam potestas miracula faciendi aliis etiam participata fuit olim: at potestas nos regendi & salvandi nemini unquam præter solum Christum. Sed addit Smiglecius. *Nam sicut potestas salvandi in Christo dicitur esse ejusdem generis cum potestate divina, quia est ejus participatio: ita potestas hominum & angelorum ad miracula patranda, dici debet divina in suo genere, quia est ejus potestatis, quæ in Deo est, participatio.* At falsum est, ut modò docui, Christi potestatem dici ejusdem generis esse, cujus ea est, quæ in Deo in est, quia potestatis divinæ sit participatio. Non enim participatio, sed modus & perfectio participationis facit, ut Christi potestas sit ejusdem generis, cujus ea est, quæ in Deo est. Qui modus & perfectio participationis potestatis, quia nunquam in angelis & hominibus fuit, potestas illorum ejusdem generis cum Christi potestate & verè divina absolutè dici nequit. Quod ipsemet etiam Smiglecius tandem fatetur, dum dicit, potestatem angelorum & hominum *in suo genere* dici debere divinam. Hoc autem genus quale sit vel esse debeat, jam explicuimus disertè.

Non participatio sed modus participationis potestatis facit, ut Christi potestas sit divina.

Tertiò ait: *Quemadmodũ Deus non unius tantùm generis potestatem in se habet ita nec potestas a divina derivata debet esse unius generis, sed licet sit diversi generis ab altera, a qua non derivatur, cum ea tamen, a qua derivatur, est ejusdem generis: ac proinde propter talem derivationem divina dicenda erit. Nam etiam potestas creandi est diversi generis a potestate salvandi: utraq; tamen æquè divina.* Fateor, omnem potestatem a Deo derivatam esse divinam, & eatenus omnem etiam esse ejusdem generis: sed quia non omnis potestas derivata par est. alia enim ita derivatur, ut sit & propria ejus, in quem derivatur, ita ut a nemine dependeat, & tales effectus producere possit, quales solus Deus producere potest: alia verò ita derivatur, ut & semper a Deo pendeat, & effectus producat longè illis inferiores, quales Deus producere solet, hinc fit, ut illa potestas divina appelletur

Non omnis derivata divina potestas, par est.

pelletur magis propriè, hæc verò non ita propriè. Non erat autem dicendum a Smiglecio, poteſtatem creandi & ſalvandi in Deo eſſe æquè divinam. Nam procul omni dubio effectus poteſtatis divinæ, quâ hominem mortalem ſibi ſimilem efficere poteſt, eſt magis divinus & Deo propria, quàm effectus, aliquid mortale & corruptibile creandi. Iam ſi in ipſo Deo, ob diverſitatem effectus, alia poteſtas aliâ præſtantior conſiderari poteſt, & divina omnis quidem dici meretur, non tamen æquè, quis non videt, de aliis etiam, quibus poteſtas divina data eſt, dici poſſe, poteſtatem illorum eſſe quidem omnem divinam, ſed non omnem *æquè* divinam?

In Deo ipſo non omnis poteſtas eſt æquè divina.

Sequitur paragraphus Smiglecii, in quo ſe omnino me capturũ credidit. Ad marginem enim aſſcripſit, me in eo vel obliviosum eſſe, vel mihi contradicere, vel me ipſum corrigere. Eſt autem, quòd dico, angelis & hominibus deberi cultum nec humanum nec divinum, ſed religioſum. Hinc enim ita infert Smiglecius. *Agnoſcat igitur ex hac doctrina Smalcius dari honorem medium inter civilem & divinam, quo ſanctos coli oportet ob dona divina illis conceſſa, cujus tamen doctrinæ non meminerat fol: 43, in cultu ſanctorum oppugnando.* Ego verò miror, ibi ita dormitaſſe Smiglecium ubi tam accuratus eſſe videri voluit. Is enim ſub nomine *hominum* ſanctos intelligere videtur, eosq; mortuos; vel ſaltem idem de ſanctis mortuis dici poſſe credit, quod ego de hominibus affirmo: At ego per homines nec ſanctos intelligo, nedum mortuos. nec enim ſanctis ob ſolam ſanctitatem cultus debetur. Homines autem, quibus cultus quodammodo religioſus debetur, ſunt Reges & principes, qui interdum etiam poſſunt eſſe non ſancti, & tamen ob poteſtatem divinitùs ſibi conceſſam honore & cultu, qui honorem, quem vulgaribus hominibus deferimus, ſuperet, digni ſunt, dum ſcilicet eos reveremur, & licet interdum injuſti ſint, eos tamen non blaſphemamus (quod vitium in falſis Prophetis & doctoribus notat D. Petrus & Iudas) ſed ipſorum legibus, quatenus cum Chriſti legibus non pugnant, & interdum, non ſine gravamine noſtro, morem gerimus, & omni ratione externa etiam ſignificamus, nos eos, tanquam Dei in terra vicarios, honorare. Iam ſi Smiglecius docuerit, ſanctos nunc vivere, & poteſtatem habere divinam, vel dona etiam illis a Deo conceſſa eſſe, nos cultum illis, qualem requirit Smigl:, tribuere parati ſumus: Sed hoc nunquam præſtiturum Smiglecium, jam ex eo, quod alii ante eum tentârunt, quivis perſpicere poteſt. Et hactenus de ratione, qua docueramus, participatam Chriſti poteſtatem divinum cultum mereri: nunc ad locum ſacrarum literarum, quo idem probaveramus, veniendum eſt.

Lapſus ingens Smiglecii.

Quibus hominibus cultus aliquis debeatur.

2. Pet: 2. 10. Iud: v: 8.

O Cùm

Cùm igitur dicimus, Christo ob potestatem participatum cultum divinum deberi, quia omne judicium datum sit illi eo fine, ut omnes honorent filium, sicut honorant Patrem, respondet Smiglecius, me ea in re vel principium petere, vel nihil concludere. *Nam*, ait, *nos etiam fatemur, potestatem illam judicandi Christo homini datam esse a Patre. At non ilico concedere nos oportet, eam potestatem esse participatam & derivatam à divina, sed dicimus eße eandem numero potestatem, quæ in Patre est. Dari autem illam dicimus non per productionem de novo, sed per unionem naturæ divinæ hypostaticam. Aut igitur pro concesso accipit Smalcius, quod probandum erat, potestatem illam judicandi in Christo eße diversam a divina, aut ex hoc solo, quòd ea data sit, ineptè concludit datam esse diversam. Potuit enim eadem numero unà cum natura illi uniri, ut omnes Catholici semper crediderunt.* Quomodo verò principium petere is dici potest, qui rationem ejus, quod affirmat, affert talem, quæ nullo modo ab adversario tollitur, qualis est hæc, quòd inter ea opera, quæ Pater Christo, postquam in terris miracula fecerat, ostendit, id numeratur, quòd omne judicium ei dederit? Hinc enim constat, istam omnis judicii dationem nec eãdem numero cum ea, quam Deus habet, propriè esse, nec per istam unionem, quam fingit Smiglecius, hypostaticam contigisse. Nam quod idem est numero, nemini dari potest. Vnio autem ista hypostatica longè antea facta erat, ex mente Smiglecii, nempe cùm Christus naturam humanam in utero virginis assumsit. Itaque firmissimè concludo, potestatem Christi participatam & a divina derivatam esse, eamque mereri cultum divinum.

Cur Christi potestas nec eadẽ numero sit cum Dei potestate, nec per unionẽ hypostaticam data.

Cavillus est autem Smiglecii, dum ait, me non probare Christi potestatem esse diversam a divina. Nec enim hoc mihi probandum fuit: sed satis est, eam esse participatã. Quod ita se habere, jã constare potest omnibus. Potest autem participata potestas suo modo dici eadem cum ea, quæ in Deo est. Nec enim necesse est, dicere, Deum aliam creasse, quam Christo donaret, sed de sua potestate, cum ipso ita eam communicasset, quemadmodum de immortalitate sua cum Christo homine & angelis communicavit, & olim cum omnibus fidelibus communicaturus est. Illud verò, quod omnes Catholici semper crediderint, datam esse Christo eandem numero cum divina potestatem unâ cum natura, an non sit crassa principii petitio, vel quid multò turpius, judicet æquus & benevolus lector. Quid enim prodest omnes Catholicos id credidisse, quod Apostoli non crediderunt?

Christi potestas suo modo non est diversa a Dei potestate.

Iam iis, quæ dixeram ad probandum, participatam potestatem cultum-

Ad Põtificios provocare vanũ est.

cultum divinum mereri, omissis, probare contra me nititur Smiglecius, eam non mereri cultum divinum. Sic igitur ait: *Id enim quod divinum honorem meretur, debet esse verus Deus. Nefas enim est præter unum verum Deum alicui cultum divinum deferre. Cùm igitur omnis potestas rebus creatis à Deo communicata quantumcunque divina dicatur, sit a Deo diversa, nec idem quod Deus verus, consequens est, divinum cultum non mereri. Sola potestas quæ in Deo est, sicut verè & per essentiam est divina & idem cum Deo: ita divinum cultum verum meretur.* At istud ego argumentum repudio. Nego enim, id, quod divinum honorem meretur, debere esse verum Deum, si (ut necesse est) verba hæc pro eo, qui est naturâ Deus, accipiantur. Nego etiam probationem hujus affirmationis, nefas scilicet esse, prȩter unum verum Deum, alicui cultum divinum deferre sub N.F. Nego denique, solam potestatem, quȩ in Deo est per essentiam divinum cultum mereri. Nec nescivit Smiglecius me ista negaturum. Cur igitur probationes non addidit? Quia scilicet nullas addere potuit, nec unquam poterit. Hæc enim omnia quæ modò recensui, adversa fronte pugnant cum clarissimis iisque perplurimis sacrarum literarum N. Fœderis testimoniis, quæ docent, divinum honorem deberi etiam ei, cui Pater, certo tempore & certa de causa, largitus est omne judicium. Hic autem verus, hoc est, naturâ Deus esse non potest. Consulat etiam seipsum Smiglecius, &, quàm turpis sit consequentis fallacia in hac argumentatione illius, ipsemet fatebitur.

Nõ sola potestas, quæ in Deo est, meretur cultum divinum.

Sed adhuc unum meum dictum trutinatur à Smiglecio, quod dixi, Christo communicatam esse potestatem parem divinæ potestati, ideoq; eam mereri cultũ divinum. Hoc autem falsum esse verbosè ostendere conatur Smiglecius. Docet enim, Christi potestatem & essentia & quantitate & qualitate minorem esse divina potestate, adeoque non parem. Sed ne Smiglecii verbositatem imitari videar, uno me verbo expediam. Dico Smiglecium mecum parum candidè agere. Nam, potestatem Christi parem divinæ potestati absolutè esse, nunquam dico, sed semper addo, *suo modo*. Absoluta enim paritas potestatis cum Deo, est introductio alterius Dei paris, & Dei quædam abnegatio. Quanquam falsum etiam est, Christi potestatem merè & absolutè dependentem esse. Quantumvis enim a Deo profecta, & ad Deum etiam reversura sit: nunc tamen, quamdiu Christus regnum suum non tradit Patri, ita penes ipsum est, ut Pater neminem judicet, & filius olim Patri subjectus futurus sit. Quæ dependentiam omnem, quamdiu durat Christi hoc regnum, excludunt. Ineptè etiam Christi sacrificium & interpellatio pro nobis, absolu-

Christi potestas divinæ par est, suo modo,

nec dependens.

tæ, suo modo, divinæ potestati opponitur. Nam, ut suprà docuimus, ista de Christo impropriè dici, potestas ipsius absoluta arguit. Hæc enim cum interpellatione & sacrificio propriè acceptis, pugnat ex diametro; et tam Christus nos salvat potestate sua absoluta, quàm ipse Deus. Deᵒ naturali, Christus donata: vel potiùs, salvat nos non Deus Pa ter, sed Christus loco Patris, vel Pater in persona Filii.

Quid sit, quod hîc addit Smiglecius, Christum nos salvare redimendo, expendat lector: ego verò id nugatorium aliquid esse censeo. Nam perinde est acsi diceret: Christum nos salvare salvando, cùm nimis obvium sit, voces redimendi & salvandi esse ἰσοδυνάμους. Iam si id de satisfactione intelligit Smiglecius, graviùs adhuc in Theologiam eum impingere affirmo. De quo infrà suo loco.

Sed, his ita otiosè peroratis, tandem ipsemet Smiglecius agnoscit & asscribit, nos dicere, non esse parem absolutè, sed in suo genere, nempe in nobis regendis & servandis: nec tamen id etiam rectè dici contendit. Cur verò antea ita nobiscum egit, ac si diceremus, Christi potestatem esse parem absolutè divinæ potestati? Nisi forte, ut ingenium ostentaret in exagitando eo, quod exagitari verè potest, & ita incauto lectori imponeret, quasi scilicet nos etiam jure reprehendisset, qui tamen id non affirmamus, quod ille tantopere reprehendit. Et hoc inter artes Smiglecii numerandum est. Sed nunc audiamus, quomodo probet, id, quod dicimus, non rectè dici. *Nam hac ratione, ait, omnes res creatæ dici poßunt habere in quodam genere parem potestatem ei, quæ in Deo est potestati, & quidem tantam, ut in illo genere tantum possint, quantum Deus in eodem genere.* At hoc totum per ea, quæ suprà in hoc capite de varia potestatis divinæ consideratione dicta sunt, facillimè solvitur. Vt ut enim omnis res creata, quæ divinam habet potestatem, dici possit habere potestatem divinæ suo modo parem: tanta tamen est inter effectus, quos Christi, & inter eos, quos aliarum rerum creatarum potestas producere potest, differentia, ut illa præ hac meritò par divinæ suo modo dici possit. Quid enim magis accedit ad potestatem divinam, quam salutem hominũ æternam administrare? Quod quia nulli rei creatæ, præter unum Iesum Dominum nostrum, concessum est, de hoc per excellentiam dici potest, quòd ejus potestas sit par suo modo divinæ potestati. Quæ verò alicui per excellentiam competunt, ea ita de illo prædicari posse, ac si solus ea possideret, licet aliis etiam per quandam analogiam competant, antea a nobis demonstratum fuit in ipso etiam Deo. Nam quod Deus est, respectu omnium omninò aliorum Deorũ, hoc Christus est, respectu omnium Deorum, qui dono Dei tales sunt. Quod

verò

Ars Smigleciana.

Christi potestas præ omni aliarũ rerum creatarum potestate divina.

verò,dum iſta dicimus, nihil dicere videmur Smiglecio, dolendum quidem eſt: ſed tamen, id dicendo, dicere nos perſuaſum habemus, quod omnium myſteriorum Chriſtianæ religionis præcipuum eſt & auguſtiſſimum.

Sed ecce quid amplius dicat audaculus Smiglecius? Non vult nobis fidem adhiberi in eo, quòd poteſtatem divinæ ſuo modo parem Chriſto tribuamus. Cur verò? *Quia*,inquit,*ante aſcenſum in cœlum non concedunt ei tantam poteſtatem.*Sed ex eo non ſequitur,nos eam Chriſto non tribuere,quia ante aſcenſum in cœlum non tribuamus. Satis enim eſt ad id, ut ei a nobis tribuatur tanta poteſtas, ſi poſt aſcenſionem tribuatur.Sed dilemmate nos vincere vult Smiglecius,quod tale eſt. *Tunc vel erat Chriſtus honore dignus vel non.*Reſpondeo ſtatim, fuiſſe tunc dignum honore. Smiglecius quid ad hæc? *Si affirmant*,ait, *ſe ipſos condemnant,cùm docent,non propter quamcunq; poteſtatem Chriſto deberi divinum honorem, ſed ſolùm propter talem & tantam, quæ ſit par Dei poteſtati. Cum igitur totâ ſuâ vitâ dicant eum caruiße iſta poteſtate, quomodo affirmare poterunt, Chriſtum tunc fuiße honore dignum?* Dico, nuſquam nos affirmare, Chriſto ſolùm propter talem & tantam,quæ ſit par Dei poteſtati,cultum tribuendum.Novimus enim,eum antea etiam,quàm iſtam tantam poteſtatem conſequeretur,fuiſſe adoratum & invocatum: Sed eum cultum,qui nunc Chriſto debetur,poſtquam in cœlis eſſe cœpit, qui eſt, ut ipſi tanquam Deo confidamus, & omnia ab illo ſperemus & petamus,quæ ad ſalutem æternam pertinent,adeoq; ipſam æternam ſalutem,dicimus,ei deberi,nō propter qualemcunq;, ſed talem & tantam poteſtatem, quæ par ſit Dei poteſtati. Iam verò quia certum eſt, in Chriſtum non iſto modo fiduciam collocari,& ea ab illo peti potuiſſe,quæ ad ſalutem ſpectāt, ipſamq;ſalutem,cum in terris verſaretur.ad fidem enim in Chriſtum perfectè collocandam mors ipſius & glorificatio requirebatur, teſte Chriſto: *Sicut Moſes in deſerto ſerpentem exaltavit, ita oportet Filium hominis exaltari,ut omnis,qui credit in eum,non pereat,ſed habeat vitam æternam;* Spiritus verò ſanctus, qui eſt unum ex præcipuis,quæ ad ſalutem pertinent, quomodo peti a Chriſto potuit,cùm nondum eſſet glorificatus? ipſa deniq; ſalus æterna quomodo ab eo peti potuit,qui ipſe erat mortalis? hinc manifeſtè conſtat,Chriſtum, tunc iſto cultu, qui nunc ei debetur,affectum non fuiſſe, nec porrò affici potuiſſe; Et ita, ut Chriſtus indies ſe ipſo perfectior factus eſt, ſic etiam cultum & honorem divinum,qui ei tributus ſuit,indies perfectiorem fuiſſe.

Valdè autem jejunum eſt,quod Smiglecius ait, *Magos & Thomā Chriſtum adoraſſe.* Magorum enim adoratio merè fuit civilis & politica:

Inepta Smiglecii audacia.

Chriſto ſemper debebatur divin[us] honor: ſed non ſemper idem.

Ioan:3. 14, 15.

Ioan:7. 39.

Ineptè a Smiglecio dicta.

rica: Thomas verò nec adoraſſe Chriſtum dicitur poſt reſurrectionem. Nam ſi id adorationem appellat Smiglecius, quòd eum Dominum & Deum ſuum agnovit, jam hoc omnibus Apoſtolis aſſcribi debet, non ſoli Thomæ. omnes enim Chriſtum pro tali agnoverunt.

Quod verò nos nunc etiam, cùm Chriſtus in cœlis regnat, parem illi ſuo modo cum Deo poteſtatem nos ſalvandi non concedere ait, in eo nos, ſuo more, calumniatur graviter, vel ſaltem magnâ nos afficit injuriâ. Sed verba Smiglecii aſſcribamus, quibus id probat. *Etenim*, ait, *Deus ſine ſanguine Chriſti & ſine ea redemtione, quæ eſt per Ieſum Chriſtum, ſalvare nos poteſt abſoluta ſua & independente poteſtate: iſti verò non aliam Chriſto poteſtatem nos ſalvandi tribuunt, niſi per ſanguinem ipſius, & morte interveniente in redemtionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento.* Vereor, ne ludat Smiglecius, qui tam inepta effutiat: ſed quia ludo nunc nullus eſt locus, dico, turpiter illum cauſam poteſtatis Chriſti cum ipſa ejus poteſtate confundere: & ita poteſtatem Chriſti Dei poteſtati opponere. Licet enim Chriſtus morte interveniente poteſtatem ſuam conſecutus ſit: eſt tamen nunc iſta Chriſti poteſtas & abſoluta & independens ſuo modo, quatenus non Pater ſed Chriſtus nos regit & ſalvat vel ſalvaturus eſt. Itaque nec fallimur hac in re, nec fallimus, ut concludit Smiglecius. nam ea in re ſequimur expreſſa ſacrarum literarum teſtimonia: ſed falſum & fallentem Smiglecium unà cum aliis, docere annitimur, ut in Chriſto Ieſu abſolutam Dei poteſtatem, quatenus ea ſalutem noſtram ſpectat, agnoſcant, & unà nobiſcum Deum illum unum, qui Pater eſt, & Ieſum Chriſtum, agnum illius ex animo colant, omiſſis illis commentis, quæ nec cum ratione, nec cum ſacris literis N. Fæderis conveniunt, Chriſto ſcilicet parem, ſine omni exceptione, poteſtatem, per unionem hypoſtaticam, datam eſſe.

Smiglecius cauſam poteſtatis Chriſti, cum ipſa poteſtate cōfundit.

Argumentum denique in hoc capite aliud adhuc apponit Smiglecius. *Poteſtas dependens & independens, pares eſſe nequeunt. Cùm igitur Dei poteſtas ad nos ſalvandos ſit independens: Chriſti verò poteſtas cùm ſit diverſa à divina, neceſſariò ſit dependens, non poteſt ullo modo dici par divinæ poteſtati.* Sed quis tandem erit finis repetitionum? Nonné enim hoc idem antea dictum eſt in hoc libro & in hoc capite? Reſpondere nos novit Smiglecius, falſum eſſe, Chriſti poteſtatem eſſe nunc dependentem, & hanc reſponſionem etiam hoc in loco meminit. Quomodo verò probat contrarium? Idem occinit, quod in præterita periodo dixerat, nos ſtatuere in Chriſto poteſtatem nō aliam quàm dependentem a morte & ſanguine, quod ille vocat intrinſece

Smiglecius repetit eadem.

trinsecè dependentem. Sed jam responsionem audivisti lector. Nempe Smiglecium crassè & turpiter cōfundere causam potestatis Christi, sine qua eam non est consecutus, cum ipsa potestate. Quatenus etiam Christus non sine morte consecutus est, dependens dici potest: sed quatenus eâ nunc uti potest & utitur, independens prorsus est, adeo ut nunc Pater non regat sed filius; nec filius subjectus sit Patri, sed olim futurus sit.

Vna restat in hoc capite periodus, quam asscribam, ut lector cōsideret, an Smiglecius sciat, quid dicat. Sic autē habet. *Iam verò Smalcius, cum ex pari cum Deo potestate, infert divinum cultum, & in eo arguendus est.* Ita loquitur, ac si hactenus in eo me non arguerit, dum & *in eo* arguendum me esse ait, quod Smiglecio inflato cavendum erat. Sed quomodo me arguit: *Nam si,* ait, *ex pari cum Deo potestate inferre licet, parem cum Deo cultum, etiam ex potestate absolutè accepta inferre licebit divinum cultum absolutè.* Non inficior. Quid amplius nectit Smiglecius? Sic pergit. *Cùm igitur Smalcius neget, potestatem divinam absolutè poscere divinum cultum, non potest etiam pari potestati concedere parem cultum, aut si hoc concedat, illud quoq; concedere debet. Servanda enim est proportio inter potestatem & cultum* &c. Sed non nego potestatem divinam absolutè poscere divinum cultum: & si hoc concedam, quid in eo inest erroris aut vitii? Equidem, quid dicat Smiglecius, non percipio: nisi autem vehementer fallor, vel ipsemet Smiglecius lapsus est, vel lapsus ab alio commissus. Quod penes Smiglecium sit & lectorem.

Caput XII.

Nihil peccari, imò gloriam Dei Patris asseri, cùm negatur Christum naturâ Deum esse, ostenditur.

HOc quidem nos tali argumento probaveramus. Scripturæ N. Fœderis jubent eum colere, cui Pater dedit omne judicium, & donavit nomen (quod est) super omne nomen, quia ei obediens usque ad mortem fuit. Ergo jubent eum, qui naturâ non est Deus, colere. Is enim, cui aliquid datur & donatur, Deus naturâ esse nequit, quippe qui omnia ex se ipso habeat. Smiglecius, scripturis N. Testamenti nihil magis repugnare, ait, quàm alium Deum coli, præter unum verum Deum, idque suprà a se demonstratum esse. Ergo & nos ad quæ supra responsa sunt, lectorem remittimus. Scias autem

Cur Christ⁹, qui naturâ Deus non est, colendus sit.

Cap: 7.

Ex novo F. doceri nequit, unum tantùm Deum colendum esse absolutè.

autem iterum, pie lector, nullum ibi ex N. Fœdere locum allatum esse, qui vel hoc disertè affirmet, vel ex quo colligi possit, in N. Fœdere solum verum unum naturâ Deum colendum: sed loca afferri ex V. Fœdere, quibus, non quid nunc faciendum sit, sed quid olim factum sit, docetur. Præterea & illud notandum est, jure dici posse, nunc etiam illud præceptum durare. quia scilicet, quando Christus colitur, Deus ille unus colatur, diverso tantùm modo, ab eo quo olim sub V. F. colebatur. Tunc immediatè, nunc etiam mediatè. Quod verò concedit Smiglecius, præcipere sacras literas N. Fœderis, ut alius præter Patrem colatur, nempe homo ille Christus: nunquam tamen, eum alium Deum esse, docere, nec diversum ab eo, qui naturâ est Deus, jam ipsemet veritatem confessus est, & suam sententiam evertit. Nā eo ipso, quòd ait, scripturas N. Fœderis præcipere, pro Deo coli hominem illum Christum, jam concessit, eum, qui non est naturâ Deus, colendum. Nam, qui homo est, is persona humana ut sit, necesse est. Qui verò humana persona est, is divina persona, adeoq; Deus naturâ, esse non potest ullo modo. Cùm duæ personæ in uno subjecto consistere nequeant.

Quatenus etiam sub N. F. unus tātùm Deus colendus.

Rationem nostram, quæ est, quòd ei, qui naturâ Deus est, dari vel donari nihil possit, infirmissimam esse ait. Quia scilicet ei, qui ita naturâ Deus est, ut etiam sit naturâ homo, donari aliquid possit respectu naturæ humanæ. Sed hæc cantilena est fabulosa Smiglecii, quam jam refutatam toties refuto iterum. Dico, Smiglecium crassè principium petere. Nunc enim inter nos de eo controversia est, an Christus naturâ Deus sit, & in hunc ipsum finem argumenta a nobis afferuntur, ut probetur, eum talem Deum non esse. Quomodo igitur argumenta nostra distinctione naturarum jure tolli possunt? Dico iterum, concessa etiam ista naturarum distinctione, nihil Smiglecium proficere. Docemus enim, non tantùm Christo data esse omnia, sed etiam donata, & non tantùm donata simpliciter, sed certo tempore & certam ob causam, nempe propter obedientiam usque ad mortem. Qui verò natura Deus est, ei omnia per unionem istam hypostaticam, quæ in Christi conceptione initium habuit, data esse necesse est. Dico tertiùm, Smiglecium astutè omittere argumentum aliud nostrum, quòd scilicet is naturâ Deus esse nequeat, qui mori possit & mortuus sit. Hîc enim ad istas fictitias duas naturas nullum datur refugium. Mori enim ut passio est, ita non nisi personæ competit. At persona divina vel is, qui naturâ Deus est, mori non potest. Idem enim sunt naturâ Deum & naturâ immortalem esse. Cùm verò Christus mortuus sit, necesse est dicere, eum personam talem fuisse, quæ

Christo omnia donata certo tēpore.

Christi mors arguit, eum divinā naturam non habuisse.

quæ mori potuerit. Hæc autem alia esse non potuit, quàm humana. Natura enim humana absq; persona mori non potest. Si persona humana mortua est, quomodo Christus persona divina vel Deus naturâ esse potuit? Vnde constat, an stramineo nostra sententia nitatur fundamento, quâ asserimus, Christum naturâ Deum non esse, & tamen cultum illi divinum deberi. Totum orbem Christianum credidisse semper, possibile esse, quòd in una Christi persona sint duæ naturæ, pro falsa gloriatione Smiglecii habendum est. Nam si id ex s. literis probari nequeat, etiamsi tandem ab ipso Christiani cœtus exordio quidam, vel etiam non pauci, ita senserint, pro antiquo errore, quem spiritus Antichristi, qui tempore Apostolorum cœpit, ipsis verò mortuis incrementa sumsit, habendum est. Nec enim quid orbis Christianus credat, hîc curandum: sed, quid ab Apostolis traditum sit, diligenter investigandum est. Sed hoc premens magis quàm pungens argumentum Smiglecii in priori meo scripto, & in hac etiam responsione mea superiùs, refutatum est.

Iniquus autem est disputator Smiglecius, qui a nobis argumenta requirat, cur negemus, Christum esse naturâ Deum: cùm ipsi, qui affirmet, probatio incumbat; &, si nos argumenta adversariorum solvamus, jam nos, quod volumus, obtinuisse, nemo prudentium non intelligit. Hoc verò, Dei beneficio, hactenus ita præstitum est, ut, quod amplius afferant adversarii, reliquum habeant nihil. Quanquã nos sponte nostra argumenta etiam afferimus,; cur id, quod hodie Pontificii & alii ipsos hac in re imitantes, affirmant, negemus, ut scilicet tantò clariùs, penes quos divina veritas sit, appareat. *Smiglecius iniquum postulat.*

Iam quòd non claras scripturas, sed consequentias tantùm nos producere ait Smiglecius, & in hoc nos peccare primùm contendit, dupliciter respondemus. Primùm rem aliter se habere dicimus. Plus enim quàm consequentia est, dum docemus, Christum esse naturâ hominem, Christum nihil a se ipso facere potuisse, Christo omnia esse donata propter obedientiam illius, Christum esse a Patre exaltatum. Quis enim non videt, hoc ipso disertè negari, eum esse naturâ Deum? Deinde non necesse esse dicimus, ut omnia, quæ verissima etiam sunt, claris scripturis comprobentur. Hoc enim tantùm de illis Christianæ religionis particulis verum esse, & exigi posse credimus, quæ ad salutem necessariò pertinent. Qualem cùm non esse hanc de Christi persona sententiam nobis persuasissimum sit, licet ad eandem salutem longè utilissimam esse pariter credamus, sufficit, nos consequentias firmas & evidentes afferre. Et sanè mirum est, Smiglecium id a nobis exigere, qui sponte nostra confitemur, hanc senten- Quando sufficiant cõsequentiæ.

tiam de Christi persona ad salutem necessariam non esse, cùm ipsimetSmiglecii asseclę olim confessi sint, sententiam ipsorum de Christi natura, quam necessariam ad salutem prorsus esse credunt, si verum est symbolum Athanasii, ex solis s. scripturis demonstrari non posse, & credi ab illis, non quia scriptura dicat, sed quia non contradicat. Vnde porrò, siquidem verum est, quod isti dixerunt, pariter concludi potest&debet, sententiam etiam adversariorum, quantumvis vera esset, non esse ad salutem necessariam; & ita, non sine gravi peccato, Smiglecium, nos indignos esse, qui Christiani appellemur, pronunciare, & tam acriter insectari. Qua in re ut tandem & ipse Smiglecius, & omnes alii magis sobriè sapiant, Deum ex animo precamur.

Pontificiorũm quorundam de divina Christi natura sententia.

Sed nunc iterum locos scripturæ affert ad probandum, eas non negare, Christum esse naturâ Deum. De quibus licet antea ea dicta sint, quæ sufficere possunt ad demonstrandum, quàm ineptè eos Smiglecius ad propositum suum ac commodet, & quàm rudis sit Pontificiorum Theologia in sensu sacrarum literarum investigando, cogor tamen iterum id dicere, quod multiplicis erroris Smiglecium convincat.

Locus Gal. 4. explicatur.

Locus I. est Gal. 4, 8. ubi Paulus reprehendit Galatas, quòd eis, qui naturâ Dii non essent, servierint. Vnde colligit Smiglecius, quod hîc etiam repetit, Christum etiam non esse colendum, nisi Deus naturâ sit: aut quia colendus sit, eum esse naturâ Deum. Responderam ego primùm, Paulum eos reprehendere simpliciter, qui, cùm Deum ignorarent, nullum verum Deum colebant, sed idola, quæ non erant naturâ Dii. Hoc verò nihil ad Christianos pertinere. Hi enim unum Deum verum, & qui naturâ Deus est, colunt, & unâ cum illo, secundùm ejus expressissimam voluntatem, eum, quem is, qui naturâ Deus est, coli præcepit. Smiglecius primùm responsionem imperfectè recitat, dum ait. *Nam quod Smalcius ait, reprehendi gentiles, qui idola colerent, quæ non erant naturâ dii. Rectè quidem.* Aliter enim ego loquor, & aliter me loqui locus citatus cogit. Non gentiles, ut ait Smiglecius, sed Galatæ reprehenduntur, quòd olim, dum essent gentiles, eos coluerint, qui non essent naturâ dii. ergo hoc culpandum est, quòd quis eos colit, qui non sunt naturâ dii: sed nos & alii Christiani non colimus eos, qui non sunt naturâ Dii. Colimus enim, si accuratè loqui velimus, unum tantùm Deum, qui naturâ Deus est. Quod verò colimus etiam Iesum, qui non est naturâ Deus, hoc ad perfectionem cultûs istius unius & naturâ Dei ita pertinet, ut hodie is, qui naturâ Deus est, coli nequeat, nisi colatur etiam Christus, qui

Cultus Christi hominis ad perfectionem cultus divini pertinet.

naturâ

naturâ Deus non est. Nam qui non honorat filium, cui Pater certo tempore & certa de causa judicium omne dedit, is Patrem non honorat. Liberum autem Deo, imò Deo dignum & nobis utilissimum fuisse, talem cultus sui modum nobis præscribere, nemo sanæ mentis dubitat.

Deinde manca hac responsione allata & concessa, ait: *At in idolorum cultu hunc defectum notat scriptura, quòd non essent naturâ dii, & idcirco divino cultu essent indigni. Quod etiam in Christo proculdubiò conveniret, si Deus naturâ non eßet.* Quod quàm sit otiosum, & etiam impium, ex jam dictis constat. Nam si Christiani colant eum, qui naturâ Deus est, & eum, sine cujus cultu Deus naturâ coli non potest, liberi sunt ab ista Pauli reprehensione. Nec enim in cultu idolorum, cultus Dei, qui naturâ talis est, continetur, & cum eo necessariò connexus est. Quod quamdiu intelligere non vult Smiglecius, non mirum quidem, sed tamen dolendum est, & fortasse etiam pernitiosum esse potest, ipsum ita in Christi divinitatem involare.

Ad id, quod dixeram, nos in colendo Christo expressissimam Dei voluntatem, qui velit in Christo se coli, respondet. *Fateor, sed idcirco præcepit, quia ille homo Deus quoque naturâ est, & nisi Deus naturâ eßet, nullo modo id Deus poßet præcipere. Sibi enim ipsi repugnaret, cùm solùm unum Deum, qui est naturâ Deus, coli præcipiat.* Sed hic suo more sententiam dicit Smiglecius, vel principium petit, & in ipsum etiam Deum injurius est. Nonné enim nunc id controvertitur, an Christus Deus sit natura? Quomodo igitur asserendo, Christum esse Deum naturâ, argumentum meum dilui potest? Quis porrò, nisi parum pius dicere ausit, Deum non posse præcipere, ut alius quis, qui naturâ Deus non sit, colatur? cùm hoc nullam prorsus contradictionem implicet, imò ad summam Dei gloriam & hominum consolationem vergere possit. Dici autem jure potest & debet contrarium ejus, quod dicit Smiglecius, Deum præcipere non potuisse, nec præcepturum fuisse, vel saltem non opus futurum, ut præciperet, ut Christus coleretur, si Deus naturâ esset. Hoc enim ipse Christus efficere potuisset: imo id non potuisset non fieri, etiamsi Pater nunquam id præcepisset. Ratio quæ affertur nulla est. Nam vel nunquam Deus sub N. F. præcepit tantùm eum, qui natura Deus sit, colere: vel certè non eo sensu, ut aliquem alium præter ipsum colere non liceat. Nā si cultus, qui alicui alii tribuitur, extra Deum, in Deum tendat, & ad Dei cultum pertineat; & modus tantùm sit colendi Deum alius ab eo, qui olim sub V. F. extabat, perpetuò jure dici potest, unum tantùm Deum coli. Et hoc unum est eorum, quæ de loco Gal: 4. dixeram.

Deum posse præcipere, ut is, qui natura Deus non est, colatur.

Alterum est, quod nego, apud Paulum, naturâ Deos esse, significare, essentiâ Deos esse. Ratio est, quòd ea de re nulla fuisset causa disserendi, quasi scilicet aliquis credidisset, eos esse essentiâ Deos: Sed sensum esse, quod non fuerint propriè & re ipsa Dii, ita ut vox naturæ opponatur opinationi hominum, quam de idolis conceperant. Qua in re nobis astipulantur alii etiam, iique doctissimi, & quod maximum est, idem cum Smiglecio in hac re sentientes interpretes. Quia verò Christus verè & re ipsa Deus est, hinc constare, nihil hunc locum contra nos facere. Smiglecius quid ad hæc? *Stultum est*, ait, *quod addit Smalcius, idola eo sensu non esse naturâ Deos, non ut natura significat essentiam sed ut natura significat idem quod propriè & re ipsa est. Sicut Ephes: 2. dicuntur Iudæi & Gentes naturâ filii iræ, hoc est propriè & re ipsa.* Hîc queror, Smiglecium parum candidè mecum agere. Omittit enim rationem, quam sententiæ meæ attuleram. Quæ si penitiùs consideretur, firmior etiam apparebit. Nam quid Paulo opus erat disserere de idolis, quod non essent essentiâ Dii? quasi scilicet plures uno dentur, qui sint naturâ vel essentiâ Dii, cùm tamen tantùm unus talis sit & esse possit. Sed tamen, quid ad hoc, quod attuli ex Epistola ad Ephesios, respondeat, attendamus. *Dicendum enim est*, inquit, *quòd & si, qui naturâ sunt filii iræ, sint etiam propriè & re ipsâ filii iræ: tamen non ideò dicuntur propriè & re ipsâ filii iræ, quia ex ipsa natura sint filii iræ. Nascuntur enim filii iræ, & unâ cum sua natura secum ferunt, quòd sint obnoxii divinæ iræ propter originis peccatum, quod cum naturâ contrahunt.* At unde constat Smiglecio, eos qui propriè & re ipsa sunt filii iræ, esse filios iræ, quia tales nati sint? Num oracula sunt ista divina, quæ de peccato originis narrat, & non potiùs commenta hominum absurdissima? Agnosce hinc iterum, quisquis es, Pontificiam Theologiam, quæ, nisi tales nænias partinaciter obtruderet, in s. literis explicandis prorsus caligaret. Nihil autem Paulum, isto in loco, cogitasse de isto peccato originis, vel hinc constat, quòd de re loquitur, quæ tunc, cùm ista scriberet, in Ephesiis transierat, dum ait: *Eramus* filii iræ. unde etiam isti, quod antea fuerant, opponit statim in sequentibus verbis id, quod facti fuerant, nempe quòd Deus eos ex mortuis cum Christo resuscitaverit, in cœlestibus collocaverit &c. At peccatum istud originis semper durat in hominibus, ex mente Smiglecii. Adde quòd Paulus istud, *et eramus filii iræ naturâ, sicut & cæteri*, affert, pro consequenti & effectu eorum, quæ antea dicta fuerant, hoc est, vitæ ante actæ Ephesiorum, dum adhuc essent Ethnici, & Iudæorũ, antequam Christũ cognovissent. Dicit enim primum: *Et*

vos qui

Naturâ Deum non esse, quid sit.

Beza.
Piscator.

Locus Ephes: 2. ab explicatione Smiglecii vana vindicatur.

Paulum non loqui de peccato originis.

vos, qui eratis mortui delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulastis secundùm seculum mundi hujus, secundùm principem potestatis aeris, spiritus, qui nunc operatur in filiis inobedientiæ, in quibus & nos omnes conversati sumus aliquando in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum. Quibus verbis & Ephesiorum tanquam Ethnicorum, & suam suæque similem tanquam Iudæorum vitam, in qua ante Christi cognitionem degebant, describit. Deinde verò, cum addit, *et eramus filii naturâ iræ, sicut & cæteri,* conditionem, quâ ob istam anteactam vitam, tam Iudæi quam gentes digni erant, peregregiè expressit. Ea autem, est, quòd non secus, propriè & re ipsa, digni erant suppliciis æternis Iudæi atq; reliquæ gentes. At secundùm mentem Smiglecii priùs de peccato isto originis, tanquam de causa peccatorum dicendum fuisset, deinde verò de effectis illi⁹, nempe delictis & peccatis. Sed tandem ipsa etiam phrasis mentem Pauli prodit. Filium enim esse alicujus rei, per Hebraismum satis frequentem significat, ad rem aliquam pertinere, ad aliquam rem aptum, re aliqua dignum esse, ea delectari, vel quid huic simile, nunquam verò, quod ego sciam, cum re aliqua natum esse: hoc sensu dicitur de Iudæis etiam incredulis, eos esse filios Prophetarum & fœderis, quia scilicet ad eos Prophetæ & Fœdus pertinebant: hoc sensu filius pacis vel lucis vel regni is dicitur, qui pace vel luce vel regno dignus est, vel ad pacem aut lucem aut regnum aptus est: hoc sensu in eodem loco dicitur de iis, qui noluerunt Christo obedire, eos esse filios inobedientiæ, & huic opponitur, filium esse iræ. Nam qui in inobedientia perdurant & eâ delectantur, ii reipsa & verè digni sunt divinâ irâ vel pœnâ.

Quid sit Filium esse alicujus rei.

Act: 3. 25. Matth. 8. 12. Luc: 10. 6. & 16. 18.

Ephes: 2. 2.

Porrò, cùm ita Smiglecius concluderet, aut Christo cultum divinum negandum, aut essentiam divinam concedendam, ego dixeram, prius illud scripturas sacras disertissimè exigere, dum volunt, ut filius honoretur sicut pater: hoc verò easdem prohibere, dum unum Deum, adeoq; unam numero essentiam divinam esse docent. hoc enim constituto, jam neminem ad participationem illius admitti posse, cùm jam non sit futura numero una, si participetur alteri, Smiglecius hoc sic refutat. *Quid tum? Neq; enim nos aliam numero essentiam inducimus, sed eandem numero, quæ est in Patre, Christo quoque homini communicari per unionem hypostaticam asserimus.* Egregia sanè respondendi ratio, quam unam ex artificiis Smiglecianis esse, in præfatione ad lectorem, antea etiam docueram: argumentis nostris suam opponere sententiam, eamq; ita absurdam, ut absurdius vix aliquid tum in Theologia, tum in Philosophia cogitari possit. Contradictionem

Absurditas sententiæ Smiglecii de communicatione unius numero essentiæ divinæ, cũ Christo homine.

dictionem implicari, si dicatur, unam numero essentiam tribus personis, quas Smiglecius credit, competere, jam satis superque a nostris ostensum est, & infrà cap:18. uberiùs ostendetur: Eandem verò numero essentiam, tribus personis communem, Christo homini communicatam esse, non tantùm contradictio est, sed ipsissima absurditas. Nonné enim turpissima Deo hac ratione affingetur mutatio, si ad eam essentialiter admittatur homo? Sed quomodo præterea essentia Dei numero una cum eo communicari potest, quod per se non subsistit? Communicatio enim subsistentiam ejus, cui debet communicari, necessariò requirit: At Christus homo non subsistit, ex mente Smiglecii, per se. Iam enim esset substantia & persona humana. Datâ autem personâ humanâ, quæ sit Christus, jam actum est de persona divina, quæ Christus esse dicitur, adeoque de universa Trinitatis, qualem statuit Smiglecius, structura. Sed, hoc nunc ita attigisse, sufficiat.

Locus Rom: 1. explicatur.

Alter locus est Rom:1. 25. Vbi Paulus reprehendit eos, qui commutârant illam veritatem Dei in mendacio, ac servierunt creaturæ prætet eum qui creavit, qui est benedictus in secula. Accusaveram ego primùm ignorantiæ Smiglecium, qui, commutare veritatem in mendacium, & servire creaturæ præter creatorem, pro eodem accipiat. cùm tamen re ipsa differant. idque, tum ex voce *Et*, colligi posse dixeram, quæ semper copulans est, nisi aliud ipsa res suadeat, tum ex ipsa oratione. Posse enim aliquem mutare veritatem in mendacium, nec tamen esse idolatram. cùm ex genere non inferatur affirmatè species. Ad hoc nihil respõdet Smiglecius, qui tamen, nescio quid non, de nobis convertendis somniat.

Smiglecius ad objecta non respondet.

Objeceram secundò, non dici de illis, de quibus ibi sermo est, quod mutârint veritatem in mendacium, ut habet vulgata, sed in mendacio, & hæc verba idem valere posse, quod per mendacium. Mutare autem veritatem Dei per mendacium is dici potest, qui mavult sequi mendaces doctrinas Ethnicorum, quàm verum Iesu Christi Evangelium. Ad hoc pariter nihil respondet Smiglecius, sed tantùm explicationem meam falsam esse dicit. At ego non tantùm verba explico, verùm etiam verborum interpretationem urgeo. Cur igitur, hoc omisso, illud solum tractat Smiglecius? Sed quomodo falsam esse explicationem meam probat? *Nam Paulus*, ait, *idem v: 25. repetit, quod aliis verbis v: 23. Ethnicis objecerat: Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis. Per veritatem ergo Dei & mendacium veri Dei & falsorum cultum intelligit. Frequens enim est in scriptura, idola dici mendacium, quia non sunt id, quod esse cre-*

ſe creduntur. Vnde & Paulus ait 1. *Cor:* 8. 4. *Scimus, quia idolum nihil eſt.* At hoc infirmum eſt admodum. Potuit enim idem dici v:25. quod 23., nec tamen in illis verbis, de quibus controverſia eſt, ſed in ſequentibus: *Et ſervierunt creaturæ potiùs quàm creatori.* Hæc enim reſpondent illis, *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudine imaginis corruptibilis.* Verba verò priora v: 25. *mutaverunt veritatem Dei in mendacio*, tanquam aliquid diverſum ab hoc conſiderari poſſunt & debent, nempe tanquam cauſa quædam iſtius turpis idolatriæ. Vnde conſtat, mutare veritatem Dei in mendacium vel mendacio, aliud nihil eſſe, quàm malle mendaces doctrinas ſequi, quàm Chriſti Evangelium. Porrò ſi frequẽs eſt in ſcriptura, idola dici mendacium, cur non adduxit exemplum aliquod Smiglecius? Nam quod affertur ex loco 1. Cor: 8. 4. id nihil ad rem facit prorſus. Docendum enim fuit, idola dici *mendacium* in ſcripturis, idque frequens eſſe. Aliud autem eſt docere, idola eſſe mendacium, & aliud, idola in ſcriptura dici mendacium. Præterea aliud eſt, docere, idolum nihil eſſe, & aliud, docere, idem mendacium eſſe. Nec enim neceſſariò idem valent Mendacium & Nihil: ſed ex accidẽte hoc fit, quòd, quia mendacium eſt aliquid, nihil etiam eſt. Adde, quòd non ſimpliciter docendum erat, idolum dici mendacium, ſed cum tali oppoſitione, qualis eſt apud Paulum, ubi ſcilicet Mendacio opponitur Veritas Dei. Vt enim veritas Dei non eſt ipſe Deus, ſed id, quod de Deo dicitur: Sic nec mendacium oppoſitum ei, eſt ipſum idolum, ſed id, quod de idolis dici poteſt vel ſolet. Et ſanè ipſa ſana ratio dictat, mendacium eſſe accidens & actionem quandam, ut etiam veritas. Quomodo igitur per ea res per ſe ſubſiſtentes, quales ſunt Deus & idolum deſcribi poſſunt? Quod ego etiam dixeram, & pro una ratione attuleram in priori reſponſione. Sed & hoc gnaviter omiſit Smigle:. Sed addit Smiglecius aliquid, *Quòd ſi veritas Dei, vera Dei cognitio intelligatur, proculdubio non ea accipienda eſt, quæ ex Evangelio habetur, quæ nondum ad omnes gentes pervenerat, ſed quæ naturæ lumine de Deo habetur, ut ex antecedentibus patet.* Extra diſputationem docere, ſcilicet hæc voluit. Sed probationes addere, vel, quomodo id ex antecedentibus pateat, docere, prorſus oblitus eſt, vel neglexit. Ego verò dico, Smiglecium, ut aliàs, ſic etiam hîc prodere ſuam Theologiam pontificiam. Dum quæſtiones & controverſiam tractantur, multùm juvatur, ut video, Smiglecius à ſua Theologia ſcholaſtica. Hæc enim tota in eo eſt, ut veritatem divinam, ſubtilitatibus quibusdam ſpeciem veri habentibus, involvat, & nihil non intricet. Quà de cauſa etiam

Idola mendacium nuſquã appellari.

ſedulò

ſedulò cavendum eſt ab illa omnibus,qui verè cupiunt θεολογεῖν: At cùm loci ſacrarum literarum explicandi ſunt, mirum eſt, quàm frigidè procedant omnia. Quod etiam ſententia de loco præſenti ſufficienter indicat. quam falſam eſſe quia res non minimi eſt momenti, non gravabor demonſtrare, tum ex antecedentibus tum ex conſequentibus.In præcedentibus ſermo eſt de iis,qui veritatem(& ut habent quædam exemplaria, *Dei)* detinent in injuſtitia: Sed id, quod gentes ex lumine naturæ cognitum habuerunt, nusquam veritas,idq; cum articulo, nedum Dei veritas appellatur, nec porrò appellari poteſt. Quomodo enim ei, qui Deum ignorat, Dei veritas tribui poteſt? Deinde non de omnibus gentibus dici poteſt, quòd ea impietas & injuſtitia in illis fuerit, ut in injuſtitia detinerent illam Dei veritatem. Ad hoc enim enormis quædam impietas requiritur.Vnde Apoſtolus iram de cælo revelari ait ſuper illam impietatem & injuſtitiam. Multi verò ex gentibus virtutum multarum fuêre ſtudioſi. Porrò ſermo eſt in præcedentibus de iſtis gentibus, vel hominibus, in quibus manifeſtum eſt τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, hoc eſt, quod de Deo ſciri poteſt,vel quod de Deo ſciendum eſt.At illud,quod ex lumine naturæ habetur,non eſſe dignum tanto encomio,quis non videt?Nedum enim, ut,quod de Deo ſciri poteſt vel ſciendum eſt, ſciverint gentes ex lumine naturæ,ſed nec Deum eſſe, ex lumine naturæ ſcire potuerunt, de quo aliàs.Preterea ſermo eſt in præcedentibus de iis,quibus ſe Deus manifeſtavit: Id verò,quod ex lumine naturæ homines ſciunt, non revelatio appellatur,nec appellari poteſt. Nam ſcientiæ naturali revelatio opponitur, & id tantùm revelatum eſſe dicitur, quod ſacris literis continetur. Adde,ſermo eſt de iis, qui ex factis ſempiternam Dei virtutem & divinitatem conſpexerant: At in nulla prorſus re,extra Evangelium Chriſti, adeoq; nec in ipſa Lege, quæ Philoſophiâ multò eſt excellentior, virtus & Divinitas Dei ſempiterna conſpici poteſt. Porrò ſermo eſt in ſubſequentibus de iis, qui Deum cognoverant: At ex lumine naturæ Deum cognoſci poſſe falſum eſt, ſi ſcilicet attendatur, quid ſit,Deum cognoſcere. Nempe non id, ſcire quòd Deus ſit,(quanquam nec hoc ex lumine naturæ cognoſci poteſt) ſed ſcire, quæ ſit ejus voluntas.Hanc enim Deus non niſi in verbo ſuo revelavit. Sermo eſt,ut me in pauca contraham, de illis, quos Deus tradidit in deſideria cordium eorum, in immunditiam, vel,ut v. 26 ait, quos tradidit in paſſiones ignominiæ,vel ut v.28. iterum dicit,quos tradidit in ſenſum reprobũ: At ii,qui ex lumine ſolo naturę Dei cognitionẽ habent, nullo modo a Deo propriè puniuntur. Nam ubi non

Paulum Rom: 1. de iis, ad quos Evangelium pervenerat, loqui. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

ubi non eſt lex, ibi nec tranſgreſſio imputatur. Nedum ut tali modo puniantur, quo nullus horribilior cogitari poteſt. Hos enim Deus tā-tùm tradit, hoc eſt, protrudit, &, vi quodammodo ipſis facta, ita conſtringit, ut non poſſint non peccare, & ita turpiter, acſi eſſent omni ratione privati, qui ſpreta ipſius voluntate, quam eis clementer revelârat, malunt idolatriam ſectari, quàm verum Deum colere. Sermo 8.
deniq; eſt de iis, qui maluerunt ſervire creaturæ quàm creatori. Vnde conſtat, eos cognoviſſe creatorem, vel eum qui creavit: At gentes, quæ ante Chriſtum fuerant, ex lumine naturæ creatorem cognoſcere non potuiſſe, vel ipſe Ariſtoteles teſtis eſt, de quo plæriq; credunt, quòd mundum æternum eſſe ſtatuerit. Sed nunc, omiſſo illo, pergamus ad alia, quæ circa hunc locum a Smiglecio dicuntur.

Dixeram etiam, Paulum hoc in loco eos tantùm, qui creaturæ ſerviunt potiùs quam creatori, reprehendere: nos verò illud non facere. Is enim ſervit creaturæ potiùs quàm creatori, qui, repudiato creatore, ſervit creaturæ: nos autem ſervire creatori, & ſervire ei illo modo, quem ipſemet nobis præſcripſit, qui eſt ſub N. Fœdere, ut ſerviamus etiam Chriſto. Smiglecius ad hoc ſic reſpondet: *Atqui per ſe manifeſtum eſt, in utroque gentiles erraſſe, & quod non coluerint creatorem ut debebant, & quòd eum honorem, quem creatori debebant, darent creaturæ: in utroq; etiam reprehendi a Paulo, & quòd ſervirent creaturæ, quòd potiùs quàm creatori, hoc eſt, relicto creatore. Vtrumq; etiam paulò ante* v. 23. *reprehenderat in gentilibus* &c. *Alibi etiam paſſim in ſcriptura ob utrumq; arguuntur Idolatræ, & quòd reliquerint Deum fontem aquæ vivæ, &, quòd effoderint ſibi ciſternas diſſipatas, quæ non valeant continere aquas, nomenq; incommunicabile, lignis & lapidibus impoſuerint. Sap:* 14, 21. Sed ego primùm falſum eſſe dico, Paulum in hoc loco utrumq; reprehendere in gentilibus, etiamſi gentiles utrumq; fecerint. Verba enim *ſervierunt creaturæ potiùs quàm creatori*, nullum alium ſenſum habent, quàm, maluerunt creaturæ ſervire quàm creatori. Deinde dico, eatenus hoc utrumque reprehendi, quatenus alterum, quod rectum eſt, omittitur, hoc eſt, cùm creator non colitur, alterum verò, quod pravum eſt, committitur, hoc eſt quando colitur creatura. hoc enim verè eſt Idololatricum & Ethnicum: At ſi creator colatur & creatura, quam creator coli præcepit, nihil omittitur, quod faciendum eſt, nec quicquam committitur, quod culpandum eſt ſub N. Fœdere. Dico deniq;, id reprehendi hîc a Paulo & alibi in ſcriptura, quòd gentiles ex cerebri ſui commento, relicto Deo,

Quatenus creaturam colere non liceat.

cultum ejus, in imagines corruptibilis hominis & aliarum bestiarum, in ligna deniq; & lapides transtulerint: At nos, non ex cerebri nostri figmento, sed secundùm expressam Dei voluntatem & Christi Evangelium, non relicto Deo, sed firmissimè Deo vero ad hærentes, non in imagines rerum corruptibilium vel ligna & lapides cultum divinum transtulimus, sed Iesu Nazareno Domino nostro cultum unâ cum illo Deo uno tribuimus. Ostentet igitur se, quantum velit, Smiglecius, quòd Christum hominem ideo colat, quia simul Deus sit creator cœli & terræ, quamdiu non ostenderit, Christum hominem esse creatorem cœli & terræ, tamdiu in crassissimo illum errore versari, & præcipuum Christianæ religionis mysterium ignorare, asserere non dubitabimus.

Christi hominis cultus Dei verbo nititur.

Dixeram porrò, Paulum hîc de creatura, per se considerata, loqui: Christum autem esse creaturam divina potestate præditam, adeo ut omne judicium datum illi sit a Deo Patre, isq; sit omnis creaturæ primogenitus, & primus a Deo. Hoc & mutilè recitat & frigidè refutat Smiglecius. Nam sic ait: *Nil verò juvat Smalcium, cùm ait, Paulum loqui de creatura per se considerata: Christ⁹ verò est creatura potestate divinâ prædita*. At ego longè aliter Christum descripseram, ut modò docui. Quæ descriptio cogit quodammodo hominem, ut Christo serviat. Qui enim ei servire nollet, cui datum est omne judicium a Patre, is proinde peccaret, acsi ipsimet Patri servire nollet. Refutat autem hoc modo: *constat enim Paulum creaturam opponere Creatori, & de omni creatura loqui, quæ non est creator.* Nego, Paulum de omni creatura loqui, nec id constare concedo. Cur igitur non probavit hanc assertionem Smiglecius? Concedo iterum, Paulum de omni creatura loqui dici posse, quæ scilicet colitur potiùs quam creator: sed nego, talem creaturam esse Christum. Is enim colitur non potiùs quàm creator, sed colitur unâ cum creatore, nec ei in cultu opponitur, sed subordinatus est. Accuso etiam Smiglecium ineptæ assertionis, dum dicit, Paulum de omni creatura loqui, quæ non sit creator. Tacitè ergo concedit, creaturæ etiam deberi cultum divinum. Creaturam autem creatorem esse posse, qui dicere pergit, ei medicamentis non argumentis opus est. Nam si hîc contradictio non est, nulla unquam futura est, præsertim si ita nudè dicatur, ut hîc dicitur.

Cur Christo homini cultus debeatur.

Iam ad tertium locum accedit Smiglecius. Sed priùs monendus est lector, quàm negligens sit disputator Smiglecius, cùm videt, se premi autoritate s. literarum. Addideram ego, verba Græca apud Paulum, παρὰ τὸν κτίσαντα, converti etiam posse, præterito creatore & plus quàm creatorem. Quia verò nos, dum Christo servimus, neutrum

Smiglecius, quæ refutare nescit, omittit.

trum horum facimus.nam nec creatorem prӕterimus,nec plùs Christum colimus quàm Deum, non nisi per summam aut ignorantiam aut malevolentiam id de nobis dici, quod Paulus de Ethnicis dicit. Hoc etiam silentio involvit Smiglecius, quo fine, prudentibus judicandum relinquo.Nunc ad tertium locũ unà cum Smiglecio accedo.

Locus est Hier: 10, 12. *Dii qui cœlum & terram non fecerunt,pereant de terra, & de his quæ sub cælo sunt.* Hunc locum adduci ab adversariis ad probandum, quòd Christus colendus non sit, nisi sit creator cœli & terrӕ vel Deus naturâ, dolendum sanè est. Sed quid non jubet desperatio?Dixeram primùm,distinguenda esse tempora,& conciliatum iri scripturas. Hæc enim verba tum dicta fuisse, cùm nondum esset natus Christus: nunc verò,quia docemur ab Apostolis,qui sunt optimi Prophetarum interpretes, quòd homo etiam Iesus, cui Pater omne judicium dedit,colendus sit,parum curandum esse,quid de cultu Dei Propheta V. Fœderis dicat; nec discendum esse cultum divinum hodie ex Prophetis,sed ex Evangelio Iesu Christi & doctrina Apostolorum.Hæc quomodo exagitare conetur Smiglecius,operæ pretium est videre diligenter. Sic igitur rem aggreditur. *Quid in hac responsione non est reprehensione dignum? Primùm enim non advertit Smalcius rationẽ, ob quam Dii illi exterminandi sunt, illam poni,quia non fecerint cœlum & terram. Si igitur hæc ratio valet,aliquid,non minùs in N. quam in V. Testamento valebit, & ob eam sequetur, etiam in Evangelio eos Deos exterminandos, qui non fecerunt cælum & terram. Ea siquidem causa justa censetur Dei decreto ad Deos exterminandos. Quod si hæc ratio in Evangelio non concluditur,nec est sufficiens ad Deos exterminandos, pari ratione neque in vetere concludere debuit, quod sine blaspemia dici non potest. Et sanè non aliud peccatum illorum Deorum, qui exterminari jubentur,commemoratur,quàm quod non fecerint cælum & terram. Ergo si hoc idem peccatum habeant Dii Novi Testamenti,pari ratione erunt exterminandi.* Hactenus Smiglecius, qui vix ullam responsionem sine repetitione otiosa & molesta afferre potest, ut hæc etiam periodus argumento est.Sed hoc lectori judicandum relinquo.Dico autem,non constare, nec id Smiglecium probasse, rationem hìc reddi,quarê Dii gentium sint extermināđi.Tantùm enim indicatur,quinàm Dii sint exterminandi; causa verò, cur id faciendum sit, hoc in loco reticetur. Dico iterum, etiamsi constet,rationem hîc reddi,cur Dii sint exterminandi, non consequi tamen, eam hodie etiam valere. Nam si is, qui semel dixit,Deos esse exterminandos, quia cœlum & terram non fecerint, dicat iterum,Deum aliquem esse colendum,

Propheticorum scriptorum optimi interpretes Apostoli.

quem ipsemet a dextris suis collocârit, etiamsi cœlum & terram non creavit, quis non videt, non minùs in hoc quàm in illo fidem ei adhibendam, cùm nulla sit in eo contradictio? Semper enim præceptū speciale derogat generali. Causas scilicet Deus habuit, quare semel aliquid præciperet, & deinde aliquid aliud. Quod in multis præceptis legis, quæ Deus olim ita sarta tecta esse voluit, ut mori eum oporteret, qui ea violasset, nunc autem nos ab eorum observatione liberos fecit, videre est. Nec quicquam absurdi in eo est, nedum ut blasphemum dici possit, ut satis ineptè affirmat Smiglecius, si ratio, quæ olim in V. Fœdere valebat, hodie non valeat in Novo. Imò hoc ipsum, quod Vetus est & Novum Fœdus, docet in V. aliquid valere potuisse, quod in N. non valeat. Alioquin enim novum & vetus idem essent, quod voces ipsæ negant. Istum loquendi modum, quo *peccatum* Deorum, qui exterminari jubentur, appellat, quod non fecerint cœlum & terram, & idem etiam peccatum ad Deos N. Fœderis accommodat, non exagito: nimis tamen figuratum esse, unumquemque agniturum confido.

Deus potest diversis temporibus diversa præcipere.

Pergit Smiglecius & ait, *Deinde quàm frigidè illud apponitur, quòd nondum Christus Dominus eßet natus. An non enim satis est, quòd crederetur nasciturus, & Deus ac Dominus futurus, ut toties in Psalmis & Prophetis prædictum erat? Certè saltem Hieremias non ignorabat, Christum Deum futurum. Quomodo igitur in illum tam graviter pronunciare ausus fuißet, & illum communi maledicto aliorum Deorum involvere, si cum Arianis credidißet, illum cœli & terræ conditorem non eße? Fuißet enim illud Dei apud Hieremiam decretum sufficiēs Iudæis ad Christum quoque exterminandum, & non credendum eße verum Deum.* Ego verò rectissimè id apponi dico, quòd Christus tunc, cùm ista dicerentur, nondum natus esset. Poterat enim tunc aliquid valere, quod postea mutandum erat, ut in aliis non paucis videmus, quæ Veteri F. durante, rata erant, postea verò abolita sunt. Deinde ineptè aliorum præter prophetam fit mentio. Nec enim doceri potest, Iudæos promiscuè credidisse, quod hîc de illis affirmat Smiglecius, ut alibi adversus ipsum Smiglecium docebimus? Adde, quòd, qui crediderunt, Christum nasciturum, & Deum ac Dominum futurum, credere etiam potuerunt, vel potiùs non potuerunt non credere, illum, qui nasciturus erat, non posse esse creatorem cæli & terræ. Nasci enim est initium sumere: at creatorem esse, est, omni initio carere, & sic alio modo verba Prophetæ (si modò de illis audiverunt) intellexerunt, & ad eos solos retulerunt, qui Deo uni essent contrarii. Quod idem

In lege dictum, postea mutari potuit.

idem etiam de Propheta ipso intelligendum est. Nec enim tantùm permittendum est Smiglecio, ut unâ secum tam fœdi erroris complices faciat viros istos divinos, quòd is, qui nasci debuit, creator cœli & terræ fuerit. Hoc enim, non nisi per modum quendam loquendi, ex mente etiam Smiglecii, verum est. certè enim humana natura in Christo cœlum & terram non creavit: sed ob unionem istam, si Deo placet, hypostaticam, quæ in utero virginis facta est, humana natura demum creator coli & terræ appellari cœpit. Hos verò loquendi modos qui divinis illis Prophetis affingere velit, eum non tantùm frigidè, sed parum piè se gerere, jure dici potest. Pronũciavit igitur Hieremias ista idola exterminanda esse, quæ tunc jactabant Ethnici: at de Christo nascituro optimè ei persuasum fuit, quòd, quia cum illo Deo, qui cœlum & terram fecit, futurus erat particeps potestatis illius, particeps etiam futurus esset gloriæ & cultus divini, ut pote qui ad complementum gloriæ & cultus divini pertineat.

Cur Ieremias nõ de Christo verba sua dixerit.

Sed nunc me graviter adoritur Smiglecius hisce verbis: *Iam cùm tam absurdè de Prophetarum scriptis loquitur, ut parùm curandum esse dicat, quid Prophetæ de cultu veri Dei dixerint, quis os tam impudens & absurdum ferat? Ergoné Prophetarum scripta fabulæ Æsopi Smalcio videntur, ut parum curanda homini Christiano videri debeant? Anné alio spiritu Dei locuti sunt Prophetæ quàm Evangelistæ, ut minorem autoritatẽ mereãtur.* Et hac occasione deinceps alia in eundem sensum addit, de quibus mox dicemus. Speciosa sanè criminatio: sed quàm injusta & calumniosa, en ad oculum demonstro. Si quis, Iudaico spiritu inflatus nunc urgeret observationem Sabbathi & circumcisionis, ut alia taceam, idque ideo, quòd Deus sub jactura vitæ ista præceperit in legẽ per Mosen, & per Prophetas repetierit, nonné jure dici posset ab homine Christiano, parum hodie curandum esse, quid de cultu Dei dicant lex & Prophetæ, vel Prophetarum maximus Moses, & cultum Dei verum addiscendum esse ex Apostolo, qui dicit: *Nemo vos judicet in parte Sabbathorum;* & iterum: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Num os illud impudens vel absurdum dici posset, quod sic loqueretur? Num legem & Prophetas pro fabula Æsopi is haberet, ut me calumniatur Smiglecius? Pudeat potiùs Smiglecium, qui ista vel ignoret, vel ita exagitet, quæ ipsissima sunt veritas? Novimus Prophetas V. & Apostolos novi Fæderis eodem spiritu esse locutos: sed non pari mensura. Hinc enim D. Petrus sermonem Propheticum lucernæ in caliginoso loco lucenti, Evangelium verò lucifero comparat. Quantò igitur præstat luciferi splendor candelæ in loco caligi-

Cultus divinus ab Apostolis hodie discendus.

Col: 2. 6.

Gal: 5. 2.

2. Pet: 1. 19. Præstantia Evangelii præ lege.

nolo lucenti, tantum præstare Evangelium sermoni prophetico censendum est. Novimus, quæ deinceps persequitur Smiglecius, Christum magnificè de scriptis prophetarum semper sensisse & locutum esse; novimus, illum veritatem Evangelii testimoniis illorum comprobasse; novimus, eum persæpe docere, ideo multa in Evangelio fieri debuisse, ut prophetarum prædictiones implerentur; novimus, Prophetias non esse Evangelio contrarias, & Christum venisse ad legem implenpam non solvendam. et dum ista recenset Smiglecius, tacitè nos traducit apud imperitos, quasi ea de prophetarum scriptis non credamus: sed non hoc in quæstione est, Smigleci. Quæritur enim, an id hodie curandum sit, quod de cultu Dei dicunt prophetæ. Possunt autem ista omnia, quæ recensentur, vera esse suo modo & respectu, etiamsi in cultu divino non habeatur ratio scriptorum propheticorum per omnia, ut jam a nobis dictum, & ex Apostolo demonstratum est. Quanquam ista, quæ recensentur a Smiglecio, plæraque cum grano, ut ajunt, salis accipienda sunt. Quòd enim Christus magnificè de Prophetarum scriptis semper senserit & locutus sit, id ideo factum esse censendum est, quòd tunc, cùm Christus in terra degeret, nondum tempus erat, quicquam eorum, quæ deinceps sunt abolita, abolendi. Hoc enim ad id tempus, alto Dei consilio, reservatum fuit, cùm Christus ad dextram Dei consedit, & tanquam novus Rex novam legem populo suo fixit. Comprobavit etiam Christus veritatem Evangelii testimoniis Prophetarum: sed non primariò. Alias enim habuit multò fortiores sui confirmationes Christi Evangelium, quàm scripta Prophetarum. Et quomodo scripta Prophetarum confirmatio præcipua Evangelii esse potuerunt, si quidem multò obscuriores sunt Prophetæ & scripta illorum, quàm Christi Evangelium, & non, nisi Christi Evangelio duce, intelligi possunt? Cùm certum sit, id, per quod aliquid confirmatur, debere esse clarius & manifestius eo, quod confirmatur. Verum porrò est, ideo multa in Evangelio fieri debuisse, ut prædictiones Prophetarum & prædictiones V. Testamenti implerentur: sed nisi sensus plærumq; mysticus, quem Christus ostendit in Prophetis admittatur, vix aliquid illorum quæ in Christo apparuerunt, in Prophetis, prædictum fuisse dici potest. Vnde factum est, ut & olim & nunc Iudæi tantopere abhorreant ab Evangelio. quia scilicet aliud quid Prophetas prædixisse, aliud in Domino Iesu servatore nostro evenisse putant; sensum verò, quem is, qui aliis divinis modis a Deo commendatus erat, nempe Christus, ex Prophetarum scriptis eruit, admittere nolunt. Nō sunt etiam Prophetiæ Evangelio contrariæ: Sed non omnia, quæ scripta sunt a Prophetis

Observanda ad Prophetarum & Evangelii differentiam cognoscendam.

phetis

phetis, sunt Prophetiæ. Nam non in omnibus eorum scriptis futura prædicantur, ex quorum numero & ille locus est, de quo nunc controvertimus. Nec contrarium in eo quicquam est, si Deus idem, nempe creator cœli & terræ, perpetuò colatur, modus autem eum colendi immutetur. Nam, & ante legem latam & Prophetarum scripta, Deus idem creator cœli & terræ colebatur, licet non eodem modo, quo post legem colebatur. Venit deniq; Christus ad legem implendam non solvendam: sed non simpliciter & absolutè. Legem enim Ceremonialem & Iuridicialem universam solvit: Moralem verò in plærisq; multò perfectiorem reddidit, quod est apud Matthæum legem implere vel perficere. Sed de tota hac materiâ, quæ per se latissimè patet, & cujus cognitio longè est ad salutem utilissima, plura disserendi nunc nec tempus est nec necessitas. Pergo ad alia.

Dico ampliùs, verba Hieremiæ ut non de omni tempore, sic nec absolutè sed secundùm quid esse accipienda, idque hinc constare, quòd dentur Dii, qui non fecerunt cœlum & terram, nec tamen sine blasphemia dici posse, quòd sint exterminandi, quales sunt angeli & homines, quos ipsemet Deus Deos appellat, & medium esse inter exterminationem & cultum. Hoc sic excipit Smiglecius. *Iam cum opponit Smalcius, Deos subordinatos non esse exterminandos, quales Dii sunt in scriptura tàm homines quàm angeli: Respondendum est, sermonem esse de iis Diis, qui pro veris Diis coluntur, quales erant Dii gentium. Hi enim, cùm non fecerint cœlum & terram, cultu veri Dei non sunt digni. Cum verò homines & angeli in scriptura tam veteri quam Nova dicuntur Dii, non dicuntur Dii veri, sed solùm ob similitudinem aliquam cum vero Deo, neq; sunt Dii tales, qui pro Diis colendi proponantur, sed tantùm ad divinam similitudinem repræsentandam.* Quàm rectè objectionem meam conceperit, alii judicent: Ego responsionem Smiglecii, ut frigidam, ita prorsus ad rem ineptam esse, dico. Nec enim nunc quæritur, de qualibus Diis sit sermo apud Prophetam: sed an verba Prophetæ sint accipienda simpliciter de omnibus Diis, qui sunt extra illum creatorem cœli & terræ. Ad hoc directè quia non respondet Smiglecius, latebras quærere videtur. Interim verò id affirmat de hominibus & Angelis, quod falsum esse suprà non uno in loco demonstratum fuit, & ipsa res loquitur: Homines scilicet & angelos, qui Dii appellantur, non esse veros Deos, cùm tamen Paulus ipsemet dicat: *Sicut sunt multi Dii & Domini multi:* idq;, quod falsum est, re non minùs falsa comprobare nititur, quòd scilicet sint Dii ob similitudinem cum Deo, quasi scilicet, qui Deo similes sunt Dii, non possint esse veri Dii?

Frigida Smiglecii responsio.

Angeli & homines dii appellati, sunt veri Dii.

ri Dii, & ſint ob hoc ipſum veri, quòd ſimilitudinem cum Deo habeant, eamque talem, quæ ex analogia pendet.

Reſtat unus paragraphus, qui diligenter examinandus eſt. Probaturus Smiglecius, nullum Deum ſubordinatum vel dependentem dari, hæc verba ſcripſerat in Monſtris. *Quocirca nullus unquam in tota antiquitate pro Deo habitus eſt, qui eſſet alteri ſubordinatus & dependens, ſed omnes tales Deos coluerunt, quos ſummos & independentes in aliquo eorum genere putaverunt.* Hîc ego docueram, antiquitatis nullā eſſe habendam in religione rationem. Docueram etiam, antiquitatem, quæ ab initio mundi ad Chriſti uſque tempora duravit, ſummos Deos nō ſomniaſſe, quid verò alii, nempe qui a Deo vero defecerāt, fecerint, non eſſe Chriſtianis curandū. Non coluiſſe autem iſtos Dei cultores Deum ſubordinatum, non eſſe mirum, cùm id nemini liceat, niſi Deus id præcipiat. Antiquitatem quæ a Chriſto & Apoſtolis cœpit, docueram, ſemper coluiſſe Deum ſubordinatum: Quòd verò talem non colant ii, qui poſt tempora Apoſtolorum in vivis fuerunt, hoc dixeram Antichriſti ſpiritui acceptum referendum eſſe. Is enim defectionem (a fide) in orbem Chriſtianum introducere, & tales excitare debuit, qui negarent Ieſum Chriſtum qui in carne venit, & eum qui illos redemit &c. Smiglecius ad hæc ſic reſpondet: *Non poſſum hîc impudentiam Smalcii non accuſare, qui me in eo carpit, quòd ſcripſerim nullum in tota antiquitate pro Deo habitum eſſe, qui eſſet alteri ſubordinatus & dependens. Id ita oppugnat, ac ſi de antiquitate eorum, qui veri Dei cultores eſſent ageretur, vel a me ſcriptum eſſet. Cùm tamen id univerſè dixerim de iis omnibus, qui quoscunq; Deos ſibi finxerunt unquam. Nunquam enim tam ſtulti fuerunt, ut eos Dei nomine & honore dignarentur, quos eſſe ſummos non crederent, ita ut intulerim, Arianos, cum Deum ſubordinatum fingunt, cum omnium ſenſu & ratione pugnare.* Appello tuum, lector, judicium. Primùm quæ impudentia in eo eſt, quod mihi Smiglecius objicit? An non licet dicta adverſarii examinare, &, quis in eis ſenſus latere poſſit, inquirere? Sed hoc levius eſt. Deinde cùm id, quod de tota antiquitate dicit Smiglecius, ego de antiquitate etiam eorum, qui Deum unquam coluerunt, accipio, num & hîc impudentia aliqua eſt? Certè nulla. Parum rectè me verba ſua intellexiſſe tantùm cauſari poſſet Smiglecius. Sed nec in eo reprehenſionem meritus ſum. Nam qui dicit, *in tota antiquatate nullum unquam habitum pro Deo, qui eſſet alteri ſubordinatus*, nulla addita ratione vel limitatione, unde conſtet, eum de ſolis Ethnicis loqui, nonné cauſam præbet ſuſpicandi, ſe etiam de aliis, qui ad antiquitatem iſtam totam pertinere poſſunt, loqui? Præterea nonné hoc ipſum etiam in reſponſione mea

Indignatio Smiglecii Sana.

mea consideravi, dum dico disertè: *Reliquos verò qui hoc fecerunt, nempe Ethnicos, quid moretur populus Christianus?* Indignum scilicet, quod nobis de Ethnicis objiceretur, judicavi, & nunc indignum esse, cujus vel mentio fiat, pronuncio. Nam si ita insanierunt illi, qui Deos sibi unquam finxerunt, quòd omnes summos finxerunt, quid nos, cum illis insanire, jubet Smiglecius? Vel si ratione assequi non potuerunt Ethnici, Deum unum esse summum, alterum subordinatum, num ideo rejiciendæ sunt s. literæ N.F. quæ id, quod ratio per se capere non potuit, nobis patefecerunt? Videat igitur Smiglec:, quomodo se gerat, dum nos ab Ethnicis, qui Deum non norant, quid de Deo statuendum sit, discere, & illorum brutam rationem sectari jubet. Nihil enim est rationi magis contrarium, quàm multos Deos summos colere, quod Ethnicos fecisse asserit Smiglecius. Itaq; cum tali ratione nos pugnare, gaudemus & gratulamur nobis: Smiglecio autem in ista cum Ethnicis ratione, quæ s. literis contraria est, convenire, quàm Christiano doctore dignum, & saluti etiam æternæ utile sit, ipsimet & aliis judicandum relinquimus.

Porrò, suo more, rem non semel tantùm dictam, sed aliquoties tum in monstris, tum in hoc libello (ut ipsemet Smiglecius aliquoties etiam in hoc ipso loco fatetur) iteratam, ad nauseam usq; lectori obtrudit, quæ est, quòd vera divinitas non sit, ubi non est essentia divina, & quia nos essentiam in Christo divinam non agnoscimus, eâdem operâ etiam divinitate eum privare. De qua nolo nunc aliquid dicere, ne unâ cum Smiglecio delirare quodammodo videar. Error autem in eo est, quòd vocem Dei naturæ esse asserit, & quid sit ex mente s. literarum, verum Deum esse, non intelligit. Cùm tamen certum sit, vocem Dei non propriam esse, sed communem, ut in scholis loquuntur, quæ omnibus illis competit, quicunque divina potestate præditi sunt. Quod dum refellere conatur Smiglecius, mirum est, quàm ineptè se gerat. Ita enim nos traducit, acsi negemus, eum, qui Deus appellatur, nempe illum unum & summum, Deum esse essentiâ, quia negemus, vocem Dei significare essentiam Dei, & ea se re ita oblectat, acsi singulare aliquid dicat, cùm tamen mera sit sophisticatio. Credimus numen illud, quod Deus appellatur, essentiam habere prorsus diversam ab essentia aliorum, qui Dii appellantur & sunt, & eum essentiam esse excellentissimam, quâ nil majus, nil melius cogitari possit: Sed negamus, numen illud supremum, quod talem essentiam habet, Deum appellari in s. literis ob illam essentiam. Essentia enim Dei incommunicabilis est: At id, quod vox Deus significat, cum aliis etiam communicatum legimus.

Smiglecius eadem iterat.

Deum non ob essentiam Deum appellari.

Smiglecius nudè sententiam dicit.

Verum Deum dici, Deum illum unum κατ' ἐξοχὴν, negat Smiglecius, quia scilicet inter alios, qui sunt veri Dii, sit omnium excellentissimus, quo sensu etiam appellatur solus beatus, solus immortalitatem habens, solus sapiens: sed nullam prorsus rationem idoneam affert. Tantùm enim hoc repetit, quòd ista aliis communicari possint, at naturâ Dei nemini. Sed quis non videt, illum nimis liberaliter sumere pro concesso, quod maximè controvertitur, nempe vocem Dei naturam significare? Quod falsissimum esse jam ante sæpiùs demonstratum est.

Caput XIII.

Summâ injuriâ Ethnicis annumerari eos, qui Deum unum summum & alterum subordinatum, sub N. Fœdere colunt.

Quatenus duorũ Deorum cultus sit falsus.

Hîc ante omnia dolus Smiglecii vel fallacia detegenda est, & id dicendum, quod ad totam hanc rem bene intelligendam pertinet. Duos Deos introducere, ambiguum est, & dupliciter accipi potest. Nam & is id facere dici potest, qui duos Deos summos, & is qui unum summum, alterum illi summo subordinatum introducit. Qui priori sensu id facit, hic Ethnicis annumerari potest: A quo errore non procul abesse videntur, qui plures unâ personas in divinitate fingunt, quarum unaquæque sit Deus summus: imò, si quis rigidè cum illis agere velit, nullo modo se ab ista infamia liberare possent. Quia verò illis persuasum est, contra sacram scripturam & sanam rationem, Deum, licet trinus sit in personis, esse tamen unum essentiâ; & ita firmum manet, ipsorum etiam sententiâ, Deum unum esse, nos, isto contenti, propterea neminem Ethnicis annumeramus, sed, ut errantes graviter Christianos, quantum in nobis est, monemus, & in viam veritatis reducere conamur. Qui verò posteriori sensu duos Deos colendos esse dicit, is id dicit, quod eum & ab Ethnicis & a Iudæis discriminat. Nam qui unum verum Deum, qui talis est naturâ, colendum dicit, jam Ethnicus non est: illi enim Deum naturâ ignorant. Quia verò rursus, unâ cum illo uno vero Deo, eum etiam colendum dicit, qui naturâ Deus non est, est autem Deus Dei dono, super omnes cælos exaltatus, nempe Iesum Christum, jam hoc ipso Iudæus non est, sed verus, quoad confessionem, Christianus. Sic enim præcipiunt sacræ literæ N. Fœderis, ut honoretur Filius, cui certo tempore (nempe post ipsius in terris habitationem)

Quis sit verus professione Christianus.

nem) & certa de causa (quia scilicet eum dilexerit tunc) omne judicium dedit, qui non potest non esse Deus, & Deus subordinatus, ut honoratur Pater, qui est naturâ Deus: Eædem ostendunt, unum esse nobis Deum, Patrem, ex quo omnia & nos in illum, qui est Deus naturâ; & alterum, unum Dominum Iesum Christum, per quem omnia, & nos per illum, qui Deus est subordinatus. Et hoc abundè sufficit ad nos ab infamia, quam nobis inurere molitur Smiglecius, vindicandos. Libet tamen quædam alia ad defensionem nostri addere, & cavillationes Smiglecii, cominus cum illo certando, detegere.

Ait, *me fucum facere, dum dico, nos cùm Paulo unum Deum, qui est Pater, & unum Dominum, qui est Christus, colere, quia non id nobis objiciat, sed quòd duos diversos Deos credamus & duos diversos Dominos. Nam Christum alium Deum credimus, & Patrem alium Dominum.* At hoc est Paulum Apostolum exagitare. Is enim vel id dicit, quod nos dicentes facit Smiglecius, vel saltem ex quo illud necessariò sequitur. Nã qui nominat unum, & iterum unum, duos nominat: qui alterum appellat Patrem, alterum Iesum Christum, is duos diversos nominat: qui deniq; alterum, eum ex quo omnia, & nos in illum; alterum verò, eum per quem omnia, & nos per illum, esse dicit, is duos diversos Deos credit eo sensu, quem suprâ indicavi, alterum naturâ talem, alterum subordinatum, adeoq; etiam duos diversos Dominos.

Paulus duos diversos suo modo Deos & duos diversos Dominos docet.

Verè autem frivolum, imò parum pium est, dicere, Ethnicos etiam eo modo unum Deum talem, qualis est Saturnus, & unum talem, qualis est Iuppiter aut Mercurius, credidisse. Quid enim præter malevolentiam, id, quod in sacris literis expresse scriptum extat, comparare jubet cum putidissimis hominum figmentis? Nec minùs illud audacter & per cavillum dicitur, nullos alios Dei cultores, præter Ethnicos, plures Deos coluisse, sive ii essent summi & non subordinati, sive subordinati. Nam si per plures Deos intelligatur Pater tantùm & Christus, quorum ille Deus naturâ, hic Dei beneficio sit, Paulus tales coluit, & nos eosdẽ colere docuit. Ethnicissimus in eo erat, quòd idola pro veris Diis colerentur: At Christianismus in eo est, quod & Pater & Christus pro vero Deo habentur, ille naturâ & ex se ipso, hic gratiâ. Falsum enim est, omnem verum Deum esse summum, ut antea creberrimè fuit demonstratum.

Ineptè a Smiglecio dicta.

Sed novum quid habet Smiglecius. *Gentes, ait, non solùm tunc errasse, cùm Deos non subordinatos colerent, sed etiam cum subordinatos, idq; exemplis illorum, qui Paulum & Barnabam Act:14, & iterum Paulum Act. 28. colere volebant.* Sed quis non videt ineptias Smiglecii & fallaciam manifestam? Deos enim subordinatos colere eosq; solos, quod

gentiles illos facere voluisse asserit Smiglecius, nemo affirmat esse cultum Christianum: sed Christianus cultus est, unum naturâ Deum, & unum subordinatum unâ colere. Præterea isti Dii subordinati, ex mente Smiglecii, a Paulo excluduntur a cultu divino, dum ait: *etiamsi sint, qui dicantur Dii in cœlo & in terra, tamen nobis tantùm unus est Deum, & unus Dominus*. Cur igitur non reprehendantur, qui eos colere velint? Sed unde tandem scit Smiglecius, Paulum & Barnabam fuisse Deos subordinatos? Ita scilicet nihil non licet Smiglecio affirmare, ut nos exagitet. Quod porro de Mose & prophetis addit, ab errore scilicet gentilium non abfuturos fuisse, qui eos pro veris diis colere voluissent, id nunc dici nullo modo debuit. Præterquam enim quòd prophetæ dii disertè & absolutè non sunt appellati uspiam, extabat tunc præceptum Dei expressum, de solo Deo colendo: nunc verò sub N. Fædere præceptum est, ut Filius honoretur sicut Pater, & ita conjunctus est honor Filii cum honore Patris, ut is Patrem non honoret, qui Filium non honorat. Vnde constat, tunc demum errari circa cultum divinum, si vel plures dii summi, vel plures subordinati absque summo coluntur, vel subordinatus etiam unus qualiscunque, sine expresso Dei præcepto colatur. Hoc verò quia nos non facimus, sed unum verum Deum, & unum Deum subordinatum colimus, & ita hunc colimus, ut omnis ejus cultus in illius veri Dei cultum tendat, adeò ut unum Deum colere, suo modo, dici possimus, in eoque divinam sequimur voluntatem, non Ethnicis annumerari possumus, sed pro Christianis, quoad confessionem, aliis, Dei gratia & beneficio, longè rectiùs illustratis, haberi debemus.

Christianus cultus quis sit.

Quis cultus divinus erroneus sit.

Repetit Smiglecius, si Deus subordinatus pro vero Deo colatur, eum pro summo Deo coli. Ergo & ego repeto, id ab omni veritate esse alienissimum. Tam enim verus est Deus, quem Deus talem constituit, atque Deus ipse, licet hîc modo perfectissimo, is verò per analogiam.

Smiglecius eadem repetit.

Negat iterum, ut in Monstris, & suprà in hoc eodem libro, Deum unum ab Apostolo dici, quia summus sit; & aliud esse dicit, Deum verum unum esse, & Deum summum esse. Sed nihil proficit, nisi ostendat, tunc, cum dicitur, Deum esse unum, semper tacitè non dici, esse unum summum. Id autem ostendi nequit, cùm eadem scriptura, quæ Deum unum esse dicit, alios etiam Deos appellet & veros Deos. Datis autem Diis aliis, unus non potest dici Deus, nisi eo sensu, quòd unus est a se ipso, ideoq; summus.

Interrogat, ubi scriptura vel levissimè indicet, Christum esse alium vel diversum Deum? Sed ad hoc suprà abundè responsum, est ubi mul-

bi multò prolixius hoc urget Smiglecius, quem, non pudere istius repetitionis, valdè mirum est. Iam enim tertiùm in hoc capite dicit, se antea de iis disputasse, quæ hîc recenset. Summa est: satis est ostendisse, Christum esse diversam personam a Patre. Hoc enim obtento, jam non potest non esse alius suo modo Deus a Patre, cùm Deus ex se ipso unus tantùm sit. Alium autem esse Christum in Deitate a Patre captiosè dicitur. Nam eadem est Patris & Christi divinitas: Patris, naturâ; Christi, Dei Patris beneficio. Quemadmodum immortalitas, quam Deus aliis concessit, & concessurus est, eadem cum illa, quam ipsemet habet, suo modo, dici potest.

Dum dico distinctionem personæ & essentiæ esse controversam, ideoque nihil eâ doceri, nihil refutari posse, Smiglecius autoritate virorum doctorum & Academiarum me premit, quas ait *rem hanc subtilissimè expendisse, & apud eos minimè eam esse controversam.* Sed ista gloriatio valdè turpis est, & indigna Christiano doctore. Quasi scilicet soli Pontificii & Homousiani docti & olim fuerint & nunc sint. Cùm tamen ex ipsis adversariorum testimoniis constet, eos, qui diversum olim ab illis sentiebant, viros fuisse longè doctissimos, & sermone tam græco quàm Latino non pauca edidisse volumina. Quæ quia refutare non potuerunt Pontificii, sustulerunt, quę si extarent, procul dubio appareret, non magis firma olim etiam fuisse argumenta adversariorum, ut sunt hodie. Testantur etiam iidem adversarii, non potuisse eos, qui olim diversum sentiebant, s. literis solis convinci, sed autoritatem Ecclesiæ adhibendam fuisse. Quod non nescit Smiglecius. Vbi verò autoritas regnat, ibi veritas exulet necesse est. Hæc enim aut sola vincere debet adversarium, aut nihil. Iam si ego Smiglecium affirmantem, missam esse sacrificium pro peccatis mortuorum & vivorum, sanctos colendos, Mariæ hyperduliam deberi, Papam esse caput Ecclesiæ &c. ita repellerem, doctos viros & Academias Evangelicorum id subtilissimè expendentes, pro rebus habere anilibus & Idololatricis, quàm ægrè id ei futurum esset? Et tamen docti inter Evangelicos viri, qui hoc unico seculo elapso vixerunt, nulla re superantur ab illis, quos jactat Smiglecius: Imò eos superare multiplici artium & linguarum, ad Theologiam tractandã necessarium, scientiâ, dici potest. Quibus quia isti docti, quos Smiglecius jactat, caruêre, plærique, nihil solidum præstare in sacris literis intelligendis, & mysteriis illarum eruendis, potuerunt: Imò nec in Philosophia quicquam laudabile præstitêre. Talibus enim nituntur ipsorum dogmata principiis, de quibus veri Philosophi ne somniãrunt unquam. Qua de re aliàs plura dici possunt. De nostrarum Ec-

Frustra ad homines in religione provocatur.

Doctorum virorũ elapsi seculi præstantia.

clesiarum viris doctis nihil nunc dico. Nec enim nostrum est, nostras laudes canere. Simus impares aliis doctrina & subtilitate, dummodo simus omnibus pares & superiores cognitione veritatis salutaris: subtilitates subtilissimas iis donamus, qui extra verbū Dei sapere, si errores suos tueri velint, coguntur. Superavit proculdubio Smiglecium & ejus doctos, Aristoteles & alii: nec tamen ab eo doceri nunc vellet cum sua Ecclesia. Sed pœnitet me verborum, quæ in chartam fudi hac de re. Iactet suorum eruditionem Smiglecius: interim tamen probent isti docti, quod affirmant, & probent non subtilissimè. Non omnes enim tenentur intelligere & credere subtilissima, sed ita, ut & rationi sint conformia & s. literis: aut, si non nisi subtilissimè probari possint ea, de quibus sermo est, agnoscat, ista non esse ex numero eorum, quæ ad salutem sunt necessaria, ideoq; neminem etiam, quod facit Smiglecius, contemnant & condemnent, qui ista subtilissimè dicta vel ficta potiùs, non intelligit vel non recipit.

Veritas eruditioni præstat.

Necessaria ad salutem non debet esse subtilissima.

Sophismata mea duo appellat, quæ immota, ut ex responsionibus Smiglecii apparet, firmamenta sunt, cùm dico. 1. Vnam numero essentiam duabus personis non posse competere, &, 2. ei, qui idem essentiâ est cum Patre, a Patre nihil dari posse, & ea apud rudes fidem fortasse aliquam inventura ait, sed apud doctos nullam. Hæc gloriatio quàm sit sordida & vana, nolo iterum dicere. Valent ista apud nos omnes, qui, ut non sumus doctissimi, rudes tamen a Smiglecio dici non meremur. Iam enim cognovit universus mundus Christianus, quàm dura sit Iesuitis nobiscum tum ore tum calamo concertatio. Sed rem videamus. Exemplis, ait, ostendi posse contrarium ejus, quod a me objicitur. Quænam illa sunt? Anima rationalis. Hanc enim numero unam informare diversa numero membra. Sed nec probatur nec probabitur unquam, eandem numero animam esse totam in singulis membris, ut dicitur, eandem numero essentiam divinam totam, quæ est in Patre, esse in Filio. Alioquin, membro uno resecto, tota anima resecaretur, quod falsum est. Audiamus alia. *Theologi idem ostendunt, cùm docent, eundem numero Deum esse in cœlo & in terra, idem numero corpus, Dei virtute posse esse simul in duobus numero locis, idem numero accidens posse esse simul in distinctis numero subjectis.* Sed ista omnia sunt falsa. Nam Deus in cœlis esse dicitur in s. scriptura, quoad essentiam: in terrâ gratiâ & potentiâ suâ. Idem verò corpus numero in duobus numero locis simul esse posse, & idem accidens numero in distinctis numero subjectis, dicere, non est probare, unam numero essentiam duabus personis competere: sed est, iterum asserere, unam numero essentiam duabus personis competere, hoc est crassè nugari,

Duo veritatis firmamenta defenduntur.

Anima nō est tota in omnibus membris.

Absurdè a Smiglecio dicta.

nugari. Iam dum aliam esse dicit unitatem numericam naturæ, aliam personæ, quid iterum aliud facit, quàm quòd rem a me nunc impugnatam pertinaciter tantùm asserit? Nunc enim ipsemet Smiglecius id refutare conatur, quod a me objici dicit. Ego autem obiicio, distinctionem personæ & naturæ in Deo non esse admittendam. Quomodo igitur responderi mihi potest, aliam esse unitatem numericam naturæ, aliam personæ, nisi per summam nugationem?

Sed, ut ad alterum accedamus, quomodo, a Patre dari omnia Christo potuisse, probat, si quidem Christus idem est essentiâ cum Patre? Hîc se torquet mirum in modum, nec tamen evadet. Primùm ait, *datam esse Filio per generationem a Patre, ut idem esset essentiâ cum Patre.* At hæc & nugæ sunt. nusquam enim generationis ex Patre, qualem credit Smiglecius, in sacris literis ulla fit mentio: et doctrinam Smiglecii destruunt. Nam si id quod est, habet ex Patre, Filius, non habebit eandem essentiam, quam Pater. Deinde ait, *dari & donari multa potuisse Filio, quatenus in alia quoque natura subsistit.* Sed ictum declinat, & terminos turpiter mutat. Docendum enim erat, quomodo a Patre dari potuerint multa Filio, si Filius idem est essentiâ quod Pater. Jam enim essentia Filii omnia Filio dare potuisset, imò non potuisset non dare. Vides Smigleci, te, quantũvis tibi, nescio quid non, arroges, tamen non invenire potuisse, quomodo nobis, quos tu rudes appellas, ad obiectiones respondeas? Et ut scias, nos quid controvertatur, considerare & jure vobis ignorantiam obiicere, ascribo hoc iterum, & tibi omnibusq; Pontificiis objicio, nihil curans tuum istud fastuosum scomma, Sus minervam: Si Christus idem est essentiâ Deus cum Patre, nihil Christo, respectu etiam humanæ naturæ, a Patre dari opus fuit, vel dari potuit. Iam enim omnia essentia illa Christi vel natura divina communicasset, & non potuisset non communicare cum natura humana. Quia verò a Patre omnia sunt cũ Filio communicata, hinc sequitur invictè, Christum essentiâ divinâ prorsus caruisse. Ad hoc nihil directè vel rectè unquam respondere poteritis omnes Pontificii, nisi Pontificii esse desinatis, & ex solis sacris literis sapere velitis.

Christo a Patre nihil dari potuisse, si Christus sit idem Deus qui pater.

Argumentum invictum iteratur.

Sed iterum, nos Ethnicis deteriores esse, dicere non erubescit Smiglecius, & planè idem canit, quod antea in monstris dixerat, & a me refutatum est. Qui agendi modus omnibus piis oculos tandem aperiet, ut agnoscant, quid Smiglecius quærat, nempe non ut veritatem nos doceat, sed exosos reddat. Cui enim homo impudens persuadebit tam protervam nostri criminationem? Deum unum colimus & Iesum Christum, & tamen Ethnicis sumus deteriores? Ea scilicet est

Audacia summa Smiglecii.

licet est

licet est natura eorum, qui, cum vincere alio modo non possunt, mẽtiendo & calumniando eos opprimere volunt. Silentio ista rectiùs refutarentur quàm responsione. nam & Christus talia, silendo refutavit: Sed quia nunc ita sunt tempora, ut penes Iesuitas sit dicendi libido & potestas, patienter ista ferenda sunt, donec Deus istud os Smiglecii compescat. Profer igitur denuo Smigleci tuas istius criminis probationes. *Gentiles*, ait, *quos pro veris Deis habebant summos esse credebant. Ariani verò pro vero Deo eum habent, quem summum esse negant.* Num ergò deteriores sumus gentilibus? Quæ ratio? *Nam apud omnes*, ait, *ea erat Dei notio, ut primum & summum rerum principium esse credatur.* Sed dico, gentiles ea in re erraſſe, & omnes qui ita senserunt: nos verò, literas S. sequentes, novimus, eam esse notionem vocis Dei, ut eum significet, qui divina potestate est præditus, sive eam a se ipso, sive ab alio habeat; &, hoc posteriori modo, Christo eam competere, abundè docuimus antea. Quod dum Smiglecius per id evertere conatur, quòd Christus dicatur Patri æqualis, ac super omnia Deus, nimis frigidè rem tractat. Potest enim esse æqualis Deo Christus, sed non absolutè: Potest etiam esse super omnia Deus, Christus, sed a Patre constitutus, & super omnia non absolutè. Nec enim supra ipsum Deum Christus est, ut supra Christum Deus est. Sed quid prodest ita tempus terere repetendo ea, quæ antea prolixè sunt disputata, ut hîc jam quintùm fatetur Smiglecius?

Excusat autem quod objeceram, si summos Deos constituere contradictionem implicat, ut ait ipse Smiglecius, non debere id pro ratione consentaneo in Ethnicis haberi, & ait, *id non absolutè sed respectu nostri à se dictum esse.* Sed quænám ratio in re rationi contraria observari potest? & quomodo is contradictionem etiam non approbat, qui eum, qui istam committit, approbat, & sapienter vel sapientiùs alio, in ea illum se gerere affirmat? Ratio verò, quare sapientiùs agant gentiles, quàm nos, jam paulò ante excussa est. Itaque actum nolo agere. Iam enim sextùm Smiglecius fatetur, idem a se ante abundè esse declaratum.

Smiglecius sexies idem in codẽ cap: repetit.

Calumnia Smiglecii enormis.

Sed tandem virus suum iterum evomit Smiglecius, dum nos falsum Deum colere affirmat, quia alium, præter unum illum verum, qui Pater est, colimus. Sed hoc est protervè quod libet dicere. Rationes enim, quibus tanta nititur protervia, nullæ prorsus sunt. Iam enim millies ostensum est, etiamsi dicatur, quòd tantum, unus sit verus Deus, id non eo sensu dici, quod unus sit tantùm qui sit verus Deus, sed quòd unus tantùm sit, qui ex seipso & naturâ talis sit. Sicut etiam

etiam unus tantùm dicitur eſſe beatus, immortalis & ſapiens, de quo paulò antè diximus. Convitia igitur iſta, *quòd ſimus Ethnicis pejores, imò athei*, hominum piorum juſto & Chriſti ipſius tremendo judicio committimus. Quàm verè autem iſta in Smiglecium & aſſeclas illius retorqueri poſſint, nemo non intelligit. Eum enim, qui ore Deum Patrem & Filium confitetur, & externis factis præceptis illius obedire conatur, nemo, niſi mentis & rationis inops, atheum eſſe pronunciare poteſt: At eum, qui, quantumvis Deum & Chriſtum ore profiteatur, interim tamen multa facit, quæ Chriſti religioni contraria ſunt, Chriſti religio Deum abnegare graviter pronunciat.

Convitia Smiglecii turpia.

Quis verè Deum abneget.

Sed ſcripturam affert Smiglecius: *Qui negat Filium, nec Patrem* Concedo. Proba verò, Smigleci, nos Filium negare? Hoc quia præſtare non poteris unquam, agnoſce tuam in pronunciando proterviam, & quantâ nos injuriâ afficias, expende. Nam quod addis, nos ideò negare Filium, *quia negemus, eum eſſe verum Deum*, id omnino falſum eſt, & gravis calumnia. Corde enim credimus, & ore cum Ioanne, Thoma, & Paulo Apoſtolis confitemur, Ieſum Nazarenum eſſe Deum, eſſe Dominum & Deum noſtrum, eſſe Deum ſuper omnia benedictum in ſecula, qui certè verus Deus ut ſit neceſſe eſt. Si verò per voces *veri Dei* Smiglecius eum intelligit, qui naturâ ſit Deus, ipſemet reprehenſionem iterum jure incurrit, qui non intelligit, quid ſit, ex ſenſu ſ. literarum, verum Deum eſſe, de quo antea dictum eſt abundè. Præterea aliud eſt, patrem non habere, & atheum eſſe. Patrem enim non habere, eſt, non habere ſpem gratiæ divinæ. hoc enim pro incommodo ejus, quòd quis filium negat, Ioannes recenſet: ita Judæi omnes patrem non habent, nec tamen athei ſunt, imò atheis opponuntur ab Apoſtolo. At atheum eſſe, eſt, vel prorſus Deum neſcire, vel nihil eundem curare. Priori modo athei erant, teſte Paulo gentes extraneæ, antequam ad Chriſtum acceſſiſſent; & hodie ſunt ii, qui, in remotioribus mundi partibus & inſulis degentes, nullam Dei notitiam habere dicuntur; poſteriori modo athei ſunt, qui, valedicto pietati, ſemetipſos omnis generis flagitiis devoverunt. Quia verò nec illud nec hoc de nobis dici poteſt, ſine ſumma calumnia, videat benevolus lector, qua fronte nos atheos proclamare auſus ſit Smiglecius.

Chriſtus eſt verus Deus. Ion: 1. 1. & 20, 28. Rom: 9. 5.

Patrem non habere, & atheum eſſe, differunt.

Sub finem hujus capitis iterum probare nititur, Ethnicorum errorem in eo fuiſſe, quòd non unum tantùm Deum, colerent, contra nos, qui dicimus, errorem illorum in eo præcipuè fuiſſe, quòd curam humanarum rerum in plures diſtribuerent, qui nequaquam ab uno ſolo Deo penderent, à quo videlicet curam iſtam demandatam habuiſſent, cuique eſſent ſubordinati. Probat autem eodem modo, quo

Repetit dicta Smiglecius.

quo antea sœpissimè usus, & qui a nobis falsus esse pariter ostensus fuit, nempe *quòd scriptura, unum Deum esse, urgeat, & quòd non possit esse alius ab illo uno Deo, verus Deus*. Iam verò quo sensu scriptura Deum unum esse urgeat, & quòd alius ab illo uno Deo, nempe Iesus Christus, sit verus Deus noster, ita a nobis demonstratum est, ut nec Smiglecius nec quivis alius unquam id refutaturus sit, quippe quod nitatur expressissimis & multiplicibus s. literarum testimoniis. Quare dum Smiglecius nudè tantùm iterum asserit, Gentiles in eo non errasse, imò sapienter fecisse, quòd eos, quos pro Diis veris habebant, pro summis etiam haberent, si quidem in eo est contradictio manifesta, ego denuo dico, me istam sapientiam gentilibus non invidere. Nihil enim stultius est, quàm plures summos Deos constituere. Dum verò addit Smiglecius, *Ethnicorum in hoc opinionem, esse omnium rectè sentientium opinionem*, & falsum dicit, & sibi ipsi etiam contradicit. Falsum dicit. Nam scriptura sacra Deos veros nominat, qui tamen sūmi esse non possunt, cùm tantùm sit unus Deus sūmus. Sibi etiam contradicit. Nam suprà, cùm de tota antiquitate, quæ Deum subordinatū non coluerit, sermo esset, negavit, hoc universè a se dictū esse de omnibus, nempe etiam de Dei cultoribus, sed tantùm universè de illis omnibus, qui sibi Deos finxerunt: nunc verò ait, hanc Ethnicorum opinionem, esse omnium rectè sentientium opinionem.

Caput XIV.

Sanctorum cultum defendi non posse, & falsò nobis sententiam de interitu animarum affingi, ostenditur.

IN primis ait Smiglecius, me calumniari Pontificios, quòd sanctos divino cultu colant. Hoc quam verum sit, ex eo constare potest, quòd ipsemet Smiglecius contendit in hoc capite, sanctis deberi cultum, divino minorem, civili majorem. Is verò honor, quē civili majorem esse dicit, non potest non esse divinus, eo sensu, quo ego vocabulum *Divino* accipio, cum dico, Pontificios sanctis cultum divinum tribuere. Volo enim dicere, Pontificios talem cultum sanctis tribuere, qui sit ejus generis, cujus is est, qui Deo tribuitur. Quod ita esse res ipsa loquitur. Nam sanctos invocant. Qui honor verè divinus est. Deinde cùm ego dico, necesse esse, ut cultus, quem Pontificii sanctis tribuunt, sit divinus, cùm non sit civilis vel humanus, mirè se torquet iterum Smiglecius, ut solent Pontificii omnes, cùm super ea re urgentur. Quod divini judicii argumentum est. Pudet scilicet eos id fateri vel defendere, quod palàm faciunt, quia animus illorum ab ea re abhorreat, & nisi nimia esset Papæ Romani & affe-

Pontificios divinum sanctis cultū tribuere.

Smiglecii & Pontificiorum circa cultū sanctorum tergiversatio.

clarum ejus potentia & crudelitas adversus eos, qui diversum sentiunt, adeoq; spes omnis promotionis cujusdam & adeptionis bonorũ & cõmodorum humanorum, quæ homines plęriq; magis quàm salutem æternam appetunt, illis præcisa, perplurimos repertum iri non tantùm verisimile, sed etiam verissimum est, qui istam idololatricam sententiam sint prorsus execraturi. Vnde, sic etiam stantibus rebus, non pauci reperiuntur inter ipsos Pontificios saniores, qui liberi ab isto sanctorum cultu prorsus esse volunt, &, permissu ipsorum etiam Iesuitarum, sunt re ipsa. Sed Smiglecium teneamus, frigidum Idololatriæ Pontificiæ defensorem. Is cultum quidem divinum esse negat, quem sanctis tribuit, sed non candidè. Sic enim ait: *Si propriè loqui velimus, & eo sensu, quo his vocabulis ecclesia in hac materia utitur.* Agnoscit igitur esse divinum, licet impropriè. Ineptissimè autem ecclesiæ nempe Pontificiæ, mentionem facit, quasi scilicet curandum sit, quo sensu Ecclesia corruptissima, & nominetenus tantùm Christiana, vocabulis utatur, & non spectandum potius, quomodo illis re ipsa utendum sit. Hæc verò tantùm annoto, ut lector & Smiglecius videat, quàm crebram, ipsum jure reprehendendi, occasionem sponte mea præterierim. Porrò, cùm cultum, qui sanctis debetur, humano majorem, divino minorem esse asserit, duo ab illo insidiosè fieri affirmo. Nam & tacitè sumit, sanctos nunc re ipsa existere, adeoque in cœlo esse, quod tamen falsissimum est, & a nobis præcisè negatur: & cultum sanctorum verè divinum, hoc est, ejus generis esse, cujus is, qui Deo debetur, hoc ipso ponitur. Nec enim negat Smiglecius, sanctos invocari posse, invocatio autem omnis verè divinus cultus est. Nam nec sine adoratione, nec sine fide fieri potest, teste Paulo, qui ait: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderũt?* Vnde etiam fidẽ in omnes sanctos alibi concedit Smiglecius. Qui verò aliquem invocat, quomodo non divinum honorem ei tribuit? & quomodo non est idolatra? præsertim cùm nulla ea de re extet expressa Dei voluntas, nec constet, eum vel me juvare, vel denique exaudire posse. Quorum nullum Smiglecius de sanctis probare potest. Vel quomodo is potest alium reprehendere, qui Iesum Christum divino, hoc est, ejus generis, qui Deo debetur, honore colit, de cujus cultu expressa extat Dei voluntas; & de quo constat, eum summa ad nos juvandum potestate præditũ esse, & omnes nostras necessitates exploratas habere?

Smiglecii circa cultum sanctorum tricæ.

Rom. 10. 14.

Sanctorum cultus cur sit illicitus.

Argumentum porrò meum prolixè & Syllogisticè affert, quo probo, quis sit Idolatra: sed non sine dolo. Nam cùm ego dico, si quis rei, quæ Deus non est, hoc est, quæ potestatem divinam non habeat, & de qua adoranda aut invocãda præceptum vel exemplum nullum

extet, divinum honorem, licet non summum, tribuat, omittit Smiglecius ista verba: hoc est, quæ potestatem divinam non habeat. Quibus positis, nunquam se ab idololatria liberum faciet Smiglecius. Nulla enim res prorsus est, quæ divino honore coli mereatur, quæ non habeat divinam potestatem. Quanquam in argumenti etiam a se formati solutione frigidè nimis procedit. Negat iterum, se sanctos divino cultu colere: & tamen dicit, se sanctis cultum, qui eis debetur propter sanctitatem, reddere. Dicturit scilicet, quod dicere non audet, ut antea docui. Cur enim non expressit istum cultum, quem sanctis competere ait?

At addit, *Christus, jubet, ut, quæ Cæsaris sunt, Cæsari, quæ Dei, Deo reddamus: & Paulus monet, ut omnibus debita reddamus, cui honorem, honorem.* Hoc verò quid ad rem? Nam sancti nec Cæsar sunt nec Deus, teste ipso Smiglecio; et sanctos ad Deum, qui Cæsari opponitur, referre, quis permisit Smiglecio? Paulum de honore tali, qui magistratui civili debetur, & quem magistratui deberi sciebant illi, ad quos scribebat, loqui, per se manifestum est: tali verò honore non vult coli Smiglecius sanctos. Vnde constat, neque ad hunc a Paulo, nec ad illum a Christo præscriptum honorem sanctos pertinere.

Inepta dicit Smiglecius.

Sed iterum ait timidè Smiglecius: *sanctos mereri honorem plusquam civilem, nemo nisi insanus negare potest.* Imò nemo nisi superstitiosus & idolatra honorem eis talem, qualem tribuit Smiglecius, tribuere potest, quem astutè ille plusquam civilem appellat: interim preces ad eos fundi, & beneficia ab illis sperari posse credit, qui non potest non esse divinus.

Inconvenientia objicit Smiglecius.

Iam dum pergit, & cultum, qui alicui tribuitur ob sanctitatem, non facere idolatras, probat eo, quòd & Moses locum, in quo stabat, & Iudæi arcam religiosè venerati sint, & adoraverint, nec tamen idolatræ fuerint, non advertit, se valdè inconvenientia dicere. Nec enim id, quod de Mose & Iudæis legitur, cultus divinus, qualis est is, qui sanctis tribuitur a pontificiis, censeri potest, ut ipsemet Smiglecius paulò infrà fatetur, dum eam simplicem venerationem appellat. Et præterea divina voluntas ad id efficiendum accessit. Cujus tanta vis est, ut, etiamsi non constet, quare aliquid faciendum sit, facere illud teneantur homines, præsertim sub V. Fædere, in quo Deus, pro libitu suo, multa hominibus præcipiebat, quorum rationem nullam ipsi reddere poterant. Nec nos dicimus, cultum esse idolatricum, si res, aliquo honore afficiatur: sed dicimus, tunc eum committi, cùm res quæ Deus non est, hoc est, quæ potestatem divinam non habet, & de qua adoranda vel honore afficienda nullum extat præceptum

ceptum aut exemplum, divino honore colatur. Nam si constet, eam habere potestatem divinam, jam jure possumus; si verò præceptum etiam de ea adoranda extet, jam tenemur ei honorem divinum.

Quæ de veneratione nominis Iesu, & sanctorũ quatuor Evangeliorũ atq; adeo scripturarum omnium hîc inseruit, ea, ut ferri possunt per se, sic quia per ejusmodi venerationẽ via ad superstitionem sternitur, non valdè urgenda sunt, nec ita populo Christiano proponenda, tanquam articuli Christianæ fidei.

Veneratio nominis Iesu & Evangeliorũ quatenus admittenda.

Docet etiam, quid sit cultus superstitiosus & idololatricus, & superstitiosum quidem appellat, cùm id, quod sanctum nõ est, pro sancto colitur; idololatricum verò, cùm falsus Deus colitur. Sed frustrà. Nunc enim non de superstitione sermo erat institutus, sed de idololatria. Interrogo autem Smiglecium, quomodo is appellandus sit, qui eis honorem ejus generis, cujus is est, qui Deo debetur, hoc est, invocationem tribuit, de quibus non constat, an nunc re ipsa extent, nedum ut nos vel audire possint vel juvare: vel qui, imagines mortuas adorandas & cultu religioso afficiendas esse contendit? Ego quidem, teste s. Scriptura, eum & superstitiosum & idololatram esse affirmo; nec ipse Smiglecius diffitebitur, quamdiu contrarium ejus, quod de sanctis dico, de sanctis non probabit, quod nunquam faciet.

Discursus Smiglecii ineptus.

Porrò examinat aliquod meum dictum: ad verum religionis cultum, mandatum Dei singulare requiri vel exemplum; & insultat mihi hac ratione: *Vnde obsecro hoc commentum hausit? num ex scriptura, num ex ratione?* Sed paulò ante, dolo mecum agere Smiglecium, docui. Ego enim, dum explico, quid sit idololatria, dico, eam tunc committi, quando is divino honore colitur, qui neque divinam potestatem habet, nec de eo adorando extat præceptũ vel exemplum. Novimus Dei beneficio, cultum divinum alicui deberi, etiamsi nec pręceptum nec exemplum extet; imò id alibi disertè a nostris scriptum est, invocationem & adorationem esse ex genere earum rerum, quæ non a præcepto pendent aut exemplo: sed cultum deberi alicui rei, de qua colenda nec præceptum aut exemplum extet, & quæ divinam potestatem non habeat, hoc falsum esse, constanter asserimus. Itaque non est, quod fucum faciat lectori Smiglecius, dum illud prius docet verbosè: Alterum hoc potiùs de sanctis probet, & res confecta erit.

Quando idololatria comittatur.

Quanquam valdè ridiculus est Smiglecius, dum nostro nomine objectionem format ex loco Col: 2. 23. de cultu voluntario ab Apostolo repudiato. Tales enim prolepses tunc demum facere licet, cùm constat, adversarium ita objicere solere, etiamsi reipsa tunc non objiciat

Smiglecius inepta affingit nobis.

Quando prolepses facere liceat.

jiciat: At tali nos objectione uti, nunquam, ut puto, vel audivit vel legit Smiglecius? Vnde iterum, quomodo se gerat, judicet lector.

Iam verò Smiglecii artem iterum audiamus. Dicit libere sibi refellere exempla a me posita idolatrici cultus, de vitulo quem adorabant Iudæi in deserto, de cultu, quem poscebat a Christo Satanas, & quem Ioannes angelo tribuere volebat. Hoc autem facturus, docet, duo priora fuisse vera exempla idololatriæ, tertium verò excusat. Quomodo igitur exempla a me posita refellere dici potest? Num concedere & refellere idem sunt? Sic interdum dormitat acutus Smiglecius. Iam quæ de pugna Ioannis & angeli scribit, ea prorsus sunt anilia. Vnde enim constat Smiglecio de ista humilitate angeli? Tacitè verò sumit, Angelo jure tribui potuisse istam adorationem: non tamen permissam ab eo fuisse, quod nunc sub N. Fædere falsissimum censendum est. Ab eo enim tempore, quo Christus caput, ut nostri omnium, sic etiam omnis potestatis & dominationis cælestis, factus est, cessasse illud, quod olim, cùm Christus nondum ad dexteram Dei sederet, angelis a cultoribus Dei tribuebatur, plusquam verisimile est. Ioannem verò semel & iterum id facere voluisse, quod non decebat, quia sacræ literæ disertè testantur, credendum potiùs est, quàm explicationes tam frivolæ fingendæ. Nec absurdum censendum est, Ioannem hoc ab angelo quasi didicisse post datum ex cælo spiritum sanctum. Nam & Apostolus Petrus post effusionem spiritus sancti ab angelo procul dubio edoctus fuit, ne aliquid immundum haberet ex iis, quæ lex immunda pronunciabat.

Smiglecius seipsum refutat.

Cur hodie Angelis cultus divinus non competat.

Apostoli post effusionem Spiritus sancti aliquid didicerunt.

Dixeram, me mirari, cur Smiglecius de sanctis loquens, Mariæ virginis mentionem non fecerit, idque eo fine dixeram, ut hominem in eas angustias conjicerem, ex quibus se non facile extricaturus esset. Nam etiamsi de sanctis neget, se cultum eis divinū tribuere, negare tamen illud de virgine Maria non poterit. Nam eum cultum illi deberi credit, qui Christi humanitati. Cultus verò, qui Christi humanitati debetur, quæro qualis sit? Si neget esse divinum, blasphemus erit. Nam ista Christi humanitas in personam Dei coaluit, & cum ea unita est hypostatica unione. Si affirmet, quomodo non divinus honor tribuitur ab illo Mariæ Virgini, & ita quomodo non est idololatra cum suis, Smiglecius? Adde quòd Iesuitæ universum Psalmorum Davidis librum ad Mariam converti posse, dicere non erubescant. Quis verò nescit, tunc Deum divino honore coli, cùm Psalmi isti in gloriam ejus canuntur aut dicuntur? Iam cùm non haberet Smiglecius, quod rectè responderet, ait, *Cùm in communi de sanctorum cultu disseruerim, quid oportuit singularem Matris Dei mentionem facere, nisi forte ut*

Pontificios divinum cultum Mariæ tribuere.

te ut nova præberetur occasio Arianis impurissimâ & spurcissimâ eorum linguâ dignitatem Matris ipsius Dei contaminandi? &, frena laxans linguæ suæ, religiosæ scilicet, hoc insuper addit: *Hoc enim eorum est ingenium, ut, cum sanctos nominari audiunt, linguas suas acuant, ut serpentes, & quos Deus in cœlo honorat, eos isti omni ignominiâ afficiendos putant*, ad marginem etiam asscripsit: *odium Arianorum in Mariam*. Ad quæ respondeo: Cur oportuerit Smiglecium, etiamsi de sanctis in communi dissereret, speciatim Mariæ virginis mentionem facere, jam exposui. Quia scilicet alium cultum ei tribuant, quàm sanctis, qui nõ potest non esse divinus, cùm par sit ei honori, qui debetur Christi humanitati, ut ipsi loquuntur. Ex quo consequitur eos, esse idololatras. Frivola igitur & verè idololatrico homine digna est ista, non dicam conjectura, sed calumnia, quam tot verbis in chartam effudit. Vnde enim novit Iesuita Smiglecius, nos dignitatem Mariæ contaminare, idq; impurissimâ & spurcissimâ linguâ? Quæ verba quid ei extorserit, judicet lector pius? Mariam virginem, matrem Domini nostri Iesu Christi esse credimus: Beatam illam ob id etiam esse statuimus, quòd talem & tantum Dei filium, qui Dominus & Deus noster est, peperit: virtutes ipsius nobis & omnibus fidelibus imitandas proponimus: Beatam etiam esse in spe & futuram re ipsa in Christi adventu, persuasum habemus. Num hoc est eam contaminare? Iam si dicat Smiglecius, plus ei tribuendum esse, id primùm negatur, nec a Smiglecio probabitur unquam. Deinde etiamsi plus ei tribuendum esset, non tamen id est contaminare aliquem linguâ impurissimâ & spurcissimâ, ut de nobis asserit Smiglecius. Gravem istam, & verè Iesuita dignam, calumniam, quòd dum sanctos nominari audimus, linguas nostras acuamus, ut serpentes; & quòd eos omni ignominiâ afficiendos putemus, judicabit Deus, & lector etiam benevolus. Interim hoc dico: Quoties sanctorum verorum mentio fit, admiramur illos, & eorum rectè facta, non secus atque ipsius Christi vitam, imitanda nobis proponimus; & aliud nihil perpetuò cogitamus, quàm ut unâ cum illis olim æternùm vivamus. Non in sanctos, Smigleci, qui verè tales fuerunt, linguas, ut serpentes acuimus, nec eos ullâ unquam ignominiâ afficiendos putamus: sed in vestras, quas de sanctis extra & contra verbum Dei concepistis idololatricas opiniones, & calamũ stringimus, &, cum decenti modestia istas refutantes, extirpatas cupimus. Quales sunt, dum ais: Deum sanctos in cælis honorare. Hoc enim nec sacræ literæ testantur, nec ulla justa ratione probari potest. Disertè enim scriptum est: *Sicut in Adamo omnes moriuntur: ita in Christo omnes*

Sententia de virgine Maria.

Gravis Smiglecii calumnia.

De sanctis sententia.

Erronea Smiglecii de sanctis sententia.

1. Cor. 15. 22, 23. *omnes vivificabuntur. Unusquisque in suo ordine: Primitiæ Christus: deinde ii, qui sunt Christi, in adventu ejus.* Si in adventu Christi demum omnes vivificabuntur, qui Christi sunt, quomodo, nunc vivificati esse, dici possunt? Si vivificati nondum sunt, quomodo Deus eos honorare potest? Quæ verò de Maria virgine disserit ampliùs Smiglecius, *quòd post Deum nihil sit majus matre illius, & quòd nulla dignitas major cogitari possit, quàm eum genuisse hominem, quem Pater ab æterno genuit Deum*, illa speciosè quidem dicuntur: sed quia, Christum Deum illum unum & ex Patre ab æterno genitum esse, hactenus a nemine probari potest, nonné fundamento falso nititur cultus Mariæ virginis? Et certè dolendum est, tales voces inter Christianos audiri, quæ jure omnibus infidelibus Iudæis & Turcis ridendum propinant sanctissimam Christi religionem, siquidem persuasum habet, illam talia dogmata continere. Mater est, non Dei, nempe illius altissimi, sed filii Dei altissimi, Maria virgo; & eum, quem ante mundi conditionem Deus prænoverat, & variis deinde modis adumbratũ promiserat, ipsa tandem sub Cæsare Augusto ante annos 1615. peperit. Hanc dignitatem, licet sit insignis, non esse tamen summam post Deum, parumné hinc constat, quòd Christus, cùm ei nuntiaretur, adesse matrem & fratres, qui vellent eum alloqui, respondit: *Quæ est mater mea & qui sunt fratres mei? & extensa manu in discipulos suos dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quicunq; enim fecerit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis, ipse meus frater, & soror, & mater est*: & iterum, cùm mulier ei quædam acclamaret ex turba: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti*, dixit illi. *Quin imò beati, qui audiunt sermonem Dei & custodiunt illum?* Et certè, si fieri potuisset, ut Maria virgo in Christum non credidisset, vel ipsum Smiglecium confessurum puto, ad salutem æternam profuturum illi non fuisse, quòd Christum pepererat. Cùm sola fides in Christum illud sit, per quod sub N. Fœdere justificantur omnes. Adde quòd Apostoli fundamentum fuere Ecclesiæ Iesu Christi, quod de virginæ Maria nec dicitur nec dici potest. Deniq; nonné caput Ecclesiæ Petrum fuisse credit Smiglecius? Si Ecclesiæ, ergo etiam virginis Mariæ. Quomodo igitur nulla dignitas major eâ, quâ Maria virgo fuit ornata, cogitari potest?

Sententia Smiglecii de Maria erronea & perniciosa.

Præstantia virginis Mariç magna, sed non summa post Deum.

Matth: 12. 47.

Luc: 11. 27.

Maria virgo ob fidẽ maximè Deo accepta fuit.

Apostoli virgine Maria præstantiores.

Pergit autem Idololatriæ ineptè admodum patrocinari, dum ait, *ad id faciendum non præcepto aliquo singulari, sed sola fide Catholica opus esse, quâ credit, eam esse Dei matrem.* Imperiosa sanè oratio. Cui similis est, quæ in Postilla, quam vocant, Scargæ Iesuitæ, in enarratione de ascensione mariæ habetur: Sed tamen vi contra verbum Dei & conscien-

Pontificiorum in defendendo cultu Mariæ ignorantia.

conſcientiam nemini iſta obtrudent Ieſuitæ. Ergo fides Pontificia, quâ nihil in religione corruptius, norma eſſe debet cultus divini? Apage iſtam audaciam. Eſto, non eſſe opus ſingulari præcepto: ſaltem opus eſſe ſcientiâ, quòd nunc vivat Maria virgo, & in cœlis ſit, ſi ei honor, iſque talis, qualis Chriſti humanitati debetur, tribuendus eſt, & ad eam dirigi poſſint omnes pſalmi, mecum confitebitur Smiglecius. At hoc nec probavit unquam, nec probabit; nec probari poteſt. Vnde Scarga in loco nominato ſine fronte affirmat, non eſſe neceſſe, ut mater Dei literas habeat, per quas ipſi ad cœlum aditus pateat, in jocum ſcilicet rem tam ſeriam convertens, & per vim, quod ratione effici nequit, effectum volens. Quam licentiam, ut jam, cum ſumma Pontificiorum ignominia, compeſcuit Chriſtus Ieſus, dum multas hominum myriades excitavit, qui iſtas affanias excelſo animo ſpernant: ſic idem facere non ceſſabit, donec tandem omnes pudefiant, qui, extra verbum Dei, colunt honore ejus generis, cujus is eſt, quo Deus colitur, hoc eſt, qui adorant & invocant, alium quempiam præter Deum unum & Ieſum Filium ejus, & ſuperſtitioſiſſimi idolatræ eſſe ab omnibus agnoſcantur. Excuſet igitur, quantum velit Smiglecius Bellarminum & alios Ieſuitas, quorum ille, loco Chriſti vel Agni, ut Apoſtoli loquuntur, virginem Mariam unâ cum Deo collocat, & laudem illi aſſcribit, hi verò, uni ſecũdam Deo, Mariam pronunciare non dubitant, ſi conſtet, virginem Mariam nunc non vivere, nedum in cœlis eſſe & noſtras preces exaudire, &, quod petimus, præſtare poſſe, ſimul etiam conſtabit, in ſummo errore & turpi Idololatria verſari Pontificios. Convitietur etiam, quantum velit, nos, quòd, ſi eam dignitatem, quam ſcilicet Ieſuitæ virgini Mariæ tribuunt, in ea non agnoſcamus, infideles ſimus, niſi probet, virginem Mariam nunc ita vivere, ut noſtras preces audire poſſit, ipſemet, ut puto, agnoſcet, non nos infideles eſſe, qui iſtam dignitatem fictitiam non agnoſcamus, ſed ipſum Smiglecium credulum & ſeductum eſſe, qui iſta credat. Deſcendat in hac arenam Smiglecius, & doceat, ſanctos nunc vivere, noſtra omnia noſſe, poteſtatem nos juvandi habere, & ſtatim eis honor a nobis tribuetur: At exigere a nobis honorem ei, de quo non noſtat, an nunc re ipſa vivat, nonné eſt, ſecum ad Idololatriam alium pertrahere? Addo nunc illud, verè dictum eſſe, malos homines & ſeductores proficere in pejus. Nuper enim legimus in fine libelli, de excellentiis virginis Mariæ, additum, Laus Deo, Beatæ Virgini, & B. Ignatio. En tibi ἐνέργειαν erroris, eamq; in ipſis Ieſuitis.

Bellarminus & alii Ieſuitæ Idololatriæ aſſertores.

Recens Ieſuitarum audacia.

Iam dum poſtulo, ut doceatur, ſanctos nũc vivere, mirum, quomodo ringatur Smiglecius. Nam *& malum id nefandum, et virus peſtilens impi-*

lens impietatis nominat, me verò impium, qui negem sanctos nunc re ipsa extare. Convitiando nihil proficitur, Smigleci. Proba, quod asseris, si velis fidem tibi adhiberi, & aliquid aliquem docere. Ista verò convitia animum Smiglecii produnt nec religiosum nec modestum, & vix eum decerent, qui errare nulla in re posset, nedum Smiglecium, quē tot centenis erroribus, quos ille mihi objicit, implicatum esse, dies magis magisq; docebit. Homines sumus, humano more agamus, non fingamus, nos esse Christum vel Apostolos, adversarios verò Pharisæos vel hostes religionis, & proinde ita nobis licere in eos invehi, ut olim Christum & Apostolos fecisse legimus. Hanc modestiam ut tandem addiscamus omnes, summopere annitendum est, si laboribus hisce nostris aliquid apud homines effectum velimus. Quod cū ante biennium ex ore collegæ Smiglecii domi meæ audirem, mirum est, quàm vehementer mihi illud placuerit, & virum istum, quē invidiæ vitandæ causa non nomino, tum mihi tum aliis commendârit.

Monetur Smiglecius.

Refuita cujusdā moderatio.

Sed, unde sint istæ lachrymæ Smiglecii, detegendum est. Sensit procul dubio pro acumine suo, magnam religionis suæ Pontificiæ partem ruituram, si ea obtineant, quæ nos circa hoc negotium affirmamus. Nam, si sanctos nunc re ipsa non extare, sed in die ultimo demùm extituros, & loco corporum, quæ nunc habemus, alia longè præstantiora fideles habituros, constet, nonné totum illud, quod de cultu sanctorum & purgatorio hactenus plenis buccis prædicant Pontificii, evanescet? Hoc autem sublato, quid quæso esset religio Pontificia? Sed frustra est. Pereant omnia & vincat veritas. Atheismos has nostras sententias appellat Smiglecius. Sed injustè. Nec enim ista hominem Dei cognitione carentem arguunt, nec efficiunt, quo minùs Deus & Christus rectè agnoscatur & vera pietate colatur: imò ad cognoscendam Dei singularem sapientiam, potentiam, & benignitatem tantum momenti afferunt, quantum vix alia non pauca Christianæ religionis mysteria. Vnde constat, quàm rectè etiam, omnem religionem Christianam everti per eos, dicatur. Ita scilicet tumultuari eos necesse est, qui inter necessaria & utilia ad salutem dogmata discrimen agnoscere nolunt. Sed videamus tandem istud malum, & expendamus primùm ipsam quæstionem, deinde confirmationes utriusque partis. Quæstio non est ea, quam hîc asscripsit Smiglecius: An homines, beluarum instar, intereant tum in corpore quàm in anima. hoc enim nos nunquam diximus: Quin imò contrarium ex scriptura probamus: Nempe pulverem redire ad terram, unde sumtus est: spiritum autem ad Deum redire, qui ipsum dedit. Quæstio autem est: An homines post mortem sint reipsa, & an aliqua voluptate

Vbi sit atheismus.

Quæstio de statu hominis post mortem quænam.

luptate piâ vel ipsorũ animæ fruantur ante Christi advẽtum. Hoc ego negans, attuleram pauca quædã ad confirmandã meam negationẽ, non quòd ita facere tenebar, sed quia veritati eruendæ studebam. Nempe quòd conditio mortuorum describatur per id, quod nõ sunt, & quòd; fideles omnes in adventu demum Christi resurrectionis participes futuros legatur. Smiglecius, hæc vana, ridicula, homine Christiano prorsus indigna esse, quemlibet vel stultissimum animadvertere posse, ait. Sed quæ dixi, verba expressa sunt sacrarum literarum, vel saltem evidentissimæ ex illis deductiones. Quo jure igitur, vana, ridicula & homine Christiano indigna appellantur? Probat igitur id in hunc modum Smiglecius. *Mortuos enim, cùm scriptura dicit non esse, quoad hanc in carne vitam, quâ per mortem privati sunt intelligit: at & corpora eorum esse & animas vivere, eadem scriptura testatur. Non enim eam solam vitam anima nostra habet, quæ est illi cum brutis communis, sed & aliam, quæ est illis communis cum Angelis, qui vivunt, ut spiritus, vitâ intellectuali. Et si igitur sancti mortui non sint, quoad eam vivendi rationem, quam habent communem cum animalibus, sunt tamen quoad eam vivendi rationem, quam habent communem cum angelis, qui extra carnem vivunt felicissimè.* At hoc modo respondendi nihil proficitur. Nam sententiam tantùm suam dicit Smiglecius, quæ s. literis contraria est & sanæ rationi. Nam si sancti essent, quoad aliquem vivendi modum, nullo modo dici de illis posset, eos non esse. Nam quod de parte, eaque potiori alicujus, nempe de anima verum est, id de toto simpliciter negari nullo modo potest. Corpora verò mortuorum esse, & animas vivere post mortem, quid huc pertinebat afferre? Nec enim negatur a nobis, corpora & animas, mortuorum extare post mortem: Sed, sanctos ipsos extare, negatur. Anima verò etiamsi tandem viveret, non constituit sanctos, sed anima cum corpore conjuncta, sanctos demum facit. Vivere autem animam ambiguè dicitur. Eatenus enim tantùm vivere dici potest, quatenus est aliquid incorruptibile naturâ suâ; vel quòd olim reddenda sit fidelibus in adventu Christi: Rursus verò, quia actiones nullas sine corpore excercere, nec ulla voluptate frui potest, non isto modo vivere dici potest, quo ea vivunt, quæ per se subsistunt, ut Angeli. Angeli enim substantiæ sunt spirituales integræ & perfectæ: anima verò integri pars est, ut ipsemet Smiglecius alibi fatetur. Et si ea vivendi ratione animæ mortuorum viverent post mortem, certè mortui non haberent, quod valdè cuperent ex mortuis resuscitari. Nam, ut angeli in corpore suo spirituali fruuntur perfectissimis voluptatibus: sic & animæ fruerentur. Sed audiamus alia.

Rationes sententiæ veræ de illa quæstione.

Corpora & animas sanctorum, & sanctos extare, differunt.

Certè Chriſtum & verè mortuum eſſe credimus, & poſt mortem deſcendiſſe ad inferos, & ibi ſpiritibus prædicaſſe, & in Paradiſo fuiſſe, ſicut illo ipſo die, latroni ſecum pendenti promiſit in cruce. Quæ procul dubio dici non poſſent, niſi Chriſtus aliqua ratione verè viveret, nec ſolùm ipſe, ſed ii, cum quibus poſt mortem agebat. Et ſi enim non vivebat hîc vitâ carnalis: at vitæ animæ & Spiritus vivere non deſiit. Expende, lector cordate, quid Smiglecius mihi, cui vana, ridicula & homine Chriſtiano indigna objicit, proponat. nempe magnas & verè meras nugas. Chriſtum verè mortuum eſſe, nemo Chriſtianorum negat; nec erat, cur hoc nunc aſſereret Smiglecius: Chriſtum ad inferos vel infernum potiùs deſcendiſſe poſt mortem, licet nuſquam extet iiſdem verbis ſcriptum, tolerari tamen & concedi poteſt, ſi duo obſerventur. Prius

Quid ſit deſcenſus Chriſti ad infernum.

eſt, infernum, non locum aliquem, in quo ſint mortui, ſed conditionem & ſtatum, in quem omnes mortui neceſſariò perveniunt, ſignificare. Quo ſenſu accipitur, cùm dicitur, portas inferni non prævaliturus adverſus eccleſiam, Chriſtum habere claves mortis & inferni, mortem & infernum redditurum ſuos mortuos, mortem & infernum conjectum iri in ſtagnum ignis. Hinc enim conſtat, pios etiam ab inferni poteſtate liberandos eſſe. Pios autem in loco aliquo, qui infernus ſit, eſſe non poſſe, ipſemet etiam Smiglecius confitetur, & ipſa eſt veritas. Poſterius eſt, vocem *deſcendere* figuratè accipi debere, pro eo, quòd Chriſtus poſt mortem inciderit in iſtum ſtatum, in quem omnes mortui incidunt. Nam qui propriè deſcendit, eum eſſe neceſſe eſt. Actiones enim non ſunt niſi ſuppoſitorum. Qui verò mortui ſunt, non ſunt. Chriſtum porrò in inferno ſpiritibus prædicaſſe, prorſus falſum & fabuloſum eſt. Nam locus, unde illa verba ſumta ſunt, ſic habet: *Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus* (ſic habet textus græcus. Vulgata enim verſio hîc variat) *quidem carne, vivificatus autem ſpiritu. In quo & illis* (qui) *in carcere* (erant) *ſpiritibus profectus, prædicavit, incredulis aliquando.* Hîc apertè dicitur, Chriſtum vivificatum ſpiritu, ſcilicet Dei, (ut alibi dicitur, eum vivere ex Dei virtute) in illo ſpiritu profectum, prædicaſſe ſpiritibus, qui in carcere erant, & increduli aliquando fuerant. Quomodo igitur hoc ad tempus, quod inter mortem & reſurrectionem Chriſti interceſſit, referri poteſt? Præterea etiamſi dicatur, eum ſpiritibus prædicaſſe, qui erant in carcere, tamen hinc non ſequitur, eum etiam fuiſſe in iſto carcere vel cuſtodia. Poteſt enim aliquis, qui eſt extra carcerem, illis, qui ſunt in carcere, prædicare. Longè igitur alius ſenſus eſt iſtorum verborum Petri atque

Matth: 16. 18. Apocal: 1. 18. & 20. 13, 14.

1. Pet: 3. 18.

Chriſtus poſt reſurrectionem ſpiritibus prædicavit.

2. Cor: 13. 4.

Non neceſſe eſt, eum eſſe in carcere, qui illis, qui ſunt in carcere, prædicat.

tri atq; is, quem illis Smiglecius affingit, quem nunc tribus tantùm verbis expono. Effecturus Petrus, ut perfectè simus patientes rerum adversarum, adducit patientiam Christi; exponit etiam patientiæ finem, nempe Christi vivificationem, describit denique perfectionem patientiæ, quòd Christus tunc, cùm jam ex mortuis esset resuscitatus, & potestate summa donatus, tamen patienter tractârit hostes suos. Nam Apostolos ad eosdem misit denuo, qui ipsum antea occiderant, tali patientia utens, quali olim ipse Deus tempore diluvii usus fuerat. De quo nunc non est tempus dicendi plura. Christũ denique post mortem, statim scilicet, in Paradiso fuisse, non minùs ridiculum censeri debet. Nam si in inferno fuit, quomodo in Paradiso? At dicet Smiglecius. Promisisse id Christum latroni etiam pendenti secum in cruce. Ego verò, ut alia nunc taceam, nego Christum id promisisse latroni. Verba enim Christi, *Amen dico tibi hodiè mecum eris in Paradiso*, ita distingui possunt, *Dico tibi hodie, mecum eris in Paradiso*, ita ut Christus non tempus indicet, quando futurus sit secum in Paradiso latro, sed veritatẽ ejus, quod promittebat, exprimat. Hoc enim loquẽdi modo *Dico tibi hodie*, rei, de qua sermo est, veritatem & gravitatem indicari, loca s. literarum, in quibus iste vel certè prorsus similis modus invenitur, cõprobant. Sic Deut: 30. 11. Moses ait: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est*, &c. & 15. *Considera, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum* &c. & 17, 18. *Si aversum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atq; errore deceptus adoraveris Deos alienos & servieris eis, prædico tibi hodie, quòd pereas, & parvo tempore morêris in terra, ad quam Iordane transmisso ingredieris possidendam.* & c. 32. 46. ait: *Ponite corda vestra, in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie* &c. Et certè de tempore, quando cum Christo futurus esset latro, non opus erat dicere. Hoc enim ipsemet latro expresserat, dum ait: *Memento mei Domine, cùm veneris in regno tuo* (ut habet textus græc.) hoc est, cùm venies judicatũ vivos & mortuos. Tunc enim in regno suo veniet Iesus Christus. Vt verò in spe sua confirmaretur, Christus modo loquendi, ad confirmandum aliquem accommodato, usus est: *Amen dico tibi hodie, quòd illud futurum sit, quod a me petis*, explicans, quomodo memor illius esse velit. quòd scilicet cum Christo in paradiso futurus esset. Videat igitur Smiglecius, an ex his omnibus vel per speciem colligi possit, Christum aliqua ratione post mortem vixisse, vel alios post mortem vivere.

Christus statim post mortem non fuit in paradiso.

Quid sit, *Dico tibi hodie.*

Christus gratiam tantùm latroni promisit, tempore non expresso.

Restant alia. *Paulus cupivit dissolvi & esse cum Christo. Ergo post mortem*

mortem se cum Christo victurum intellexit. Alioquin non dissolutionem sed resurrectionem desiderare debuisset. At hinc, non quid futurum sit mortuis, sed tantùm quid Paulus post mortem cupiverit, colligitur. Potuit autem Paulus id etiam cupere, quod tamen sciebat, sibi non posse post mortem statim contingere. Quemadmodum etiam alibi de se ipso ait, se existentem in hoc tabernaculo, ingemiscere gravatum, eò quòd nolit expoliari, hoc est, mori ante Christi adventum, sed superuestiri, hoc est tamdiu vivere, donec Christus veniat, ut absorbeatur mortale a vita. Cùm tamen id sibi non eventurum optimè sciret. Alibi enim graviter monet, ne credatur, diem Domini venturum, antequam veniat defectio per Antichristum. Et certè ita de Paulo sentiendum esse, docent verba illius: *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Reliquum (est,) reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. Non solũ autem mihi, sed & omnibus, qui dilexerunt apparitionem illius.* Crediderim tamen, alium etiam sensum posse in verbis Pauli subesse, ut scilicet is cum Christo esse dicatur, qui jam in eo statu est, ut non possit perire ulla ratione, sed certo certiùs reservatur ad Christi consortiũ. Quod de mortuis sanctis dicere debemus. Vnde etiam alibi perfecti appellantur. Quo sensu alia etiam loca, si quæ sunt, quæ testari videntur, quòd statim post mortem fideles vitam æternam sint consecuturi, accipienda sunt. Is enim analogiæ fidei quàm maximè conformis est, firmis interim manentibus illis locis & testimoniis, quæ partim disertè affirmant, & ex quibus partim evidenter colligitur, in ultimo demum judicio omnes fideles & sanctos iterum exituros, & unâ cũ Christo æternùm regnaturos. De hoc loco nuper etiam plura scripsimus adversus D. Frantzium.

Paulus in adventu Christi demum se cum illo futurum credidit.

2. Cor: 5. 4.

2. Thess: 2. 2.

2. Tim: 4. 7, 8.

Heb: 12. 23.

Sed restat adhuc Christi argumentatio, ut ait Smiglecius, nempe, quia in scriptura dicatur Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, consequens esse, Abrahamum, Isaacum & Iacobum vivere. Sed hoc, præterquam quod ad certas tantùm personas pertinet, non evincit, eos verè vivere. Vivere enim hoc in loco idem significat, quod ex mortuis resurgere. quod constat ex thesi, quam Christus probandam susceperat, his verbis: *Quod autem resurgant mortui, & Moses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum Deum Abraham & Deum Isaac & Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum sed viventium. Omnes enim ei vivunt.* Adde quod quæ Christus secundùm quid dixit, ea simpliciter accipit fallax & dolosus Smiglecius. Nonné enim Christus tantùm ait: omnes istos *Deo* vivere? Smiglecius verò ait, eos simpliciter vivere. Hæc verò quantum differant, quilibet per se perspicere potest,

Vivere dici potest, qui ex mortuis resurrecturus est.

Luc: 20. 37, 38.

Aliud est vivere, & aliud Deo vivere.

test. Nam & is, qui nunc re ipsa non vivit, Deo vivere dici potest, quatenus scilicet iterum victurus est: imò ex eo ipso, quòd Deo quis vivit, rectè colligitur, eum nunc re ipsa non vivere. Quis enim dubitat, eum, qui nunc vivit, fidelem, Deo etiam vivere? Ad id verò, ut quis verè & reipsa vivere dici possit, parum est eum resurrecturum, sed necesse prorsus est, eum existere, & sensu præditum esse, & omnia facere posse, quæ homines viventes faciunt. Quod de mortuis dicere, nemo nisi superstitiosus & idololatriæ studiosus, ausit.

Vidimus, quid responderit ad id Smiglecius, quòd de mortuis dicitur, quòd non sint: videamus quomodo respondeat ad id, quòd legitur eos in ultimo die resuscitandos. Ait igitur: *resuscitationem ad vitam in carne recuperandam spectare, quæ sicut per mortem ablata fuit, ita in resurrectione Dei virtute restaurabitur, nec resurrectionem illam animarum sed corporum in scriptura appellari.* Ad marginem autem addit: *Carnis resurrectionem credimus, non animarum.* Sed & hìc quàm imperitus rerum divinarum, & audax sit Smiglecius, nimis evidenter apparet. Sententiam suam denuò dicit, eamque talem, quæ nec cum sacris literis, nec cum sana ratione convenit. Vnde enim constat, vitam in carne recuperandam? Cùm ea sit quasi Maxima Apostoli: *caro & sanguis regnum Dei possidere non poßunt, neque corruptio*, hoc est, id quod corruptibile est, *incorruptionem*. Vbi & hoc dicitur, *nos portaturos imaginem cœlestis, nempe Christi.* At Christus qualis nunc est? Certè non caro. Ait enim Apostolus, novissimum Adamum, qui est Christus, factum esse in spiritum vivificantem, hoc est spiritum vivificantem. Si Spiritus Christus factus est, dum in cœlos elevatus est, (antea enim semper fuit caro non spiritus) quomodo caro esse potest? Hæc enim ita contraria sunt, ut alterum ab altero tollatur necessariò. Totus homo erit Spiritus in Christi adventu, & spiritus vivificans. Quia ut anima res est spiritualis, sic etiam corpus, quod Deus parat suis, spirituale erit. Iuncta igitur anima cum corpore futuro glorioso efficient spiritum vel essentiam merè spiritualem, eamq; talē, quæ, virtute in se manente, vitam perpetuare poterit. Adde quòd, ut antea dixi, nimis leve esset beneficium Dei resurrectio, si per eum id tantùm accederet nobis, ut in carne iterum viveremus. Cùm tamen Paulus tanti resurrectionem fecerit, ut omnia se sprevisse, & nihil non facere paratum fuisse testetur, *si quomodo occurrat ad resurrectionem mortuorum.*

Iam quòd ait, illam resurrectionem non animarum sed corporum appellari, in eo & fallit & fallitur. Fallit, dum dicit, resurrectionem

1. Cor: 15. 50.

℣ 49.

℣ 45.

Quomodo vita recuperanda sit in resurrectione.

Phil: 3. 11.

Fallacia Smiglecii.

nem istam non appellari animarum. Quis enim unquam hoc dixit ex nostris? Si credimus animas vel spiritus ad Deum redire, qui eos dedit, quomodo de resurrectione illorum vel somniare possumus? Fallitur etiam, dum corporum resurrectionem idem esse credit, quòd carnis resurrectionem. Cùm tamen certum sit corpus dari, quod non sit caro. Vox enim corporis pro substantia tota rei alicujus interdum sumitur. Quo sensu etiam de angelis dici potest, eos esse corpora, nempe spiritualia. Hinc Paulus, qui præcisè negat, carnem & sanguinem regnum Dei possidere posse, ait, resurrecturum corpus gloriosum & spirituale, & tam spirituale quàm animale corpus esse asserit. Vnde constat, verbis, quæ habentur in symbolo Apostolico, sobriam adhibendam esse interpretationem, ut scilicet carnis resurrectio ideo credi dicatur, quia credimus id resurrecturum, quòd olim caro fuit, ita ut per vocem carnis substantia hominis, quam nunc habet, significetur.

Aliud est corporis, aliud carnis resurrectio.

1. Cor: 15. 4.

Quomodo carnis resurrectio in Symbolo accipi possit.

Sed restat adhuc unum, quo rem concludit, exemplum Christi, cujus resurrectionem, nostræ resurrectionis exemplar esse, ait Smiglecius, dum hæc verba addit: *Quemadmodum igitur is carne mortuus vixit post mortem, spirituum vitâ, nec totus esse desiit, sed solùm quoad corporis vitam, suscitatus autem ad vitam in carne rediit, ita & de nostra morte ac resurrectione cogitandum est.* Sed in ista conclusione duo sunt vitia magna. Vnum est, quòd asserit, Christum post mortem vixisse. Quæ manifesta est contradictionis implicatio, ut antea dictum fuit. Alterum est, quòd ex eo, quòd Christus post mortem ad vitam in carne rediit, colligit, nos etiam post mortem ad vitam in carne redituros. Cur enim Christus ad vitam in carne rediret, magna fuit causa, nempe ut ab Apostolis conspiceretur, & resurrectionis suę fidem indubitatam iisdem faceret: At cur alii fideles ad vitam in carne redeant, causa prorsus nulla est. imò Apostolus disertè ait, in ultimo judicio mortuos resurrecturos incorruplibiles: reliquos autem qui vivi supererunt, mutatum iri. Addo his duobus vitiis tertiũ etiam. Etiamsi ad hanc vitam in carne post mortem omnes fideles redituros constaret: hinc tamen nullo modo sequi, eos in vita, quæ in carne sit, perpetuò mansuros. Nam, ut certum est, Christum, qui ad vitam in carne redierat ad aliquod tempus, vitam in carne deposuisse, cùm spiritus est factus vivificans, & eum locum ingressus est, quem caro & sanguis hæreditare non potest: sic etiam idem eventurum fidelibus, & per se evidens est, & ipsa scriptura sacra cõprobat.

Cur non sit necesse, fideles in carne resurgere.

1. Cor: 15. 52.

Hactenus de uno atheismo ex mente Smiglecii egimus: Agam[9] & de

& de altero, qui est: quòd non hæc corpora in futuro seculo sint habituri fideles, sed alia longe præstantiora. Hoc primùm comprobabo, deinde ad argumenta Smiglecii respondebo. Probatur autem id quod asserimus, ex eo, quòd caro & sanguis regnum Dei possidere non possint: at nostra corpora, quæ nunc circum ferimus, aliud nihil sunt, quàm caro & sanguis. Adde, quòd imaginem cœlestis portaturi sumus. Imago autem cœlestis id est, Christi in eo consistit, quod est factus, nempe per ascensionem & ingressum in cœlum, spiritus vivificans. Nam, nec cùm nasceretur ex Maria, nec dum in terris degeret, tam ante quàm post mortem, spiritus appellari potuit: imò spiritum se esse Christus, post resurrectionem ante ascensionem, expressè negavit: *Videte, ait, manus meas & pedes meos, palpate me, & videte, quia spiritus carnem & oßa non habet, sicut me videtis habentem.* Spiritum autem factum esse, & corpus mortale habere, contraria sunt. Imago etiam cœlestis in eo est, quòd, ut Dominus e cœlo est, vel corpus suum habet, vel cœlestis est, quemadmodum primus homo e terra erat & terrenus: sic etiam fideles cœlestes futuri sint. Et hæc pauca ex plurimis nunc sufficiant.

Fideles alia in futuro seculo corpora habituros.

Luc: 24. 39.

1. Cor: 15. 47, 48.

Ad rationes Smiglecii, contrarium probantes, quas etiam ad marginem compendiosè asscripsit, respondeo breviter & directè. Ratio prima est, *quòd Paulus expreßè doceat, corruptibile hoc induturum incorruptionem, & mortale hoc induturum immortalitatem. Etenim si aliud corpus vice istius futurum est, non erit hoc, neque induet incorruptionem, neque omnino induet* (ita habet Smiglecius) *quia non aßequetur incorruptionem, sed in sua corruptione perpetuò manebit.* Solvitur. Quòd locutionem Apostolicam, quæ figurata est, propriè accipit Smiglecius, quasi scilicet, manente hac carne nostra, sit accessura ad eam incorruptio & immortalitas. Quod quàm falsum sit, dici vix potest. Nec enim per naturam rei fieri ullo modo potest, ut id, quod naturâ mortale est, immortale naturâ fiat: quemadmodum nec id, quod naturâ immortale est, mortale fieri potest. Sensus autem est. Hoc mortale & corruptibile absorbebitur ab immortalitate & incorruptione. Sic enim Paulus ipsemet se declarat, dum ait: *Cùm autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo ille qui est scriptus: Absorpta est mors in victoria.* Iam si mortale re ipsa maneret, quomodo mutatio ista absorptio nominari posset? Induet igitur hoc mortale immortalitatem, quatenus in locum mortalis succedet immortale, quemadmodum veteri veste deposita, alia nova induitur.

Mortale induturum immortalitatem, figuratè dicitur.

Indutio immortalitatis est absorptio mortalitatis.

ỳ 54.

Secunda ratio Smiglecii eſt: *Reſurrectionis ratio quomodo conſtabit, ſi corpus non quod per mortem cecidit, ſed quod nunquam cecidit, reſurgere dicatur: quomodo igitur corpora noſtra reformabuntur configurata corpori claritatis Chriſti, ſi eadem non ſunt futura? Non enim reformari dicitur, cùm aliud ejus loco ſubſtituitur, ſed cùm ipſum per ſe ipſum reformationi ſubiicitur.* Hæc ratio duplex eſſe videtur. Solvitur autem utraque. Et prior quidem, quòd non expendat Smiglecius ſignificationem vocis reſuſcitandi vel reſurgendi, ex ſenſu ſ. literarũ. Hæ enim voces iſtas non ita ſumunt, ut alii autores. De eo enim tantùm, qui revera eſt, licet jaceat vel dormiat, dicitur, eum reſurgere vel reſuſcitari: verò, qui non eſt, quomodo reſurgere vel reſuſcitari propriè dici poteſt? Mortuos autem nõ eſſe, jam ante comprobatum fuit. Reſurgere igitur dicuntur fideles, quatenus non ſecus iterum futuri ſunt, ac ſi ad tempus dormivissent. Vnde etiam ipſorum mors per obdormitionem deſcribitur. Poſterior ita etiam diluitur, quòd paulò aliter Paulus loquatur, quàm Smiglecius. Paulus enim ait, Chriſtum corpora noſtra transfiguraturum, ut ſint configurata corpori ſuo glorioſo. Iam quomodo iſta transfiguratio futura ſit, quia hîc non exprimitur, aliunde colligendum eſt, ubi ſcilicet Paulus ex profeſſo, ut ajunt, de modo reſurrectionis diſputat, de quo ſuprà egim⁹. Poteſt autem peregregiè dici, corpus transfigurari vel reformari, ſi, loco corporis mortalis & humilis, detur nobis corpus glorioſum, quale nunc habet Chriſtus. Nam non tantùm ea reformatio eſt, cùm, eadem manente ſubſtantia, varia accedunt accidentia, ſed & ea, cùm loco unius rei altera ſubſtituitur. Quemadmodum etiam cœlum & terra mutanda dicuntur, quæ tamen igne exurentur & prorſus deſtruentur, ut teſtatur Apoſtolus.

Reſurgere, eſt iterum exiſtere.

1. Theſ: 4. 14.

Reformatio etiã eſt, cùm in locum unius aliud ſubſtituitur.

Heb: 1. 12. 2. Pet: 3. 10.

Tertia ratio Smiglecii eſt, *quòd hæc non tam reſurrectio mortuorũ, quàm transmigratio Pythagorica animarũ de uno corpore in aliud eſſet nuncupanda.* Hanc rationem ego non intelligo, nec eam explicavit Smiglecius. Falſum eſt autem id, quod nobis affingere cogitat. Nos enim animas vel ſpiritus fidelium redditum illis iri credimus, quos morientes Deo commendârunt, & eandem ſingulorum animam vel ſpiritum corpus ſuum, quod ei Deus olim dabit, vivificaturum. Fortaſſe tale quid hîc aſſcripſit Smiglecius, ut occaſionem haberet noſcum Pythagoricis conferendi, & quidvis de nobis ſuo more pronunciandi: Sed quàm hoc ſit frivolum, judicet æquus lector. Nonné enim in opinione quadam, quę ad ſalutem non pertinet, idem ſentire poſſent Chriſtiani cum Ethnicis, nec tamen Ethnnicis aunumerari?

Spiritus fidelium reddentur illis in reſurrectione.

Quarta

Quarta ratio est (ut ad marginem addidit. Iam enim in tertia ratione afferenda voce *deniq;* usus fuerat, postquam non datur continuatio numeri) exemplum Christi, de quo sic ait: *Certè quemadmodum Christus exemplum nostræ resurrectionis non aliud corpus resuscitatus à mortuis assumsit, sed illud ipsum, quod in cruce clavis & lancea confixum fuit: Cujus rei gratiâ vulnerum notas post resurrectionem extare in corpore suo voluit: ita & nostra corpora in resurrectione gloriam quidem consequentur majorem, attamen eadem, quæ nunc, sunt futura.* Hæc bona ex parte antea dissoluta fuit. Repeto autem nunc breviter quod huc pertinet. Nego, nostræ resurrectionis modum ex modo resurrectionis Christi petendum esse. De Christo enim legitur, quòd in eodem corpore resurrexerit, in quo mortuus fuerat, quod corpus erat sanguis & caro, & nondum naturâ suâ immortale & incorruptibile: At de fidelibus legitur, quòd sint resurrecturi incorruptibiles. Ratio diversitatis hujus in modo resurrectionis manifesta est. Necesse enim fuit, ut Christus ab Apostolis humano more agnosceretur. quod per exhibitionem corporis ejus, comestionem item & bibitionem cum Apostolis commodissimè fieri posse, Deus prævidit: At in fidelibus nulla talis est necessitas. Quod verò Christus exemplar est nostræ resurrectionis, id non simpliciter prorsus & absolutè accipiendum, & proinde etiam ad modum resurrectionis pertrahendum, sed ad certitudinem vel possibilitatem tantùm resurrectionis referendum est, ut ex 1. Cor: 15. ad oculum videre est, ubi Paulus in 1. capitis parte prolixè ea de re disserit, certitudinem resurrectionis exemplo Christi ostendens. Quomodo autem & in quali corpore simus resuscitandi, id Paulus in eodem capite, non ex Christo, quatenus resurrexit, sed quatenus spiritus vivificans & cælestis factus est, cognosci vult. Quibus ita expeditis, appello omnium piorum judicium, an jure atheismos mihi Smiglecius objiciat, & an impiè de resurrectione sentiam, & sacrilego ore sanctis cultum denegem. Equidem persuasum habeo, nihil rectius, nihil Deo dignius de resurrectione dici posse eo, quod nunc exposui: sententiam verò Smiglecii de modo resurrectionis valdè crassam, Deo indignam & ad spiritum Machometanum accedentem potiùs; de sanctis autem opinionem, superstitionis & idololatriæ causam & olim extitisse & nunc esse, tam est evidens, ut res probatione ulteriori non egeat.

Modus resurrectionis nostrę non est petendus ex modo resurrectionis Christi. 1. Cor: 15. 52.

Quatenus Christ exemplar nostræ resurrectionis & modi illius.

Iterum sub finem capitis redit Smiglecius, nescio quo ordine, ad id, de quo in initio capitis egerat, & cur ipse, qui sanctos colit, non sit habendus pro idololatra; nos verò qui Christum colimus, pro idololatris habendi simus, docere conatur: Sed irritus est & impius iste conatus.

natus. Irritus. Nam, cùm dicit Smiglecius, se sanctos pro Diis non habere, nec iis honorem tanquam Diis exhibere, nec deniq; talem illis honorem exhibere, qui Dei solius proprius sit, partim fallit, partim malè concludit. Fallit, dum errorem suum tegit. Dum enim sanctos invocari posse ait, & invocari in talibus rebus, quæ a solo Deo petuntur, parumné constat, eum sanctis honorem divinum talem exhibere? Et certè mira est Smiglecii tergiversatio in hoc negotio. Nunc negat a se divinum honorem sanctis tribui: aliàs autem in confesso est, omnia petere a sanctis & præsertim a virgine Maria Pontificios, quæ a Deo peti possunt. Interrogo autem Smiglecium: si quis Psalmos recitet coram Deo, & eum per illos alloquatur, an non divinum honorem Deo exhibebat hoc ipso? Non negabit puto. Pontificii ergo, cùm Psalmos omnes ad Mariæ personam converti posse dicunt, ut suprà etiam dixi, an non ei divinum honorem nimis irreligiosè tribuant, judicet cujus judicium excœcatum a Deo non est. Malè etiam concludit. Nā etiamsi divinum prorsus honorem non tribueret sanctis, dummodo honorem eis talem, qualem ipsemet fatetur, tribuat, idololatra tamen censendus est, quamdiu non probat, istos sanctos re ipsa nunc vivere, & nostras preces audire & nos juvare posse. Hoc autem nunquam efficiet.

Tergiversatio Smiglecii in defendendo cultu sanctorum.

Impius etiam est conatus iste Smiglecii. Nemo enim hodie cultor Dei Patris est, qui non honorat Filium, hoc est, qui non honorat alium, præter illum unum Deum. Eum autem, qui alium colit, præter unum Deum, falsum Deum colere, jam antea millies prostratum fuit, & ostensum contrarium ex apertissimis s. literarum N. F. testimoniis. Itaq;, tam audacē nostri & religionis nostræ censuram, omnibus piis, inprimis verò justo judici IesuChristo judicandam relinquimus. Smiglecius, qui eos colit, de quibus probare nequit, quòd vivant, nedum ut potentiam divinam habeant, verus Dei cultor vult vult haberi: nos verò, qui Iesum hominem, ad dexteram Dei sedentem, colimus, idololatræ sumus. O tempora, o mores!

Cur is, qui Christum unà cū Deo colit, non sit habendus pro idolatra.

Sed nondum finis est istius unius verbi, quod se adjecturum dixerat Smiglecius. Vult enim docere, alios esse honores, quos sanctis pontificii exhibent ab eo, quem nos Christo exhibemus. Quasi scilicet id nos nunc curemus. Argumentum meum est: Injuriâ habent pro idololatris pontificii nos, qui Christo honorem exhibemus, cùm ipsimet sanctis honorem exhibeant, nec tamen idololatræ haberi velint. Dum verò evadere vult Smiglecius, distinguendo honorem eum, quem illi tribuunt sanctis, ab honore, quem nos tribuimus Christo, iterum se ipsum magis intricat. Vt enim antea ostendimus, honorem

Smiglecius ipsemet idololatra, idololatriæ alios accusat injuriâ.

honorem ejusdem generis, cujus is eſt, qui Deo debetur, & quem nos Chriſto tribuimus, exhibet ſanctis, dum eos invocare non erubeſcit, & ita ſe illis, præſertim verò virgini Mariæ, commendat, atque ipſi Deo Vnde conſtat, quemadmodum ipſemet non vult haberi pro idololatra, qui hunc honorem exhibeat ſanctis, quem nos Chriſto: ſic nec poſſe illum jure habere pro idololatris nos, qui idem facimus, quod ipſi. Hoc verò dicitur a nobis per conceſſionem, ſi ſcilicet conſtet, eam habere poteſtatem ſanctos, quam eis tribuit Smiglecius, & qualem nos tribuimus Chriſto. Iam cùm conſtet, ſanctos nec poteſtatem ullam habere, imò nec exiſtere re ipſa. non ſunt enim ſancti, ubi non eſt animæ illorum & corporis conjunctio: & tamen honorem eundem tribuit illis Smiglecius, qualem nos Chriſto, qui divinus eſt, eo ſenſu, ut jam diximus, reſtat, graviſſimo idololatriæ peccato eum cum ſua Eccleſia implicatum eſſe, a quo ut eos liberet ſervator noſter Ieſus Chriſtus, ex animo illum precamur.

Caput XV.

Commune Pontificiorum argumentum, quo probare nituntur, Chriſtum eſſe unum Deum cum Patre, refellitur.

Hîc jure iterum de moleſtia mihi creata a Smiglecio conqueror. Nam quicquid in hoc capite dicitur, id ante in hoc ipſo libello a Smiglecio dictum non ſemel & a me refutatum eſt. Quo fine ita nobiſcum agat Smiglecius, nolo decernere, ut habeat lector quod cogitet & judicet. Ego verò moleſtiam, ut cœpi, devoro.

Argumentum eſt Pontificiorum. Scriptura unum tantùm verum Deum proponit. Ergo Chriſtus aut non eſt verus Deus, aut ille unus Deus eſt. Apparentiam dixeram eſſe in hoc argumento. Omnes enim fallaciæ tum Diabolicæ tũ humanæ apparentiâ imponunt hominibus. Sed detexi eam ita, ut nihil prorſus adverſus nos mutire poſſit Smiglecius Sic enim dico: Scriptura unum tantùm beatum, immortalem & ſapientem Deum proponit. Ergo angeli aut non ſunt beati, immortales & ſapientes, aut ſunt unus Deus. Addideram etiam alterum, quod hîc omiſit Smiglecius. Scriptura unum tantùm Dominum proponit. Ergo angeli aut non ſunt Domini, aut ſunt unus ille Dominus. Et hæc de aliis etiam dici poſſunt, quibus ſcilicet per excellentiam aliquid convenit. Ad hoc tantùm id reſpondet Smiglecius, quod etiam antea ab eo dictum & a me refutatum fuit. *Dici quidem* *Argumentum Smiglecii refellitur.*

de Deo, quòd sit solus beatus, immortalis & sapiens, propter excellentiam, ideoq; etiam aliis id competere, ut sint beati, immortales & sapientes. At de Deo, quòd sit unus, dici propter veritatem. Quasi scilicet non eodem modo Deus verus dicatur propter excellentiam, ut dicitur beatus propter excellentiam. Nam dum Deus verus dicitur, abundè a nobis demonstratum est, tunc vocem verus idem valere, quòd perfectus. Vox enim verus, non tantùm falso sed etiam imperfecto opponitur. Vt cùm Evangelium, respectu legis, veritas dicitur; discipuli Christi, qui in sermone ejus manent, veri, respectu eorum, qui tantùm ei assentiuntur; tabernaculum futuri seculi, verum, respectu ejus, quod olim Mosi exhibitum fuerat; caro & sanguis Christi, cibus & potus verè, respectu aliorum, quæ ad fidem in Christo excitandam faciunt, appellantur. Ita ut nimis imperitè veritatem excellentiæ opponat Smiglecius. Cùm veritas etiam excellentiam significare possit. Oblectet se igitur his tenebris vel apparentiâ lucis Smiglecius, dum lucem istam, quam ei præferimus, non agnoscit vel respuit: ignoscat autem lector huic repetitioni meæ. A Smiglecio enim ad illam adactus sum.

Excellentia & veritas quandoque coincidunt.

Sic prostrato & funditus everso isto communi argumento, alia etiam dixeram, quæ Smiglecius carpit, sed injuriâ. Primum est, quòd eadem scriptura, quæ Deum unum esse testatur, Christum Deum etiam appellet, & talem Deum, qui sit Dei. Vnde constat, eum esse alium a Deo. Nemo enim sui ipsius est. Respondet Smiglecius, *futilem hanc esse conjecturam. quia & Spiritus, qui in homine est, & hominis sit, & idem quod homo. Sapientia etiam bonitas, charitas & aliæ perfectiones divinæ & Dei sint & Deus sint, juxta Theologorum axioma: Quicquid est in Deo, est Deus.* At ego futilissimam hanc esse responsionem & antea docui, & nunc iterum dico. Quis enim unquam audivit, spiritum, qui est in homine, esse hominem? Hoc enim perinde est, ac si quis partem dicat esse totum. Divinas etiam perfectiones esse Deum ipsum, quæ scriptura docet? Nam si Deus sint, erunt etiam personæ. Omne enim, quod Deus est, persona est. At quicquid est in Deo, est Deus. Ergo quicquid est in Deo, erit persona. Vnde constat, axioma Theologorum falsissimum esse, ut pote, quod, ut cum sacris literis, ita etiam cum sana ratione non conveniat. Ratio enim docet, aliud esse contentum & aliud continens. Eat igitur Smiglecius, & coram iis glorietur de axiomatibus suis Theologicis, qui in verba scholasticorum Theologorum, non verò Prophetarum & Apostolorum jurârunt. Apud hos enim non valent ista Pontificiorum

Christus ita est Deus, ut etiam sit Dei.

Spiritus hominis non est homo.

Non omne, quod in Deo est, Deus est.

rumTheologorum oracula,quę citra ipſorum doctrinam,&Philoſophorum etiam antiquorum & ſaniorum mentem,ipſi excogitârunt. Quòd verò Ioannes ait ſemel, Deum eſſe charitatem,& iterum charitatem Dei nominat,id non demonſtrat,Deum eſſe charitatem propriè & eſſentialiter.Nam ſi Deus eſſentialiter eſſet charitas,nihil unquam contra charitatem agere poſſet,quod tamen facit,dum iram in homines impios,& interdum non expectatâ illorum pœnitentiâ,effundit. Quemadmodum Deus contra ſapientiam & juſtitiam, quia ſunt in Deo eſſentiales proprietates, nihil unquam facit. Poteſt autem charitasDeus appellari,quia ſit charitatis autor,ut & Lux appellatur, quia ſit lucis ſimilis.Qua de re alibi plura ſcripſimus.

Deum non eſſe charitatem eſſentialiter.

Alterum eſt, quod docueram, Chriſtum eſſe talem Deum, qui ex partibus oriundus & mortuus fuerit, hoc eſt,Deum dignitate, eſſentiâ verò hominem. Qui verò homo eſt eſſentialiter, eum Deum naturâ vel unum illum eſſe non poſſe, niſi velimus duo contraria de uno ſubjecto eſſentialiter prædicari poſſe. Reſpondet Smiglecius, *non ſequi, ſi Chriſtus ſecundùm carnem ſit eßentialiter homo, non poße ſecundùm aliam naturam eße eſſentialiter Deum.* At nunc naturæ in Chriſto impugnantur, dum docetur, eum Deum naturâ non eſſe. Quomodo igitur diſtinctione naturarum tolli poteſt argumentum, & quomodo non manifeſtè principium petitur, vel potiùs quid gravius & intolerabilius committitur, dum per id, quod impugnatur, argumenta noſtra ſolvuntur? Videtur hoc eſſe declinare diſputationem, deponere perſonam partis,& ſumere ſibi per vim partem judicis iniquiſſimi, & autoritate ſua, præjudicatæq; opinionis larvâ, adverſarium perterrefacere & opprimere velle. Quod,ſi quid aliud, equidem ſpero, omnibus candidis tandem oculos aperturum, ut agnoſcant, jam arenâ pulſos eſſe adverſarios, & ita eis omnia ademta arma, ut nulla re legitimè ampliùs ſe tueri queant.

Chriſtus eſſentiâ homo: Deus dignitate.

Smiglecius eos quod impugnatur, argumenta ſolvit.

Quod verò affertur ad iſtas naturas tacitè comprobandas ex c. 1. Rom: ubi dicitur de Filio Dei,quòd factus ſit ſecundùm carnem ex ſemine Davidis, & definitus vel conſtitutus Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis, id nihil prorſus ad rem facit. Nam per carnem & ſpiritum naturas ſignificari nec probatur, nec probari poteſt. Nonné enim de aliis etiam hominibus prædicatur aliquid ſecundùm carnem, unde ſequitur, ſecundùm Spiritum etiam de iiſdem aliquid prædicari poſſe,de quibus tamen conſtat,eos duas naturas nullo modo habere. Diverſum quidem aliquid in illis, de quibus dicitur aliquid ſecundùm carnem & ſecundùm ſpiritum,conſiderari poſſe, concedendum eſt: at diverſitatem illam in naturis

Caro & ſpiritus naturas non ſignificant. Rom: 4. 1. Eph: 6. 5.

conſiſtere,

consistere,frivolum est&falsissimum. Vt enim in una numero essentia plures personę non dantur: ita etiam,in una eademq; persona duas naturas dari,contradictionem pariter implicat.

Addam autem hîc illud, quàm mira sit adversariorum,in vocabulis fingendis & interpretandis,audacia,mira astutia, ut scilicet undequaque appareat, eam, quam tuentur sententiam, non posse nisi fraude & imposturis defendi.Est autem hoc:Vox naturæ semel apud adversarios significatessentiam,ut cùm dicitur,Deum esse unum naturâ:Rursus verò,cùm de Christo affirmant,quòd ex duabus naturis constet, nolunt,naturam significare essentiam, (aliàs enim sequeretur, eum habere duas essentias) sed,nescio quid aliud fictitium, per vocem naturæ intelligunt. In eoque porrò ita sibi non constant, ut, cùm dicitur, Christum habere naturam divinam, per naturam divinam persona etiam divina intelligatur, cùm verò de natura humana sermo est, tunc illa natura persona non est, sed tale quid, quod nunquam in mundo auditum fuit.Quis enim unquamlegit,dari naturam humanam absque persona humana. Religio Pontificia talia nobis monstra peperit, cujus tamen professores,monstra aliis in religione objicere, non pudet aut pœnitet.

Adversariorum in acceptione vocis Naturæ, mira inconstãtia.

Iam quòd negat Smiglecius Deum & hominem contraria esse, in eo certè fallere cogitat. Licet enim contraria non sint,quoad substantiam: sunt tamen cõtraria,quoad qualitates. Dum verò duo contraria in eodem subjecto concurrere posse docet,multò magis fallit. Nec enim id nos unquam negavimus, cùm, ut partes ea concurrere posse,constet: Sed dicimus, essentialiter non posse prædicari de uno subjecto duo contraria.Cùm verò una essentia integra sit Deus,altera homo, parumné liquet, ista duo in unum concurrere minimè posse?

Quatenus Deus& homo sint contraria.

Quatenus duo contraria in eodem subjecto consistere nequeant.

Dixeram tertiò,eum,qui homo est,personam etiam esse humanam.Nullus enim in natura rerum datur homo,qui non sitidem persona & ὑφιςάμενον humanum:imò monstrum hominis & adhuc pejus aliquid,censendum esset id,quod,homo cùm sit,non esset persona humana. Dato, autem quòd Christus persona sit humana, sequi, eum non esse divinam.In una enim persona duas dari personas,contradictio est. Respondet Smiglecius, *me falsum aßumere, & omnium sapientum doctorumque virorum sensum oppugnare, qui uti personam a natura distinguunt, ita consequi urgent, eum, qui naturâ homo sit, personam quoq; humanam non poße non habere,neque repugnare ajunt,personam divinam in humana natura cosistere.*En quo me tandem modo tra-

Homo nullus datur absq; persona humana.

ctet

ctet Smiglecius, cùm non eſt, quò confugiat amplius. Viros omnes doctos opponit mihi:& contra eos mutire me non vult. Quinám verò ſunt iſti docti? Certè nec Prophetę nec Apoſtoli. Hi verò ſoli in rebus ad religionem pertinentibus audiendi ſunt. Fortaſſe Philoſophi? At hi tales nænias ne ſomniârunt quidem. Reſtat igitur, doctos iſtos omnes, eſſe Pſeudophiloſophos Chriſtianos, ſcholaſticos ſcilicet, quos vocant, doctores. Sed ſi Pontificii omnes fuerunt. Quæ igitur inſania eſt vel præſumtio, me a Pontificio autoritate premi Pontificiorum? Pudeat Smiglecium iſtius agendi modi in hac, quam Deus conceſſit, conſcientiarum libertate, ubi omnia ad ſolam verbi divini trutinam examinantur. Agnoſcant etiam, quibus veritas & ſalus æterna cordi eſt, jam victum eſſe Smiglecium, cùm non ad principia, quæ utraq; pars pro talibus agnoſcit, ſed ad conſenſum ſuorum provocat. Notetur denique, quòd vera eſſe non poſſit ſententia Pontificiorum, & aliorum, de perſona Chriſti, niſi falſum ſit, quod ipſa ratio & ſacræ literæ verum eſſe teſtantur. Nempe hominem eſſe poſſe absque ſua perſona. Quod, ſi quid aliud, abſurditatem & falſitatem illius manifeſtam facit. Fundata eſt igitur noſtra de Chriſto ſententia, quòd non ſit idem Deus qui Pater eſt, tum ſ. literis tum ſana ratione, ut hactenus docuimus; & corruere iſtud argumentum Catholico pontificium neceſſe eſt, dum ex unitate Dei colligunt, Chriſtum eſſe illum unum.

Indicia victi Smiglecii.

Quinám docti in religione audiendi.

Caput XVI. & XVII.

Verba illa: Ego & Pater unum ſumus, non poſſe de unitate naturæ intelligi.

Hîc iterum repeto meam de Smiglecio querimoniam. Nam in hoc & ſequenti capite nihil prorſus aliud ab illis dicit, quæ in cap:5. & 6. Monſtrorum dicta fuerant, ſed eadem otioſè tantùm, cum ſumma lectoris nauſea, repetit: Imò multò plura in iſtis capitibus dicta a Smiglecio & acuratiùs deducta fuere, quàm in his. Quæ verò a me ipſi varia objecta fuerunt, ea ſicco pede tranſit: & tamen talia eſſe, quæ refutari nequeant, hoc ipſum ſilentium Smiglecii convincit. Itaq; nolo actum agere. Sed lectorem ad iſta capita remitto. Quod ſi cui moleſtum videbitur, is, vel propter hoc ipſum, moleſtiam illam ut devoret, rogamus, ut agnoſcat, an jure tali reſpondendi modo utamur. Vix enim aliàs fidem hæc mea oratio a-

Cur ad quædam non reſpondeatur.

pud quenquam inveniet, cùm eam de se persuasionem esse velit Smiglecius, se disputatorem esse & acutum & methodicum. Summa est: Ex eo, quòd Christ⁹ unum esse dicitur cum patre, non sequi, eum esse unum naturâ quod vult Smiglecius: sed unum esse vel voluntate, vel etiam potestate in nobis servandis.

Caput XVIII.

Repugnare rationi, unam numero essentiam esse in pluribus personis, ostenditur.

Argumentum Smiglecii principale.

ASserit Smiglecius, non repugnare rationi, unam numero essentiam esse in pluribus personis. Ad quod probandum usus est tali argumento: *Id quod nullam involvit contradictionem, rationi non repugnat. Atqui, unam numero essentiam esse in pluribus personis, nullam involvit contradictionem. non igitur hoc rationi repugnat.* Assumptionem hujus argumenti, ait se probare ex definitione personæ, quam definit, *subsistentiam*, (in priori disputatione dixit *substantiam) incommunicabilem naturæ intellectualis.* unde talem Minoris comprobationem facit, *non implicat contradictionem, naturam intellectualem subsistere pluribus subsistentiis. ergo pari ratione, contradictionem non implicat, subsistere pluribus personis.* Ad hanc rationem, in priori disputatione ita responsum est, ut nihil dubitemus, cuivis veritatis studioso abundè satisfactum esse. Quare, quæ contra Smiglecius affert, mera sunt ejus sophismata. id quod ex iis, quæ sequuntur, patebit.

Smiglecius definitionem personæ mutat.

Refutatio argumenti duplex.

Cùm responderemus ad prædictam minoris comprobationem, dixeramus, primùm, Smiglecium pro concesso sumpsisse, unam numero essentiam, posse plures habere subsistētias: deinde, hanc ipsam ratiocinationem, nihil aliud esse, quàm principii petitionem. Ad utrunque videtur Smiglecius respondere velle. Ad posterius quidem ad hunc modum: *Hic primùm Smalcius ait, esse petitionem principii. Siquidē idem esse ait, unā numero naturam plures habere subsistentias, quòd plures personas.* Vbi, cùm Smiglecius inquit, me statuere, idem esse, unā numero naturā, plures habere subsistētias, quòd plures habere personas, videtur mihi tribuere, me sentire, idem esse personam & subsistentiam. cùm tamen longè aliter locutus fuerim, in hunc modum videlicet: *Quid enim? An non omnis persona est subsistentia? Quare qui contendit, non implicare contradictionē, unā numero essentiam plures habere*

Smiglecius affingere videtur aliquid nobis.

bere subsistentias, idem contendit, unam numero eßentiam, plures habere personas, non implicare contradictionem. Hoc autem quid aliud est, quàm id petere, de quo controvertitur? Ex quibus meis verbis, non illud sequitur, personam & subsistentiam simpliciter idem esse, quod me dixisse, ex relatione responsionis meę a Smiglecio facta, posset quis existimare: sed cùm subsistentia personam, tanquam genus, suam speciem comprehendat, non posse esse, quin, qui assumit subsistentiam ad ostendendum personam, idem personam assumat; & sic illud ipsum est, quod disputatur.

Ad quam meam rationem Smiglecius nihil respondet, sed existimat, satis esse, si mihi argumentum opponat: *Si hoc non est magna imperitia, inscitiaq; Smalcii, consequitur, semper fore petitionem principii, cùm per definitionem de definito aliquid probatur: & consequenter potissima demonstratio, in qua pro medio ad demonstrandum aßumitur definitio subjecti, semper petitionem principii continebit.* Sed quis non videt ex particulari, inferri universale? Numquid semper erit petitio principii, quoties definitum per definitionē probabitur, si in prædicta Smiglecii argumentatione id eveniat? Atqui istud vitium non tribuimus definitioni. Novimus a definitione firmissima sumi argumenta; idq; noster Theophilus ursit adversus Miedzybosium & Borcovium. Accidit error aliunde, nempe amittit definitio vim probandi, si, cùm quispiam dubitat de definito, dicat, se non minùs de definitione dubitare: ut in hac nostra disputatione. Etenim æquè in hac nostra disputatione dubitamus, utrúm, in unica numero essentia, queant esse plures, sive substantiæ, sive subsistentiæ individuæ intelligentes, atq; cùm quæritur, utrúm in eadem numero essentia possint esse plures personæ? Imò prius illud ipsum est, quod ad hoc posterius demoliendum afferre solemus, definitio, inquam, personæ. Ostendimus enim, in unica numero essentia non posse esse plures substantias individuas intelligentes, ergo neque plures personas.

Ex definitione argumentū duci.

Quatenus argumentum a definitione ductum, non valeat.

Sed inquit: *Definitione rei cujusque eßentiam illustrari, unde, cùm persona per subsistentiam definiatur, non fore petitionem principii, plures personas ex pluribus subsistentiis probare, sed rei, de qua agitur, illustrationem, cùm quod minùs notum est, ex eo, quod est notiùs, comprobatur.* Hæc ille. Quæ quidem nullum pondus habent. Siquidem definitio notior est suo definito, quatenus rei essentiam explicat. Nihil autem impedit, quominùs in argumentatione de ea æquè dubitetur, atque de ipso definito. Exempli causâ, cùm ad ostendendum, hoc individuum esse hominem, hominis definitio affertur, quid vetat, æ-

Æquè dubitari posse de definitione, ut de definito.

què dubitare, utrùm hoc individuum sit animal rationale,atque dubitatur,utrùm sit homo?Non est igitur necesse,definitionem ita esse notiorem suo definito, ut non liceat pari ratione de definitione dubitare, ac dubitatur de ipso definito: Quin cùm de definito dubitatur, tacitè saltem dubitatur de definitione.

Alteram responsionem nostram,quæ erat prior,hisce verbis refellere conatur: *Cùm aliqua duo ratione aut definitione à se distinguuntur, nullam involvunt contradictionem , si multiplicato uno, aliud non multiplicetur*, &c. *Eßentia & subsistentia, omnium sapientum sententiâ, ratione & definitione distinguuntur, velutiι res & modus*, &c. *Fit igitur, ut nullam contradictionem implicet, multiplicari subsistentias, non multiplicatâ naturâ,& è converso.* Vbi respondeo, non satis esse, ratione aut definitione distingui, quò minùs contradictio implicetur,si uno multiplicato,aliud non multiplicetur. Sunt enim quædam tam arctè connexa, ut omnino necesse sit,uno multiplicato,aliud multiplicari, licet ratione & definitione differant. Hujus generis sunt,quæcunque sunt de ratione alterius. Verbi gratiâ, multiplicatis hominibus, multiplicantur animalia:&,animalibus multiplicatis,multiplicantur corpora: corporibus,substantiæ: substantiis,essentiæ. Neque hæc duntaxat talia sunt,sed &ea,quæ alio vinculo copulata sunt.Atque ea sunt, materia&forma: locus &corpus. Multiplicatis enim formis,exempli causâ, hominis,multiplicantur ejus materiæ: &multiplicatis corporibus, multiplicantur loci, eò, quòd nec plures essentiales formæ, in unica numero materia consistant : nec plura corpora, in uno & eodē loco. Atque hinc patet, ut non alterū multiplicetur,altero multiplicato, non sufficere , ratione seu definitione distingui. Nisi ita distinguantur,ut nihil cogat,uno multiplicato,alterum multiplicari.Quod in hac nostra quæstione nequit ostendi. Etenim essentia est de ratione personæ,ut ex definitione personæ liquet: Subsistentia verò ab essentia distincta, etsi ita diversa est, ut altera nō sit de ratione alterius: tamen, cùm subsistentia formæ cujusdam vices obtineat, substantiam constituentis , quis non videt , in substantia qualibet constituenda,non nisi unicam esse?

Quidnám efficiat , ut uno multiplicato , alterum multiplicetur.

Hinc planum perspicuumq; est, quàm frustra Smiglecius conatus sit declinare eam contradictionem, quam ursimus,quacunq; tandem ratione subsistentiam accipiat. Sive, inquam , pro ratione subsistendi,cūm distinctè sumitur ab essentia;sive pro essentia subsistente, qua significatione visus est eam accepisse , definiens personam, substantiam incommunicabilem , &c. Et sanè nisi persuasi fuissemus, substantiam, pro essentia subsistente acceptam in definitione perso- næ fu-

Smiglecius antea obscurus fuit.

næ fuisse, subsistentiam verò pro ejusmodi individua substantia, alterum pro altero Smiglecium commutante, haud unquam concessissemus definitionem personæ, aliaq; longè ratione solvissemus argumentum: Verùm, cùm existimaremus, Smiglecium vulgò receptam personæ definitionem attulisse, nec dolum ullum suspicaremur, non dubitavimus affirmare, eum pro concesso accepisse, in unica numero essentia plures posse esse substantias, quodque longè majus est, principium petiisse. Evidens enim est contradictio, multiplicari substantias, non multiplicatâ essentiâ, si nulla datur substantia, quæ non sit essentia simul. Quid enim aliud hoc esset, quàm statuere plures numero essentias, in unica numero essentia?

Hac de causa pronunciavi, vocem *naturæ* redundare in definitione personæ. Quod Smiglecium adeò malè habet, ut non dubitet dicere, me meam prodere ruditatem. Inquit enim: *Nomen substantiæ pro natura accipi quidem posse, in definitione tamen personæ, pro subsistentia naturæ accipi, non ut illi respondet vox* οὐσία, *sed ut illi respondet vox hypostasis.* Verùm neque ego nomen substantiæ pro natura accepi, sed pro natura subsistente; nec cùm dicerem, substantiam esse naturam, aliud intellexi, quàm naturam esse de ratione substantiæ: non absimili modo, quàm cùm dicimus, hominem esse animal. ubi non significamus, hominem simpliciter esse animal, ac si nimirum idem essent, sed intelligimus animal esse de ratione hominis. Accepi igitur substantiæ nomen in definitione Smiglecii, pro natura subsistente individua. In qua significatione substantiæ acceptæ, vox Græca hypostasis respondet, dum modo hîc quoque Smiglecius nolit ambiguitate vocis fallere. Etenim hypostasis est natura seu essentia per se subsistens, quæ totam substantiam, quam primam vocamus, constituit. In hac significatione Theologi veteres hypostasin usurparunt, definientes eam, *essentiam cum suis proprietatibus quibusdam, ab iis, quæ ejusdem sunt speciei, numero differentem.* Anastasius & Cyrillus in compendiaria fidei expositione. Athanasius in Dialog: de Trinitate. Basilius Magnus de differentia essentiæ & hypostasis. Proinde rectè dictum a me fuit, vocem naturæ redundare in definitione personæ. Nec hîc mea ulla ruditas est, sed Smiglecii fraus, substantiam pro ratione subsistendi accipientis. Cujus erroris eum admonere poterat, vox *Incommunicabilis* in definitione posita, quæ non nisi rem completam denotat, ut pote quam sic Smiglecius describat, *quòd ita per se subsistat, ut alteri ad subsistendum communicari non possit, nec alterius subsistentiâ subsistere.* Hanc ob causam, animam rationalem

Quare vox naturæ in definitione personæ redundare dicatur.

Quomodo Theologi hypostasin definierint.

sonalem excludit ab hac incommunicabilitate. Atqui subsistētia, pro ratione subsistendi sumpta, talis non est, cùm concurrat ad constituendam substantiam cum essentia: nec usquam per se consistat, sed semper in natura: Contrà, subsistentia essentiam subsistentem denotans, ita per se subsistit, ut ad subsistendum alteri communicari non possit. Quamobrem hæc sola est incommunicabilis. Ex quo sequitur, in definitione personæ, substantiam pro essentia subsistente accipiendam esse. Et hæc dicta sint de argumento Smiglecii, ejusque defensionibus.

Responsio ad argumenta nostra Smiglecii qualis in genere.

Sequitur altera hujus disputationis pars. In qua agitur de argumentis, quæ Smiglecius tribuit nostris hominibus. De quibus antequam quicquam dicamus, tenendum est, Smiglecium ad pleraque ita respondere, ac si a nobis allata fuissent primùm in priori disputatione. Interim non argumentorum solutiones illi quærendæ fuerunt: sed a se in priori disputatione allatæ solutiones, a nostris responsionibus defendendæ, ne sic ordo disputationis perturbaretur.

1. Argumentum

Argumenta sex sunt, quæ Smiglecius dixerat, se ex scriptis nostrorum protulisse. Primum locum tenet illud, quod in priori disputatione hisce verbis conceperat: *Ait Socinus, Aristotelem duplicem solùm substantiam statuiße, primam & secundam. Persona igitur cùm sit prima non secunda substantia, nihil aliud erit, quàm substantia individua. Hoc enim voluit Aristoteles eße primam substantiam. Quod si persona sit substantia individua, non poßunt eße plures personæ, existente una substantia individua.*

Responsio Smiglecii.

Quod argumentum solvens Smiglecius, visus est tum antecedens, tum consequens convellere voluisse. Antecedens in ea parte, ubi dictum fuit, Personam esse substantiam primam. Dixerat enim, etsi persona pertineat ad substantiam primam: tamen primam substantiam, quatenus subsistit incommunicabiliter, dici personam, quatenus verò est hæc numero natura, in plures naturas indivisibilis, dici substantiam individuam.

Refutatio responsionis.

Contrà nos, Smiglecium, frustra ejusmodi distinctionem adhibuisse, ut pote quòd persona nequeat esse substantia prima, nisi quoque sit natura individua. Substantia enim prima nihil est aliud, quàm natura individua subsistens. Hanc responsionem nostram non attigit Smiglecius, sed quidpiam aliud protulit, videlicet, *falsum eße, personam idē eße formaliter, quod est prima substantia: ac proinde etiam totam argumenti consecutionem eße falsam.*

Insidiosa Smiglecii oratio.

Verùm si particula *idem*, voci *formaliter* addita, non redundat, sed posita est ad hoc, ut significet, nos sentire, personam & substantiam primam, formaliter esse idem, id quod verba Smiglecii præse-

præſeferunt,reſpondemus, iſtud, nulla ratione, ex eo,cùm dicimus, perſonam eſſe ſubſtantiam primam,elici poſſe. Quodſi verò redundat, nec plus ſignificat, quàm ſimpliciter prolata vox *formaliter*, nihil verius eſt, quàm perſonam formaliter eſſe ſubſtantiam primam. Formaliter autem pro eſſentialiter ſumimus. ut, exempli cauſâ: homo formaliter eſt animal, quia eſſentialiter eſt animal. eſt enim animal de ratione hominis, adeò ut ſublato animali,tollatur homo. Eadē ratione perſona eſt eſſentialiter ſubſtantia prima: quia eſt de ratione perſonæ, ita, ut ſublatâ ſubſtantiâ primâ, ſit neceſſe tolli perſonam.Aut igitur Smiglecius ſimpliciter neget,perſonam eſſe ſubſtantiam primam: aut ſi non audet negare, concedat,perſonam eſſe ſubſtantiam primam.Siquidem ſubſtantia prima dicitur de perſona,non tanquam quoddam accidens, ſed tanquam ejus genus. Hinc videre eſt, cùm Smiglecius ad hunc modum ad argumentum noſtrùm reſpondet:*Si perſona idem eßet formaliter,quod prima ſubſtantia,benè cōcluderetur,non poße multiplicari perſonas,manente una numero natura. Alioquin idem ſecundùm idem multiplicaretur & non multiplicaretur. At cùm falſum ſit, perſonam eße idem formaliter, quod prima ſubſtantia,tota etiam conſecutio argumenti eſt falſa*, id quod aſſumit eſſe falſum, ſi vox idem, addita voci formaliter, expungatur, & ita accipiatur, ac ſi dictum fuiſſet, Perſonam formaliter non eſſe ſubſtantiam primam. Contra in majore, ut ita dicam, ſi eadem vox retineatur, verum quidem dici,non tamen falſum eſt cōtrarium: nempe ſi manente unâ numero naturâ,nequeant multiplicari perſonæ, neceſſe eſſe, perſonam idem formaliter eſſe, quod eſt prima ſubſtantia. Itaq; hæc reſponſio conſtat fallacia conſequentis.Ad hoc enim,ut manente una numero natura,non poſſint multiplicari perſonæ, ſufficit, perſonam eſſe formaliter ſubſtantiam primam:quæ ſubſtantia prima ſimiliter formaliter eſt, una numero natura; nec neceſſe eſt, perſonam formaliter idem eſſe,quod eſt primâ ſubſtantiâ,licet verum ſit, ſi ſit, manente una numero natura, non poſſe multiplicari perſonas. ut homo, non eſt idem formaliter,quod animal: & tamen,quia formaliter eſt animal,multiplicatis hominibus multiplicantur animalia: & manente unico animali individuo, non multiplicantur homines.

Quid vox *formaliter* ſignificate poſſit.

Aſſumptionis ſuæ, id eſt, quamobrem perſona formaliter non ſit prima ſubſtantia, hanc rationem affert. *Prima*, inquit, *ſubſtantia, eſt natura individua: perſona verò formaliter, eſt naturæ individuæ ſubſiſtentia*.Conceſſerat Smiglecius in priori ſua diſputatione perſonam eſſe ſubſtantiam primam: jam verò ait eſſe ſubſiſtentiam, diſtinctam a natura; hancq; ob cauſſam vult perſonam non eſſe ſubſtantiam primam,

Tergiverſatio Smiglecii.

mam,

mam, quæ eſt natura individua. Quanquam mox addit, perſonam, materialiter acceptam, eſſe ſubſtantiam primam. Vbi dubitatur, quid per vocem *materialiter* intelligat. Nam ſi intelligit, materiam, quæ eſt altera pars eſſentiæ cujusq; rei, oppoſitam formæ, verum quidem dicit; attamen non rectè vocem *materialiter*, hoc loco, voci *formaliter* opponit, cùm iſtud materialiter ſit ipſum formaliter, ut in exemplo hominis vidimus, quem diximus formaliter eſſe animal. Partes enim definitionis, quæ eſt ratio ſeu quidditas rei, partes formales dicuntur. Sic cùm dixit Smiglecius, primam ſubſtantiam eſſe naturam individuam, proculdubio intellexit, formaliter eſſe talem, non materialiter. Quod ſi verò Smiglecius, formaliter accipiat ſtrictiùs, pro altera parte compoſiti, quæ materiam informat; nec vult hac voce materiam includere, concedam quidem, perſonam eo modo formaliter, non eſſe ſubſtantiam primam: verùm neq; cùm eadem perſona dicitur a Smiglecio eſſe ſubſiſtentia, etiamſi addat, incommunicabilis naturæ individuæ, formaliter erit talis. Vt enim demus, perſonam eſſe ſubſiſtentiam incommunicabilem naturę intellectualis: tamē materialiter talis erit, non formaliter. Subſiſtentia enim incommunicabilis natutæ individuæ, materia eſt perſonæ, non formæ. Quia forma conſiſtit in intellectu, quo diſtinguitur, tanquam ſpecifica differentia a ſuppoſito: commune autem habet perſona cum ſuppoſito, quòd ſit ſubſiſtentia incommunicabilis naturæ individuæ. cùm iſtud totum ſit ratio ſuppoſiti. Ex quo ſequitur, quacunq; ex prædictis ſignificationibus vox *materialiter* accipiatur, non minus, ſi perſona materialiter fuerit ſubſtantia prima, manente una numero natura, non multiplicari perſonas, quàm ſi fuerit formaliter talis. Sed vereor, ne Smiglecius ſubſtantiam primam ſubjectum perſonæ ſtatuat: eoq; nomine dicat perſonam materialiter eſſe ſubſtantiam primam. Quæ mens ſi illius eſſet, nihil alienius a veritate dici poſſet. Primùm enim perſona nullum poteſt habere ſubjectum, cùm ſit ſuppoſitum, quod ultimum omnium eſt ſubjectum. Deinde non poſſet in recto caſu de perſona prædicari. At ſi dicimus perſonam eſſe ſuppoſitum, neceſſe eſt, ut quoq; dicamus, eſſe ſubſtantiam primam. Quid quod non poſſumus non dicere, perſonam eſſe ſubſtantiam. Neceſſe enim eſt, ut ſub genere aliquo ſit. At ſub quo potiùs erit, quàm primùm ſub ſubſtātiâ? Quæ cùm duplex ſit, ſub ſubſtantia prima erit, quia non eſt ſecunda. At genera omnia de ſuis inferioribus in recto caſu dicuntur. Non talia ſunt ſubjecta, quæ in definitionibꝰ accidentium ponuntur. Proinde ſubſtantia prima non eſt ſubjectum perſonæ, ſed genus.

Occurritur objectioni.

Diſtinctionē ſubſtantiæ: quàm autor argumenti ex Ariſtotele attulerat,

tulerat, visus fuit Smiglecius approbasse: iam displicet illi prior sententia, ideo inquit, Aristotelem non substantiæ, sed essentiæ divisionem tradidisse, idq; ex græco verbo οὐσίας patere. Quanquam autem non est diffitendum, vocem græcam propriè essentiam denotare: tamen negari & illud non potest, Aristotelem, non alia voce uti ad significandam substantiam, quàm hoc eodem verbo οὐσίας, id quod omnes interpretes observârunt. Vnde quoq; factum est, ut in Categoriis, de quo loco nunc disputamus, vocem οὐσίας, omnes, quod sciam, latinè, substantiam reddiderint, substantiæ nomine, essentiam subsistentem intelligentes.

Arist. per vocem οὐσίας, substantiam intelligit.

Verum enim verò, quorsum istud effugium? Numquid non eódem res redit? An non, si persona est essentia prima, sequitur, multiplicatis personis, multiplicari primas essentias? Ex quo sequitur, in unica Dei essentia, haud esse plures numero essentias.

In tantas fuit Smiglecius redactus angustias, ut nec affirmare, nec negare auderet, personam esse substantiam primam. Itaque eò confúgit, ut diceret, primam substantiam, quatenus subsistit in communicabiliter, dici personam, quatenus verò est hæc numero natura, in plures naturas indivisibilis, dici individuam. Quo loco, cùm dicerem, non hoc quæri, cur, aut quatenus prima substantia, esset persona, verùm, an persona sit substantia prima, addidi in super, a Smiglecio distingui ea, quæ nequeunt distingui: subsistere verò in communicabiliter, non esse id, quod constituat personam. Volens autem demonstrare prius, in hanc prorupi interrogationem. *Nam quæ est hæc numero natura, quæ non subsistat? contra quod est subsistens, quod non sit hæc numero natura? Quæ est substantia in plures numero naturas indivisibilis, quæ non sit incommunicabilis?* Hîc ait Smiglecius, totam hanc argumentationem fundari in ignoratione metaphysices, quod clarè metaphysici doceant, aliud esse naturam individuam, aliud subsistentem incommunicabilter. Vt autem de incommunicabilitate primùm dicam, fateor, aliter me incommunicabile sumpsisse, quàm quidam scholastici solent, cùm de supposito disputant. Incommunicabile enim interpretatus sum, pro individuo & singulari, respiciens ad definitionem Boëtii, in qua individuum habetur.

Smiglecius in angustias redactus.

Porrò ubi disputat, utrúm natura individua idem sit, quòd natura subsistens, respondeo, me, si in diversis subjectis, & secundùm intellectus operationem, ista considerentur, non inficiari, distincta esse: at si in eodem subjecto accipiantur, eadem sunt. Etsi enim subsistentia a natura intellectu distingui potest: non tamen reipsa, si fuerit subsistens. Quod ad eo verum est, ut illud idem ipse Smiglecius

Quatenus natura individua idem sit, quod natura subsistens.

coactus fuerit pagina sequenti confiteri, dicens, oppositum non nisi per solam Dei potentiam fieri posse.

Dixeram, Smiglecium rationem personæ constituisse, in subsistendo incomunicabiliter. Ad hæc respondet, *me rem frustra involvere, cùm satis ex definitione personæ a se allata constet, non quamcumque subsistentiam incommunicabilem personam constituere, sed eam tantùm, quæ est naturæ intellectualis.* Atqui non ego, sed Smiglecius rem frustra involvit. Nam quid est aliud, cùm dicit, *substantia prima, quatenus subsistit incommunicabiliter, dicitur persona*, quàm rationem personæ in subsistendo incommunicabiliter constituere?

Definitio personę defenditur.

In deductione consequentis argumenti, dictum a me fuit, nihil aliud esse, in unica individua essentia, plures esse personas, quàm esse plures individuas essentias, eò, quòd Persona esset essentia individua intelligens. Quod ultim um arrodit Smiglecius, inquiens, definitionem hanc personæ vitiosam esse. Primùm dico, me tunc nihil cogitasse de persona definienda, qui satis habui, ostendere, cur ab iis contradictio involvatur, qui asserunt, in unica numero essentia plures esse personas. Deinde ajo, me personā rectè definivisse: rationes verò Smiglecii tanti momenti non sunt, ut contrarium ostendere possint. Etenim quid obstat, quò minùs definitio personæ sit, essentia individua intelligens? Num quia anima rationalis, est essentia indidividua intelligens? Atqui non eodem modo est intelligens. Nam persona est intelligens, ut illud, quod intelligit: anima verò, ut illud, quo intelligimus. Quis enim est, qui nesciat, intellectum esse vim illam intelligendi, quâ intelligimus, non secus, quàm animam sensitivā & vegetativam, facultatis sentiendi & vegetandi? Quare cùm dicimus, personā esse intelligentem, seu essentiam individuam intelligentem, intelligimus, intellectu esse præditam, quod de anima rationali, quæ est ipse intellectus dici non potest. Est enim anima rationalis facultas intelligendi. Pergit, *me pro substantia eßentiā, contra omnem Doctorum autoritatem substituere.* Verùm non est inusitatum, essentiam sumere pro substantia. Cujus rei exempla plurima apud Aistotelem habemus, sumentem essentiam pro substantia, idq; ex græco verbo οὐσίας liquidò constat. Longè autem usitatiùs, quàm substantiam, pro subsistentia ab essentia distincta, id est, ratione subsistendi. Quid quid non de quavis essentia locutus sim, sed de intellectu prædita, qualis essentia non est, nisi subsistens.

Anima & persona, diverso modo intelligens.

Essentiam sumi pro substantia.

Ampliùs inquit, *omitti a me id, in quo præcipuè ratio personæ posita est, nempe incommunicabilem naturæ intelligentis subsistentiam.* Si hoc totum intelligit Smiglecius a me omitti, falsum est. Etenim quid est clarius, quàm me dixisse, personā esse naturam intelligentem? Quòd

si de subsistentia quæstio est, an non jam dixi, me non quamvis essentiam, sed subsistentem intellexisse? quia intelligentem asserui, quæ non nisi subsistens esse potest, præsertim si sit, quemadmodum a me additum est, individua. At dicet, me incommunicabile omisisse. Sed ne hoc quidem concedam adversario, quippe quòd individui vocabulo incommunicabile expressi, quod solùm est de ratione personæ. Nam non communicari alteri ad subsistendum, potiùs consequens videtur esse suppositi, quàm de ratione ejus. Est enim quidpiam aliud in supposito positivum, quod incommunicabile suppositum reddit. Ipsum incommunicabile cùm nihil ponat, de ratione suppositi esse nequit. Si quæras, cur suppositum sit incommunicabile, an non necesse est, ut in eo aliquid ejusmodi ponas, unde ista incommunicabilitas profluat? nempe quòd per se subsistat, id quod dixi a me non esse omissum in definitione. Non habuit igitur Smiglecius ullam justam causam, cur me vel arrogantiæ vel temeritatis redargueret? Si quidem definitionem personæ, a doctis & sapientibus viris usurpatam, non rejeci. Vbi enim potiùs id fecissem, quàm in eo loco, in quo Smiglecius personæ definitionem recitat? cùm tamen habuerim justissimam caussam, vel ob id, quòd substantia a natura in definitione superaretur. Tantũ verò abest, ut hoc fecerim, ut eam rectissimã esse judicaverim, eo excepto, quod de natura monui, dicens eam redundare in definitione. Desinat ergo Smiglecius me traducere, &, quod ipse facit, mihi affingere.

Scripseram, Smiglecium debuisse ostendere, qua ratione ex eo, quòd non repugnet, existente unica substantia individua, multiplicari subsistentias, sequatur, non repugnare, multiplicari quoque personas, cùm pueris in scholis notum sit, aliud esse subsistentiam, aliud personam. Hìc Smiglecius inquit, *nimis acutos pueros esse oportere, qui, priusquam Grammaticam norint, quid inter personam & subsistentiam intersit, dignoscant.* Quasi nequeant ii, qui in scholis dant operam literis, pueri vocari, licet paullò sint adultiores, & gravioribus studiis occupentur: cùm etiam olim apud Romanos pueri ad decimum septimum annum vocarentur, ut ex bonis autoribus constat. Illud certè ridiculum est, *Si a pueris didicit, aliud esse subsistentiam, aliud personam, meritò hanc doctrinam, tanquam puerilem, a viris doctis esse reiiciendam: quippe communi & declamatæ definitioni personæ contrariam*, ridiculum, inquam, istud est. Nunquid enim Smiglecius censet, personam idem esse quod subsistentiam, ut, qui contrarium docet, puerilem doctrinam proponere cẽseatur? Cur igitur subsistentia generis locum tenet in definitione personæ, si non aliud est subsistentia, aliud

Quinám pueri appellari possint.

Ridiculum dicit Smiglecius.

a, aliud persona? Num idem per idem definiet? Cur mox addit, personam esse subsistentiam, non quamvis, sed incommunicabilem, eamque naturæ intellectualis? An hæc non declarant, aliud esse personam, aliud subsistentiam? Sed & hîc proculdubio Smiglecius, in vocabulo *aliud* sophisticatur, ita illud intelligens, ac si a me dictum fuisset, prorsus aliud esse, nec ullam inter se cognationē habere, idquod ne somniavi quidem. Aliud enim illud intellexi, quod non est prorsus idem, id est, quorum alterum altero latiùs patet. Significant hoc verba mea, quæ illico ibi subjicio: *est subsistentia, quæ non est persona, etsi non contra: ideoq; a personis ad subsistentias: non vice versa procedit argumentum.*

Miror autem, Smiglecium audere dicere, eam doctrinam, quæ discrimen inter subsistentiam, & personam statuit, declamatæ & communi definitioni personæ repugnare, quasi constet ex declamata personæ definitione eadem esse? Atqui declamata definitio substantiæ non subsistentię nomen retinet: utq; retineret, latiùs tamen subsistentia patet, ac proinde idē esse simpliciter cū persona nequit.

Restat contradictio, quam Smiglecio opposueramus, quæ est, fore eodem tempore unicam individuam substantiam, & plures individuas substantias. Ad hanc respondet Smiglecius sic: non contradictionem hanc esse, sed ignorantiam. *Et enim,* inquit, *lex contradictionis est, ut secundùm eandem rationem res eße, & non eße dicatur. At si multiplicentur personæ, una numero natura existente, secundùm aliud natura dicetur una, secundùm aliud multiplex. Vna secundùm eßentiam indivisibilem in plures naturas: non una secundùm naturæ subsistentiam, in quo propria ratio personæ posita est.* Offundit Smiglecius veritati tenebras, fingens quicquid ipsi libet. Nam cùm ait, secundùm naturæ subsistentiam, in quo propria ratio personæ posita sit, non fore unam, quis non videt, pro concesso Smiglecium sumere, personam esse distinctam ab essentia, ita ut hæc non sit de ratione personæ? Atqui hoc est falsissimum. quippe quòd nulla persona sit, quæ non simul sit essentia, estq; de ratione personæ essentia, unde ista contradictio manat. Subsistentiam porrò, non aliam Smiglecius significat, quàm quæ essentiæ opponitur: utque falleret lectorem, loco personæ, subsistentiam substituit. Quid nobis cum subsistentia? Reponat loco subsistentiæ personam. Subsistentia, distincta ab essentia, non est persona: audacterque affirmat, rationem personæ positam esse in subsistentia. Subsistentia propriè est ratio substantiæ, quæ si fuerit individua, propria est suppositi seu substantiæ primæ. Personæ verò ratio etsi nequit esse absque subsistentia, quatenus nequit esse absque substantia: tamen præcipuè posita est in intellectu, qua de re monuimus in

Smiglecius loco personæ subsistentiam astutè ponit.

priore disputatione Smiglecium. Ac ex his videre est, quàm frustra glorietur, se palmam obtinuisse, me judice, qui affirmaveram, bellam ejus responsionem fore, si constet, subsistentiam esse quid a natura distinctum. Ludit enim fallaciâ æqui vocationis, cùm ab ea subsistentia, quam in definitione personæ substantiæ nomine appellaverat, eæque incommunicabilis, recurrit ad eam subsistentiam, quæ ratio subsistendi dicitur. Prior enim nequit esse alia, quàm essentia individua subsistens. Hanc subsistentiam, pro essentia individua subsistente sumptam, diximus, non esse a natura seu essentia distinctam: non illam, quam pro ratione subsistendi in hac disputatione Smiglecius sumit. Talis subsistentia non est incomunicabilis, pars substantiæ existens.

Æquivocatio Smiglecii in voce subsistentia.

Secundum argumentum effert Smiglecius ad hunc modum: *Substantia prima non est in subjecto, neque dicitur de subjecto, teste Aristotele in prædicamento substantiæ. At si una numero essentia esset communis multis personis, inesset multis subjectis, & diceretur de multis subjectis.* Vbi primùm in antecedente propositionis commutat substantiam primam, cum una numero essentia: cùm nos de sola substantia prima verba faciamus. quæ, etsi est una numero essentia, non tamen omnis: sed quæ per se subsistit. Deinde consequens conjunctim sumit, quod erat disjunctim efferendum. Vis enim argumenti, pro parte nostra allati, hæc est: Si substantia prima pluribus esset communis, aut esset communis, quòd in illis pluribus inesset, per modum accidentis, aut, quòd de illis pluribus, tanquam inferioribus diceretur. Atqui neutro modo inest, cùm substantia prima, neque in subjecto per modum accidentis insit; neque de subjecto dicatur. Ergo substantia prima pluribus communis non est; ac consequenter, nec pluribus personis.

2. Argumentum.

Smiglecius Argumentum ex parte cõmutat.

Ad hoc argumentum respondet Smiglecius, concedens, primam substantiam neq; inesse in subjecto, per modum accidentis scilicet, neq; eandem dici de subjecto: nihilominus tamen ait, substantiam primam (quanquam de natura individua loquitur) prædicari posse de seipsa. Et hoc modo sentiendũ esse inquit, de natura individua seu substantia prima, quòd nõ dicatur de persona, ut de subjecto, sed ut de seipsa. cùm persona sit natura ipsa individua, quatenus est subsistens incõmunicabiliter; foreq; hanc prædicationem naturæ individuæ, de seipsa, ut subsistente, non verò de alia natura, sibi subjecta. Ait præterea idem Smiglecius, substantiæ primæ non omnem inexistentiam repugnare, sed eam duntaxat, quæ est in subjecto per modum inhæsionis. Hæc Smiglecius. Quibus verbis videtur Majorem ar-

Responsio Smiglecii.

sem argumenti impetere. Nam cùm ait, substãtiam primam, sive naturam individuam, non dici de subjecto: nihilominus tamen prædicari de seipsa, ut subsistente, ostendit tertium modum prædicationis, qui diversus sit ab eo, quo accidentia de subjectis, quibus inhærent, aut superiora de inferioribus, prædicantur, nimirum de seipso prædicari: & hunc modum primis substantiis tribuit. Atqui nos non agimus de ista prędicatione, quæ identica appellatur, estque impropria, & a logicis neglecta, sed de prædicatione superiorum de inferioribus. id quod satis liquet ex eo, cùm dicimus, substantiam primam non esse communem pluribus. Illud enim, quod de seipso prædicatur, non est pluribus commune, sed est ipsum. Ergo ostendat Smiglecius, primam substantiam posse, sive simpliciter de pluribus, sive de pluribus personis prædicari: nec tamen de ea verè dici, quòd de subjecto non dicatur. Errat porrò & hîc Smiglecius, cùm inquit, naturam individuam, dum prędicatur de persona, de seipsa prædicari: eò, quòd de seipsa natura individua, ut subsistente, prædicetur. Etenim nõ simpliciter de seipsa prædicatur, sed ut de re alia sibi subjecta, & inferiori, quod ipsum dicit Smiglecius esse, dici de subjecto. Et rectè quidẽ. Natura enim individua, prædicatur de subsistente, natura individua De alia igitur natura sibi subjecta, & inferiori prædicatur. Quoties enim aliquid de seipso per differentiam limitato prædicatur, de alia natura, sibi subjecta & inferiori prædicatur. Iam inferior est natura subsistens, quàm natura individua: nec idem est natura individua subsistens, quod natura individua, sed alterum altero latiùs patet. Ita se habent omnia superiora, quæ dicuntur de subjecto dici. Animal, cum dicitur de homine, prædicatur de seipso, non simpliciter, sed de seipso rationali. Homo prædicatur de Petro seipso inquam: verùm ut individuo & singulari. Prędicatur igitur substantia prima de persona, sed tanquam de subjecto, id est, de alia natura sibi subjecta, & inferiori. Quis enim non intelligit, aliam esse substantiæ primæ: aliam personæ rationem, ac proinde naturam?

Refutatio responsionis.

Quod attinet verò illud, ubi ait Smiglecius, non omnem inexistentiam, primæ substantiæ repugnare: dico, ne nos quidem id velle. Neque enim illud est in quæstione, utrúm prima substantia, si prædictis duobus modis non insit, per modum nimirum, accidentium, aut superiorum in inferioribus, omnino non insit? Verùm quæstio est, si, illis duobus modis non insit, quomodo possit ita esse communis pluribus, ut de illis prædicari valeat? Quicquid enim prædicatur de alio, aut inest illi, ut accidens commune, vel proprium: aut illius est genus, species, vel differentia. Cæterùm nihil dubitamus, primas substantias inesse

inesse secundis, ut ait Philosophus in Categoriis: non tamen ita insunt, ut queant de pluribus prædicari.

TERTIUM ARGUMENTUM fuit. *Demonstratâ hâc numero essentiâ hominis, demonstrátur persona hominis.* Quod argumentum nũc Smiglecius repetens, omittit vocem *hominis*. Statuit enim nos in vocabulo *demonstrata* vim argumenti collocare. Hoc consilio proculdubio vocem hominis præterit, quòd, cùm in priori disputatione concederet, rem ita se habere, quòd nusquam hęc numero essentia, nisi subsistens ipso teste inveniretur, pessimè causæ suæ consuluisse, visus est sibi. Itaq; cùm ait, se negare consequentiam, nec sequi, si demonstrato uno, demonstretur & aliud, fore duo illa unum, non est, quod ad hæc respondeamus, cùm argumenti nostri vim Smiglecius non infringat. Etenim non ex eo, quòd, demonstrato uno, demonstretur & aliud, concludimus, illa duo esse unum: sed quòd hæc numero essentia hominis, sit illa ipsa persona hominis. 3. Argumentum. *Smiglecius aliter argumentũ format.*

QUARTUM ARGUMENTUM fuit. *Cùm dicimus hoc numero, excludimus plura: ergo & cùm dicimus hanc numero eßentiam, plures personas excludimus.* Cùm autem diceret in priori disputatione Smiglecius, hoc numero, excludere plura, non plures subsistentias, respondi, plures subsistentias, esse plura numero. nunc igitur Smiglecius sic recitat argumentum. *Ergo cùm dicimus hanc numero eßentiam, excludimus plura numero, ac proinde plures personas: quia personæ sunt plura numero.* Quod argumentum ita solvit, ut dicat, *totum æquivocatione vitiosum eße. Numerum enim & unitatem poße spectari, tum in eßentia, tum in subsistentiis: & sicut subsistentia & eßentia non sunt idem: ita nec unitatem, aut numerum eßentiarum, eße idem cum unitate, & numero subsistentiarum.* Sed potiùs Smiglecii responsio æquivocatione laborat. Quis enim non videt subsistentiam a Smiglecio non eam intelligi, quæ dicitur de persona, id est, essentiam subsistentem individuam, sed rationem subsistendi distinctam ratione ab essentia? Verùm persona non est talis subsistentia, sed est essentia individua subsistens. id quod in responsione ad secundũ argumentũ, ipse fassus est Smiglecius, dum ait, personam esse naturam ipsam individuam, quatenus est subsistens incommunicabiliter. Hæc igitur una numero essentia excludit plures personas, quia excludit plures numero essentias. Nam excludere plures numero essentias, & non excludere plures personas, est, non excludere plures numero essentias, eo posito, quod jam diximus, ipsum Smiglecium fateri, personam esse naturam ipsam individuam, incommunicabiliter subsistentem. Smiglecius igitur, ut diximus, æquivocatione ludit, dum subsistentiam, loquens de persona, 4. Argumentum. *a Smiglecio reci formatum.* Responsio Smiglecii. Refutatio responsionis.

non ita ſumit,prout ſumenda eſt. Quid enim ſtultius & ineptius eſt, quàm dicere, perſonam eſſe rationem ſubſiſtendi? cùm ratio ſubſiſtendi non ſit ens completum,quale ens debet eſſe perſona.Cætera, quæ hoc loco otiosè Smigl⁹: differit,brevitati conſulens,miſſa facio.

5. Argumentum.

QUINTUM ARGUMENTUM eſt, *non poteſt fieri, ut hic homo, nempe Socrates,ſit alius a Socrate diſtinctus. Ergo non poteſt fieri,ut in una numero eßentia ſint plures perſonæ.* Hîc quoque Smiglecius, more ſuo, nudam ſolutionem affert, eamque novam, ne uno quidem verbo attingens,quæ ad ſolutionem ejus cōvellendam attuleram.Ad finem ſolutionis argumenti ſcribit, tam futilia eſſe, quæ ſcripſi,ut non ſolùm refellere,ſed referre quoque eum ea pudeat.Quod quàm verè dictum ſit, relinquo æquo lectori judicandum. Iam oracula Smiglecii audiamus. *Si vox,* inquit, *alius referatur ad hominem,ſic verum eſt, non poße fieri hunc hominem, ut hic homo eſt, nempe Socrates, ſit alius homo.Id enim contradictionem implicat: Si verò referatur vox alius ad ſubſiſtentiam vel perſonam, ſenſus erit, hunc hominem eße quoque aliud ſubſiſtens, & aliam perſonam.* Concedit Smiglecius, hunc hominem, nempe Socratem, non poſſe eſſe alium hominem, quàm Socratem: attamen ait, poſſe eſſe hunc hominem aliud quoque ſubſiſtens,& aliam perſonam. Sed quid hoc eſt aliud, quàm dicere,hunc hominem non eſſe hunc hominem,hucq;Socratem,non eſſe hunc Socratem? Et enim ſi hic homo eſt,Socrates, rurſus hic homo eſt aliud quoque ſubſiſtens & alia perſona,quàm Socrates,quis non intelligit,dum hoc aliud ſubſiſtens,& hæc alia perſona non eſt Socrates,hunc hominem non eſſe hunc hominem,hucq;Socratem, non eſſe hunc Socratem? Quod ita verum eſt, ut Smiglecius habeat neceſſe ad abſolutam Dei potentiam recurrere,per quam,ait,poſſe fieri,ut Socrates ſit alia perſona,&aliud ſubſiſtens.Cùm tamen in priori diſpuatione Smiglecius aſſeruerit, ea, quæ contradictionē involvunt, a Deo fieri non poſſe.

Smiglecius novam ſolutionem affert.

Refutatio ejusdem.

6. Argumentum.

VLTIMUM ARGUMENTUM ſic proponit: *Si filius ſit unus Deus cum Patre, conſequitur, Filium eße Patrem.* Ad hoc argumentum Smiglecius reſpondens dixerat, Filium cum Patre eſſe unum eſſentiâ, non autem ſubſiſtentiâ. Contrà nos negavimus,eſſentiam diſtinctam eſſe a ſubſiſtentia, ad quod probandum uſi ſumus hoc argumento: Subſiſtentia ad prædicamentum ſubſtantiæ refertur. ergo aut ad primam ſubſtantiam,aut ad ſecundam.Non ad ſecundam: ergo ad primam. Rurſum, prima ſubſtantia eſt eſſentia individua. Quare quoque ſubſiſtentia eſt eſſentia individua.Hîc Smiglecius inquit,me meam ignorantiam prodere. Verùm quid ita? *Ea enim,* ait, *quæ per ſe ponuntur in prædicamentis,ſunt naturæ & eßentiæ genericæ,ſpecificæ,numericæ*

Reſponſio Smiglecii.

Refutatio illius.

Defenſio Smiglecii.

mericæ: modi verò, differentiæ, partes, non per se ponuntur in prædicamentis, sed reductivè, ut omnes nôrunt, qui Logicam vel primis labris degustârunt. Cùm igitur subsistentia non sit eßentia, sed modus quidam eßentiæ individuæ, quo eßentia invidua subsistere dicitur, non est neceße, ut sit vel prima, vel secunda essentia, sed satis est, quòd sit primæ eßentiæ modus. Adscripsi integra verba Smiglecii, ex quibus cognosci possit, quàm æquivocationibus & sophisticis responsionibus delectetur, a deo, ut studio eas consectari videatur. Negat, subsistentiam directè ad prædicamentum substantiæ pertinere. Sed quid ego audio? subsistentia, quam Smiglecius in hac disputatione, loco personæ reponit ubique, directè ad prædicamentum substantiæ non pertinet? Ergo neq; persona directè ad prædicamentum substantiæ pertinet. Si vero persona ad prædicamentum substantiæ directè non pertinet, certè neque suppositum. Quod si suppositum a substantia excludas, quid illud est, quod directè in prædicamento substantiæ collocari poterit? Itané suppositum non est ens completum? At est omnium completissimum. Cur igitur indirectè in prædicamento substantiæ? Cur reductivè? An verò suppositum est directè in prædicamento substantiæ? Quid enim non esset, cùm sit illa ipsa prima substantia? Quamobrem igitur personam excludemus à prima substantia, ita ut illam dicamus, non esse directè in prædicamento substantiæ? An verò dicemus, esse non minùs, quàm suppositum, cùm sit ipsum suppositum, intellectu præditum? Rectè quidem. Quidní ergo & subsistentiam, personam denotantem, directè in prædicamento substantiæ, & quidem primæ, reponemus? Nonné hoc est contradictionem implicare? Sed ait, subsistentiam esse essentiæ modum; ideoque non esse directè in prædicamento substantiæ: At est quidē subsistentia, modus ab essentia distinctus: sed non illa subsistentia, quæ de persona dicitur, vel quæ personæ loco a Smigl: reponitur, in tota hac disputatione. Multis enim modis subsistentia dicitur, nunc in abstracto, nunc in vim concreti. Priori modo accepta, est, ratio subsistendi: posteriori, est, essentia ipsa individua subsistens. Sic scholastici docent. Quapropter concedim9, personā esse subsistentiā, pro essentia individua subsistenti sumptam, qua significatione nihil aliud est, quàm prima substantia seu individua: Verùm inficiamur, altera significatione subsistentiā sumptam, esse personam. Quid enim potest alienius esse a ratione, quàm personam esse rationem subsistendi, id est, modum illum, quo subsistimus. Modus enim hic per se non subsistit: imò necesse habet, ut in natura subsistat, quam subsistentem reddit. At persona est quiddam per se subsistens, quia est suppositum, de quo dicitur,

Subsistentiam ad prædicamentum substantiæ pertinere.

Objectio Smiglecii dicitur.

Subsistētiam pluribus modis dici.

Personam non esse rationem subsistendi.

dicitur, quod sit ultimum subjectum, unde etiam nomen accepit. Significare enim, hujus nominis impositores, voluerunt suppositi vocabulo ultimum quidpiam, quod cæteris supponatur, fundamētumque ac fulcrū sit. Abstineat igitur Smiglecius ab ejusmodi puerilibus responsionib⁹, quæ vix exercitii causſâ liceret proferre, nedum in re tam seria: desinat amplius ad vocabulum subsistentiæ recurrere. Neque enim patiemur, subsistentiam, sumptam pro ratione subsistendi, usurpari pro persona, quæ subsistentia nihil agit, nihil intelligit, nisi Smiglecius putet, personam esse rem talem, quæ nec intelligat, nec prorsus quicquam agat, contrà quàm hactenus viri omnes eruditi senserunt, dicētes, suppositorum esse actiones. Talem enim personam esse necesse esset, si ratio & modus subsistendi esset. Cùm hic modus subsistendi non sit intellectu præditus, sed natura, cui iste modus inest. Ex quo consequitur, si credimus Smiglecio, personam esse subsistendi modum, personas divinas, Patrem & Filium nihil agere, nihil intelligere posse: ac proinde nec gubernare, nec preces nostras exaudire; nec nobis providere. Quo quid absurdius, magisque impium cogitari, ne dicam dici potest?

Absurda sententia Smiglecii consequentia.

Ex his, quæ hactenus disputavimus, videre est, frustra Smiglecium asserere, nos hucusque nullam contradictionem ostendere potuisse, in eo, quod adversarii dicunt, unam numero essentiam in multis personis esse. Ita enim certum & manifestum est, in hoc pronunciato contradictionem implicari, ut Smiglecius, qui ad contrarium ostendendum omnes ingenii sui vires contulerat, necesse habuerit, se in mille vertere formas; eoq; tandem progressus fuerit, ut auderet personam fingere, rem quampiam per se minimè subsistentem, rationem scilicet, seu modum quendam subsistendi, qui per se non subsistit; multò verò minùs quicquam agit aut intelligit. Quare fallitur, dum ait, debile hoc esse fundamentum fidei nostræ. Etsi non huic potissimùm fundamento, quanquam sit verissimum, in hac controversia innitimur, sed illi, quòd scriptura sacra nullibi nos doceat, tres personas in unica numero divina essentiâ consistere: imò verò, quòd eadem ea dicat, unde apertè & necessario colligitur, rem aliter se habere. Itaque neque temerarii, neque in Christum blasphemi sumus; nec vim ullam sacris litteris facimus, aut eas ad sensus improprios & violentos torquemus, licet filium Dei in unica Divina natura existere negemus, quem aliàs verum Deum nostrum libenter agnoscimus, & ingenuè confitemur: adversarius est, qui & sacras literas ad sensus improprios & violentos torquet; & nihil nō agit, ut veritatem, luce meridiana clariorem, obscuret & tenebris involvat.

Fundamentū sententiæ nostræ validissimum quoddam.

REFUTATIO

Secundi libri Martini Smiglecii Jesuitæ, quem de erroribus novorum Arianorum inscripsit.

PURGABO hîc crimina a Smiglecio in præfatiuncula nobis objecta, quæ duo sunt: *Nos scilicet in eo totos esse, ut Christo divinitatem partim auferamus, partim mutilam & imperfectam reddamus.* Primùm dico, ineptè ista opponi. Nam, si prius faceremus, jam alterum facere non possemus. Non est enim locus mutilationi, ubi fit ablatio: &, si alterum facimus, prius facere pariter non possumus. Nam qui mutilat aliquid, is hoc ipso illud agnoscit, & proinde non tollit. Deinde, utrumq; falso nobis affingi, cõtendo. Veram enim Christo divinitatem tribuimus, qualis scilicet ei, salvâ sacrâ scripturâ & sana ratione, tribui potest. Nempe quia naturalis divinitas, ut numero una est, sic alteri dari non potest, participata ut tribuatur, necessarium omninò est. Quòd verò mutilam nos ei tribuere ait Smiglecius, in eo non tam nobis, quàm sacris literis injuriam facit. Illæ enim nos docent, Christum nõ fuisse talem semper, dum mortalis esset, qualis nunc est, postquam immortalis ipse & Dominus immortalitatis factus est. Oblectet igitur se, quantum velit, Smiglecius, scommatis suis puerilibus, ne dicam scurrilibus, de Semideo & Semidomino, equidem hinc ingeniũ hominis indies rectiùs agnosco, qui malit malè a se semel dicta pertinaciter & pessimè defendere, quàm moderationẽ aliquã sibi imponere. Addo autem nunc ad id, quod antea de istis vocibus Semideus & Semidominus, per cavillum nobis affictis, dixi, imperitè admodum, nostram de Christo sententiam, his vocibus describi. Nam id, quod in Christo mortali apparuit Deitatis & Dominii, non dimidium ejus, quod nunc habet, sed vix centesima pars censendum est. Habeat igitur, in quo suum ampliùs oblectet genium Smiglecius, dummodo nos vera dicamus.

Smiglecius ineptè loquitur.

Et falsa nobis affingit.

Voces semidei & semidominii cavillis plenæ.

Caput I.

Rectissimè Christi divinitatem potestate illius definiri, docetur.

NEque hîc prolixam a me ad caput hoc responsionem expectes, benevole lector, ob eam potissimùm causam, quòd ea, quę hîc dicuntur, antea in hoc ipso libello dicta sunt & repe-

Causa brevitatis in respondendo.

repetita fero omnia. Quod ad oculum prolixè demonstrarem, nisi ipsemet Smiglecius id fateretur in hoc ipso capite. Demonstrabo tamen aliquid, ne injuriam ipsi fecisse videar. Primùm instituit interrogationem satis ridiculè, quænám sit præcipuè potestas illa, in qua Christi divinitatem collocamus? & pro nobis respondet, eam esse potestatem regendi nos & salvandi: Rursus hoc expendit ita, ut, si potestas Christi, quia est Deo propria, verum eum Deum efficiat, alia etiam supernaturalis potestas omnis verum Deum effectura sit: id verò falsum esse, exemplo angelorum & hominum vel judicum, ostendit. Deinde, diverso nos Deum & Christum modo regere & servare, docet, Christum prædicatione, sanguinem fundendo, sacrificando, interpellando: Deum autem absoluta potestate. Deum item nos servare, ut causam primã: Christũ verò, ut secundariam. Secundò quærit, sitné Christi potestas absolutè tanta, quanta est in Deo, an verò minor & limitata; &, quia, certo modo, minor esse a nobis dicitur, hinc concludit, eum non fore perfectè Deum, nec patri æqualem in divinitate: Rursus repetit, Deum habere potestatem independentem nos servandi, Christum autem dependentem. Hæc verò omnia in capp: superioribus, & præsertim 11. habentur, non tantùm quoad sensum, sed iisdem ferè verbis. Vnam hîc interseruit calumniam & errorem Smiglecius. Calumnia est, dum ait, nos negare, Christum nos verè redemisse: Error, dum ipsemet ait, Christum nobis vitam æternam promeruisse. Hęc nunc non tango. Nam in partis quartæ defensione id abundè fiet. Addidit etiam aliquid valdè stultum, dum, proposita nostra objectione vel affirmatione, nempe Christum nunc nos alio modo regere & salvare, quàm cùm in terris esset, sic ait: *At si sententiam à nobis Catholicam rogent, dicimus &c.* Quasi sententiâ Pontificiorum solvantur objectiones.

Calumnia error & ineptia Smiglecii.

Tertiò a nobis quærit, an Dei, regis & redemtoris nomina confundamus, ac pro eodem habeamus? Respondemus, nomina ista, per se considerata, distincta esse: at in Christi persona quodammodo pro eodem haberi. Nam quia Deus est noster, ideo etiam Rex est, & quia Rex noster est, nempe cælestis, Deus etiam noster est: & quia Deus vel Rex noster cælestis est, redemtor etiam noster est; & quia redemtor est noster, Rex noster & Deus noster est. Quod ad verba Thomæ attinet, is Christum, Dominum suum & Deum suum appellavit, non ut indicaret, aliquid aliud voce Dei comprehendi, quàm Domini: sed ut qualitatem dominii Christi, quod in eo agnoscebat, exprimeret, quòd scilicet Christus non esset Dominus, qui mundano, sed qui divino modo esset dominaturus. De quo divino Christi dominio alibi

Cur Christus Dominus & Deus à Thoma appellatus.

alibi a nobis explicatum est. Potissima illius pars hæc est: Quòd non tantùm in corpora, sed etiam in animas imperium habet absolutissimum. Restat igitur firmum, Christum ob potestatem sibi traditam Deum nostrum appellari.

In quo divinum Christi dominiũ consistat.

Caput II.

Potestatem Christi, dum mortalis esset, non perfectam fuisse, ostenditur.

NOs unà cum sacra scriptura asserimus, Christum, ante suam exaltationem, perfecta potestate præditum non fuisse: arguměta etiã hujus rei afferimus clarissima, eaq; non pauca. 1. Mortalis enim fuit. qui verò mortalis est, is mori potest: qui mori potest, is esse desinere potest: qui esse desinere potest, quomodo perfectam potestatem habere potest? 2. Spiritum S., qui est arrhabo hæreditatis fidelium, dare non potuit. Nam nondum erat Spiritus S. ait D. Ioannes, quia Christus nondum erat glorificatus. 3. Immortalem neminem efficere potuit. Nam, quod quis non habet, id alteri dare nequit. 4. Nec in omnes homines potestatem habuit. Nondum enim evaserat Rex gentium; nec in eos, in quos potestatem habuit, absolutam potestatem habuit. Nam vitam eis immortalem dare non potuit, ut modò dictum est. 5. Nec in dæmones. Nam per mortem demum Diabolum abolevit, &, per mortem eum ejiciendum esse, Christus ipse dixit. 6. Nec in angelos. His enim minor fuit, & ab eis confortatus. Quæ omnia sunt sacræ scripturæ testimonia, & ex illis petitæ rationes evidentissimæ.

Rationes, cur Christus dũ mortalis, perfectam potestatem non habuerit.

Smiglecius, qui contrarium sentit, primùm ex scripturis id probare contendit, deinde ad nostra respondet. Et quod ad scripturas attinet, in hoc cap: sex loca examinat. Videamus iterum, quo successu. Nam & antea in responsione ad Monstra id dictum a nobis fuerat, quod ad refutandum Smiglecium abundè sufficere potest.

Locus. 1. est: *Omnia, quæ pater habet mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Hîc nos, vocem *omnia* restringendam esse, dicimus, ut alibi fere ubique. Rationes addimus, quia Christus tunc, ex mente Smiglecii, non habuerit personam Patris, vel non fuerit persona Patris, ac proinde potestatem etiam generandi non habuerit: ex mente autem veritatis & nostra, immortalitatem, quam Pater, tum non habuerit. Quæ per se sunt manifestissima. Quænám verò ista omnia sint, explicamus etiam in Catechesi nostra, nempe ea, quæ Spiritus S., ad Christi regnum pertinentia, esset revelaturus Apostolis, vel quę

Locus Ioan: 16. explicatur.

Cur vox *Omnia*, in hoc loco restringenda.

ad Christi regnum pertinent. Sciat autem obiter Smiglecius, Catechesin nostram non esse Socini,ut eam appellat Smiglecius.Nam,ipso jam defuncto,conscripta demum fuit : quanquam nos, istum virum nobis,ad multa sacrarum literarum mysteria rectiùs intelligenda, facem prætulisse , non diffitemur. Sed jam responsionem Smiglecii audiamus.Primùm ait,*hic sermonem eße de omnibus rebus ad Evangelium spectantibus, quas Spiritus S. accepturus erat a Patre ad revelandum Apostolis.* Sed dum hoc dicit, nobiscum facit, & seipsum destruit. Deinde ait, *agi, ex quònam fonte hanc omnem veritatem sit accepturus,hoc est,ex fonte filii & patris.*Concedamus & hoc.Tertiò ait, *fontem illum aliud nihil eße, quàm Dei sapientiam, hanc eße fontem omnium veritatum.* Largiamur & illud. Miramur autem,Smiglecium ita eminus nobiscũ agere & non statim ad rem accedere: sed feramus hanc morã. Quartò ait: *Fontem hunc suũ quoque appellare Christum,& probare eo argumento: omnia, quæ Pater habet,mea sunt,ubi particulare ex universali deducit.* Demus & hoc quartum. Quid tandem concludit adversus nos Smiglecius?*Sicut fons, ait, hic sapientiæ est meus, quia est Patris, ita & cætera omnia mea sunt, quia sunt Patris, nempe & potestas & bonitas & æternitas.* Hîc jam subsistere jubemus Smiglecium. Nec enim concedimus, Christum, dum loquitur de omnibus, quæ Pater habet, de universali absolutè accepto loqui. Nam ad demonstrandum, Spiritum S. accepturum tam de Christi quàm de Patris fonte, satis est, ea omnia, quæ,ad salutem pertinentia,habet Pater, Christi esse, non verò omnia absolutè. Et non minùs universale id dici potest, quod omnia sui generis, quàm quod omnia absolutè comprehendit, licet hoc illo latiùs pateat. Itaq;, etiamsi potestatis & bonitatis etiam possessio hinc inferri possit: tamen non aliter id fieri dicendum est, quàm quatenus illa bonitas ad regnum Christi vel Evangelium vel salutem æternam pertinet.Ad hoc autem,non illa naturalis Dei potestas & bonitas requiritur : sed participata sufficit, si tanta sit, quanta est in Christo Iesu. Æternitas autem, nempe a parte ante, ut loquuntur,ut prorsus huc non facit, ita nec nominari debuit. Nec enim istâ ad regnum Christi vel salutem æternam administrandam opus est. Cùm Deus per id, quod initium habuit, efficere omnia, quæ velit, possit. Itaq; concedere etiam possumus, quod vult Smiglecius, hîc sermonem esse de omnibus divinis perfectionibus, quas Pater habet: sed iterum,istas omnes divinas perfectiones eatenus considerandas esse,dicimus,quatenus ad res,quæ ad Evangelium spectant, (ut ipse Smiglecius antea fassus est) referuntur. Et sic nihil

istâ

Responsio Smiglecii examinatur.

Smiglecius ambagibus utitur.

Vniversale dupliciter considerari potest.

Per id, quod initium habet, salutem administrare Deum posse.

ista deductione effecit Smiglecius. Firma enim manet Christi argumentatio, si per vocem *omnia* omnes divinæ perfectiones, quæ ad Evangelium vel regnum Christi pertinent, intelligantur.

Vnde similiter constat, quanti sint facienda ista tria, quæ, ex hoc Christi argumento inferre se adversus nos, ait Smiglecius. Nam quod primùm ait, *eodem modo posse concludi, potestatem Patris esse Christi, quia omnia, quæ Pater habet, Christi sint*, id verum esse concedi potest: sed ea cum conditione, quatenus ista potestas ad Evangelium & ad regnum Christi pertinet, ut antea diximus. Alterum verò, *quòd omnes divinas perfectiones Christū habere*, ait, *quas habet Pater*, falsa vocis *omnia* acceptione, & nimis lata ei attributa universalitatis significatione, nititur. Vniversale autem & illud dici potest, quod respectu omnium, quæ ad illud pertinent, & ejusdem sunt generis, tale est. Tertium verò, *quòd omnia, quæ Pater habet, eadem numero habeat omnia Christus*, prorsus ineptum est. Nam etiamsi, qui de bonis filii accipit, de Patris bonis accipit: tamen acceptio ista, aliter ratione Patris, & aliter ratione filii, intelligi potest. Quemadmodum etiam bona eadem duplici modo possideri possunt. Potest enim unus habere bona, naturâ & ex seipso: alter ex gratia. Vnde etiam Christus, quod hîc apprimè observandum est, non dicit: Omnia, quæ Pater habet, mea sunt, *eodem prorsus modo*, quo sunt Patris: sed tantùm sua esse omnia ait, quæ Pater habet, modum hîc non explicans, quo omnia sint sua. Hic verò alibi satis superq; explicatus est tum à Christo tum ab Apostolis, nempe beneficio Patris, quod certo tempore & certa de causa in Christum contulit.

Tres Smiglecii illationes perstringuntur.

Christus omnia habet, quæ Pater, sed alio modo.

Ita Smiglecius, absoluta hujus loci explicatione, quæ qualis sit, consideret lector, rationes etiam nostras, quibus, verba Christi non prorsus universaliter accipienda esse, docueramus, refellere annititur. Et ad primam respondet, *sermonem esse de iis, quæ habet Pater, seu de bonis Patris, non dici autem Patrem habere seipsum & suam personam, sed esse suam personam*: Sed verborum ambiguitate rem obscurat. Quis enim non videt, dici etiam posse, Deum habere ea, quæ in essentia illius considerari possunt. ut cùm dicitur, Deum habere suam subsistentiam, Deum habere suam essentiam, etiamsi Deus sit subsistentia & essentia. Et mirum est, Smiglecium, distinguendo has loquendi formas, declinare velle vim rationis nostræ, qui tamen ipsemet confiteri necesse habet, ex suo etiam sensu, idem esse, cùm de Deo dicitur, eum habere sapientiam vel potentiam, & Deum esse sapientiam & potentiam.

Deus ea etiam habere dicitur, quæ in ipsius essentia considerantur.

Ad alte-

Ad alterum verò responsurus, doctrinam Theologorum ascribit, nempe Pontificiorum. Quod istud est asylum Smiglecii ultimum, sed quàm parum tutum, jam antea demonstratum est non semel. Sed audiamus tamen istam doctrinam, ut quales isti sint Theologi, indies rectiùs perspiciamus, & a fermento illorum tantò accuratiùs nobis caveamus. *Omnis*, ajunt, *potentia, quæ est in Patre, est in filio, secundùm omnem suam perfectionem: sed illa potentia, ut est in Patre, est generativa, & prodit in actum generandi, in filio verò non est generativa, nec prodit in actum generandi, non ex defectu virtutis, sed quia ut est in Patre, est actuata adæquatè: & per eam re ipsa genitum est totum, quod generari potuit, ita ut ampliùs per illam nil generari possit. Quare sicut per eam non potest generare alium filium, præter eum, quem ab æterno genuit: ita nec filius per eam potest generare vel seipsum vel aliquid aliud.* Attendite Theologiam insulsam & prorsus brutam, quæ & quidvis dicere de Deo non erubescit, & illud hominibus absq; ulla probatione credendum obtrudit. Quomodo enim verum est, potentiam omnē, quæ est in Patre, esse in filio secundùm *omnem* perfectionem, si potentia Patris generare potest, filii non potest? An non sunt ista contraria, imò contradictoria: omnem potestatem habere, quam alius habet; & tamen non omnia posse, quæ idem alius potest? Quomodo etiam verum est, Patris potestatem esse perfectam, quæ non possit quicquam præter unum filium generare? Aliquid enim non posse, quod nullam contradictionem implicat, & potestatem perfectam habere, iterum sunt contraria & contradicentia: At, contradictionem implicari, si Deus dicatur alium etiam generare, nemo intelligens dicturus est. Præterea, cur filius, qui potest spirare alium, qui sit persona, nempe Spiritum S., non potest alium generare, qui sit persona? Cur est cōmunis filio cum Patre spiratio, & non generatio? Porrò Spirit⁹ sancti quænám erit potentia divina? Certè eadē secundùm omnē perfectionē, quę Patris & filii. Cur verò is nec generare alium nec spirare potest, qualē generat Pater, & qualem cum Patre Filius spirare potest? Sed pudet me istis nugis examinandis incumbere.

Potentiam non omnem esse in Filio, quę est in Patre.

Smiglecius non agnoscit perfectam in Deo potestatem.

Absurda sententia Smiglecii.

Has tamen exemplo illustrare, cùm ratione demostrare non posset, voluit Smig: Videamus & illud: *Sic dicimus etiam*, ait, *Deum postquam creavit mundum, non posse illum ipsum mundum creare, quandiu est; non quòd virtute creandi careat, sed quia jam creatus est, non potest autem creari, quod est, sed quod non est.* Sed hoc exemplum & ad rem non facit. nunc enim disputatur, an omnis potentia Patris sit in Filio, quæ in Patre est, si quidem Pater generare potest alium, filius non potest,

poteſt; & per ſe valdè ineptum eſt. Mundus enim alius creari poſſet, hoc deſtructo: at filius, nullus alius generari poteſt, quia nondum unus revera generatus eſt, ſed adhuc generatur, & in æternum generabitur, ut ipſe Smiglecius fatetur in ſuo de Baptiſmo libro. Hanc Theologiam ſibi habeat Smiglecius: nobis verò concedat, Apoſtolicâ gaudere, in qua omnia ſunt plana & ad ſingulorum captum accommodatiſſima, præſertim ea, quæ ad ſalutem prorſus ſunt neceſſaria. Cap:9.

Tertium denique refutaturus, pro autoritate ſua, ſolùm id innuit, Chriſtum habuiſſe immortalitatem in divina natura; & verba illa Ioh:16., non ſecundùm humanam naturam eſſe aacipienda. Sed quis tandem futurus eſt finis hujusmodi ſcriptionibus ineptis & imperioſis? Nihil nunc aliud a me docetur in toto hoc libro, quàm Chriſtum divinam naturam non habuiſſe: et tamen mea argumenta ſolvit diſtinctione naturarum, & proinde poſitione divinæ naturæ, Smiglecius. Nos quidem, dum iſta audimus dici a viris tam eruditis, confirmamur vehementer in eo, quòd nihil adverſus noſtram confeſſionem afferri poſſit ampliùs, quo refutetur. Faxit Deus, ut & alii idem agnoſcant. Nā quæ hæc eſt religio, quæ defendi non poteſt, niſi perpetuò ſumat pro conceſſo, quæ ſunt in controverſia? Hoc enim perinde eſt, ac ſi idem pars & judex eſſe velit, quo nihil abſurdius cogitari poteſt aut iniquius. Et hactenus de primo loco.

Sumendo id, quod eſt in quæſtione, argumēta non ſolvi.

Secundus locus eſt Ioh:17.2: *Sicut dediſti ei poteſtatē omnis carnis, ut, quos dediſti illi, det eis vitam æternam.* Hîc dicim⁹, non neceſſe eſſe, ut vox *dediſti* pro datione reali accipiatur. Solet enim, de rebus certò & brevi futuris, ita loqui ſcriptura, ac ſi præteritæ eſſent, ut ex loco Pauli videre eſt; idq; ad refellendum Smiglecium ſatis eſt. Niſi enim probet certis rationibus, hîc de reali datione ſermonem eſſe, nihil proficit. Sed præterea rationem addimus, obquam putamus, ita ſe rem habere, ut nos ſentimus, quæ eſt, quòd Chriſtus tunc temporis, poteſtatem omnium hominum reipſa habere non potuerit, & porrò non habuerit, quia ad ſolos Iudæos miſſus erat; gentes verò, non niſi poſt exaltationem Chriſti, ad eum vocatæ fuerint. Smiglecius reſpondet, in loco ad Timoth: additum eſſe, *ante tempora ſecularia*, unde colligatur, non reipſa ſed per prædeſtinationem datam eſſe gratiam: at hîc ſimpliciter dici, quòd dederit Pater. Sed primùm nō advertit Smiglecius, ſe unà cum aliis, qui hîc ſœpiſſimè & graviſſimè impingunt, ex me, qui nunc reſpondentis partes tueor, tacitè argumentantem facere. Nec enim ego ex eo, quia alibi vox *data* accipitur pro prædeſtinata, concludo, hîc etiam eam ita accipi: ſed

Locus Ioan: 17. explicatur.

Dari, pro prædeſtinari accipitur.

2. Tim: 1. 9.

Error inſignis Smiglecii.

tantùm excipio, non necesse esse, ut, quia aliquid datum sit alicui, concludatur, id reipsa ei datum esse; & quia mera vis argumenti est in voce *dandi*, satis factum est a me Smiglecio, dum locum attuli, in quo, vocē *dandi* significationem prædestinandi habere, ipsemet Smiglecius fatetur. Quod verò ait, verba, *ante tempora secularia*, indicare, ibi vocem dandi prædestinationem significare, id ad rem non facit. Nec enim nunc quæritur, cur vox aliqua hanc vel illam significationem habere possit, sed simpliciter an habeat: imò pro me id facit, quòd locum talem attulerim, ubi statim verba, addita ad vocem *dandi*, indicant, eam pro prædestinatione accipi posse. Quod idem etiam in altero a me adducto exemplo (quod nescio quo fine Smiglecius omiserit) apparet. Ibi enim nemo non videt, vocem *elegit* prædestinationē eligendi significare, idq; constare ex verbis additis, *ante constitutionem mundi*. Iam, etiamsi causa in loco Ioannis nō sit ita expressa, ut in locis citatis, cur possit vox *dandi* accipi pro prædestinatione: eam tamen reipsa suppeditari, docueram. Quomodo enim is omnis carnis potestatem reipsa habere potuit, cujus potestati nondum erant subjectæ gentes extraneæ, & qui ad solos Iudæos tum pertinebat?

Ephes. 1. 4.

Respondet Smiglecius, *non esse necesse, ut Christus habeat in omnē carnem potestatem, ut actu illam exerceat, & ut omnis caro actu sit illi subjecta, sed satis esse, si jus & potestatem ad subiiciendum sibi omnes reipsa habeat. Alioquin ne nunc quidem Christum potestatem habere omnis carnis, quia non omnia ei sint subjecta: nec ipsum etiam Deum, ut pote cui non omnis caro sit actu subjecta.* Sed fallit Smiglecius. Non hoc enim a me dicitur, Christum, quia actu non exercuerit potestatem, illam potestatem non habuisse. hoc enim & ipse, suo loco, doceo & urgeo adversùs ipsum Smiglecium & alios: sed negatur, Christum tunc potestatem exercere potuisse in omnem carnem, etiamsi voluisset. Quod nunc nec de Christo, nec de Deo dici potest. Nunc enim Christus posset exercere actu potestatem in omnem carnem: at non vult hactenus, tunc etiamsi voluisset, exercere eam tamen non potuisset. quia scilicet nondum illi erat data ista potestas, sed tantùm prædestinata.

Christus ante mortem potestatem in omnē carnem non tantùm non exercuit, sed nec exercere potuit.

Quæ verò hîc addit Smiglecius de verbis Christi Matth: 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, ea nihil juvant Smiglecium, imò adversùs eum pugnant. Nam & ibi vox *data* prædestinationem significare potest. Nam cùm in mundum iterum introduxit Deus primogenitum, dixit demum: *& adorent eum omnes angeli Dei*, & dexterâ Dei exaltatus, demum effudit Spiritum S. Christus, ut alia taceam. Christum verò potestate sibi reipsa data uti tunc cepisse, dicens,

Cur Mat: 28. vox *Data*, prædestinationem significet.

cens, *Euntes docete omnes gentes*, legesque vitæ & mortis æternæ statuisse: *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*, valdè frivolum est. Verè enim Christus aliquid præcipere potuit & decernere, respectu potestatis propediem sibi dandæ, ut legimus illum ab initio muneris sui talia dixisse, cùm tamen nimis constaret, eum omni potestate non fuisse præditum. Nam si tunc fuisset ea præditus, quomodo paulò ante ascensionem dicere potuisset, data est mihi? Nihil nunc dico, quòd Smiglecius ita verba Christi allegavit, ac si in uno loco apud eundem Evangelistam haberentur, quod tamen secus se habere manifestum est, & proinde, si nullius alterius gravioris vitii, negligentiæ saltem reum eum agere potest.

Negligentia Smiglecii magna.

Dum porrò dico, Christum, ut non in omnes homines ante resurrectionem potestatem habebat, sic etiam non absolutam in eos, in quos potestatem habuit, potestatem habuisse, contrarium ostendere conatur Smiglecius ex iisdem verbis, quando additur, *ut quos dedisti ei, det illis æternam vitam. Sūma enim, ait, Christi potestas est, dare æternā vitam.* Quod quidem nos concedimus: sed negamus, istam potestatem tunc Christo reipsa datam fuisse, cùm ista diceret. Quomodo enim is, qui ipsemet mortalis est, vitam æternam alteri dare potest? Et ipsa sanè verba de re futura loqui, manifestum est: *Ut det eis, quos dedisti illi, vitam æternam;* & alibi legimus, Christum daturum æternam vitam in die novissimo. Smiglecius, hoc sentiens, addit, Deum cum hac potestate filium suum in mundum misisse, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam, qui autem non credit, jam judicatus est, Ioh: 3.16, 18. Sed primum falsò istud, cum quo Christus missus, & quod cum munere ejus conjunctum est, potestas appellatur. Est enim tantùm Dei decretum, quòd Christus unà cum fide in se collocanda proposuit. Deinde, etiamsi potestas etiam appellari posset, non hîc tamen de potestate simpliciter, sed de potestate Christi sermo est. Potuit autem Christus annunciare vitam æternam vel condemnationem, nomine non suo sed Dei, conferendam vel irrogandam hominibus. Denique etiamsi & de potestate & Christi potestate verba ista intelligi posse concedatur: restat tamen considerandum, an tunc ea Christo data fuerit re ipsa nec né? Potuit enim Christus ita loqui ob potestatem sibi dandam. Sed adhuc aliquid dicit Smiglecius, Christum, etiamsi reipsa vitam æternam tunc non conferebat Iudæis & gentibus, jus tamen dedisse vitam æternā consequendi, propter fidem in ipsum: At hoc parum est ad evincendum, Christum potestatem reipsa in omnes homines habuisse, potest enim

Quando Christus vitam æternam dandi potestatem habuerit.

Ioan: 6. 39, 40.

Id, cum quo quis mittitur, non est potestas propriè.

Vita æterna promitti potest, ob potestatem dandam.

Ius dare alicui vitam æternum consequendi, & potestatem habere dandi eandem, differunt.

enim is etiam jus dare vitam æternam consequendi, qui eam aliis annunciat, etiamsi potestatem eam dandi reipsa non habeat. Vnde tandem videre est, quomodo frustra blasphemare me dicat Smiglecius, siquidem docere non potest, Christum vel in omnes homines, vel summam in eos, in quos habuit, potestatem habuisse, quamdiu in terris degit.

Locus Ioan:17. alter explicatur.

Locus tertius est Ioan: 17.10. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Hîc itidem negamus, vocem *omnia* universè accipiendam esse absotè. Cùm multa Christi fuerint, quæ Patris dici non potuerint. Dicuntur autem omnia, quæ Patris sunt, Christi esse, quatenus in ea omnia, quæ, ad Christi regnum pertinentia, Pater habet, jus habet etiam, sed datum a Patre Christus, ex quorum numero erant Christi discipuli. Smiglecius ad hæc quid? Dicit, *ex propositione universali deducere Christum, discipulos suos esse quoq; Patris, & idcirco hoc particulare verum esse de discipulis, quia illud universale est verum de omnibus absolutè.* Sed non animadvertit, hîc non agi potissimùm de prioribus verbis, *omnia mea tua sunt*, quæ, occasione discipulorum prolata fuisse, certum est, sed de posterioribus: *Omnia tua mea sunt.* Nam ex eo, quòd omnia, quæ sunt Patris, Christi esse dicuntur, colligitur, Christum in omnes & omnia potestatem habuisse, cùm Pater in omnia potestatem tunc habuerit. Præterea nemo est, qui neget, Christum ex universali deducere particulare: sed universale, ut antea etiam diximus, non uno in loco, id etiam est, quod in suo genere tale est, licet non sit tale absolutè, quale est omne illud, quod ad Christi regnum pertinet, cujus species vel pars sunt discipuli Christi.

Lapsus Smiglecii.

Addit Smiglecius adversùs id, quod dixeram, vel ex eo constare, verba Christi non esse absolutè prorsus accipienda, quòd Christus non tantùm dicat, omnia Patris sua esse, verùm etiam omnia sua esse Patris, cùm tamen multa eorum, quæ Christus habebat, patris non essent, addit, inquam, *Si hæc accipiantur, uti accipi debent, secundùm divinam utriusq; naturam, sic verissimum est, nullam rem esse propriam & in potestate unius, quæ non sit simili ratione propria & in potestate alterius. Agitur enim hîc de iis rebus, in quas tanquam in suas æquè Pater ac Filius jus habet & potestatem.* Sed hîc iterum, suo more, id, quod est in controversia, & de quo potissimùm nunc disputatur, sumendo, respondet. Vnde constat, eum rationibus legitimis nihil ampliùs posse efficere. Præterea nonne possunt duo æquè habere jus & potestatem in res aliquas: sed tamen impari ratione? Quo sensu, omnia, quæ maritus habet, uxoris esse dici possunt: vel quo sensu dicebat Pater filii

Duo possunt habere potestatem in aliqua, impari ratione.

perditi

perditi ad fratrem illius: *omnia mea tua sunt*, nec tamen pari ratione omnia, quæ sunt mariti, sunt uxoris; nec pari ratione omnia, quæ Patris illius erant, erant & filii. Porrò nonné, ut antea dictum fuit, id respectu non omnium absolutè, sed eorum omnium, quæ ad Christi regnum quoquomodo pertinent, jure dici potuit, quorum pars erant discipuli Christi? Et sanè ea, quæ de Christo dicuntur, latiùs extendere, quàm ad ea, quæ ad Christum, hoc est, Regem populi divini cœlestem constituendum, faciunt, est, Christum ignorare & ejus sanctissimam religionem. Denique nonné Christus ideo dicere potuit, omnia, quæ Patris erant, sua esse, quia illi omnia essent destinata? Quo sensu dicitur, Regnum cælorum esse modò horum modò illorum, qui piè vivant, cùm tamen tantùm illis destinatum sit? Hîc verò eo sensu verba accipienda esse, parumné liquet ex eo, quòd Christus in hac sua oratione ita commendat Apostolos Patri, ut significet, se paulò post, nempe dum moriendum sibi erat, non habiturum potestatem eos servandi? Ait enim: *Cùm essem in mundo, servabam eos in nomine tuo*, &c. *Nunc autem ad te venio*, &c. hoc est, nunc non potero curam illorum gerere, quando moriar. Qui verò curam alicujus gerere non potest ampliùs ad certum tempus, quomodo æquè prorsus & absolutè potestatem ejusdem habere potest, quam Deus habet? imò ut is, qui moritur, nullus est, sic nullam ullius rei potestatem habere potest. Atq; ita constat, quàm injustè Smiglecius ea verba protrahat ad potestatem Christi & Patris, quam reipsa uterque habuerit, & quàm nihil proficiat, cùm ait: *hic non agi de prædestinatione, sed de potestate reipsa habita & exercita tam à Christo quàm à Patre. Verè enim discipulos reipsa tunc fuisse & Christi & Patris.* Vt enim, suo modo, dici poterant Christi esse, discipuli illius: longè tamem alia ratione erant Patris. Christi enim erant, quatenus ipsi operam suam in Evangelio annunciando præstabant, & ei erant commendati atq; charissimi: at non ita, ut eos perfectè defendere & servare, nedum in æternum, sed ne ad exiguum quidem tempus posset. Cur enim Patri eos commendasset, si id ipsemet præstare per id tempus potuisset? Quod alibi etiam Christus innuit, cùm ait Petro, Sathanam expetiisse Apostolos, ut cribraret tanquam triticum, se verò rogavisse pro illo, ne deficeret fides illius. Et ita, si eodem modo discipulos Christi fuisse dicere velimus, quo erant Patris, prorsus dicendum esset, ista verba de prædestinatione accipienda esse. Nam post exaltationem demum Christo tanta est data potestas, ut non minùs quàm ipse Deus, curam perfectam gerere, idque in æternum possit discipulorum suorum.

Luc: 15. 31.

Quænám omnia sint Christi ut Patris.

Christi ea etiam fuerunt, quæ illi erant destinata.

Christum tunc potestatem absolutam non habuisse, docetur.

Apostoli alio modo Patris, alio Christi erant.

Luc: 22. 31, 32.

Locus Matth. 11. explicatur.

Quartus locus est Matth. 11.27.: *Omnia tradita mihi sunt à Patre.* Hic dicimus, tam ex antecedentibus quàm ex consequentibus constare, vocem *omnia*, ad scientiam tantùm rerum ad salutem necessariarum, referendam esse. In præcedentibus enim gratias Christus egerat Patri, quòd veritatem Evangelicam celârit coram sapientibus, & revelârit infantibus. In subsequentibus verò ait: *Et nemo cognoscit filium nisi Pater; & nemo cognoscit Patrem nisi filius, & cui filius voluerit revelare*, jungens verba ista, *omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, cum sequentibus per vocem *Et*, disertamq; revelationis mentionem faciens, ut constet, verum esse, quod de isto loco diximus. Smiglecius tamen, nos vehementvr errare, & omnia universè hîc intelligenda esse, affirmat. Cur verò? *Quia*, inquit, *mox hoc, quod sibi traditum est, explicans, ostendit se eße eum, qui et omnem cognitionem rerum ad salutem neceßariarum revelare poßit, & omnes laborantes & oneratos peccatis, gratia sua reficere.* At Smiglecius in prioribus verbis pro nobis sententiam dicit: in posterioribus verò, omnia universè contineri, quæ Christo data sunt a Patre, ne uno quidem verbo ostendit. Nonné enim is etiam dicere potuit, ego vos refocillabo, qui laborantibus & oneratis remissionem peccatorum annunciare tum poterat, eamq; talem, qualem nemo ante Christum annunciaverat, conjunctam scil: cum vita æterna & gloriosa? & qui ad id destinatus erat immutabiliter, ut aliquando eandem remissionem peccatorum omnibus reipsa daret?

Ad quid vox *Omnia* in hoc loco restringenda & cur.

Cur Christus refocillationem promittere potuerit.

Sed aliud etiam obiter dicit Smiglecius, quo nos pungit. Ait enim, *nos nosmetipsos erroris condemnare, dum semel ex hoc loco omnem rerum cognitionem Christo concedimus, iterum verò multa illum ignoraßse, reipsa, & verè in sapientia creviße, impudenter affirmamus.* At Smiglecius parum candidè nostra dicta refert. Nam nec omnem rerum cognitionem, sed omnem rerum ad salutem necessariarum cognitionem, Christo concedimus; nec Christum tunc, cùm omnia ad salutẽ necessaria tradita illi essent, *multa ignoraße* dicimus: imò ista phrasi nunquam utimur. Credimus enim, Christum omnia semper scivisse, quæ, ut sciret, necesse erat, & scire per ætatem poterat: Phrasis autem ista sic accipi potest, quasi etiam tunc, cùm ad scientiam aptus esset, & scienda multa erant, multa tamen ignorârit, quòd sine ignominia Christi dici non potest. Nec deniq; Christum in sapientia verè tunc crevisse, cùm munus suum Propheticum aggressus erat, unquã asserimus. Omnia enim ad salutem pertinentia perfectissimè scivit, &, ut Ioannes nervosè loquitur, enarravit. Quòd verò diem judicii ignora-

Qualis Christi fuerit scientia.

Christũ non semper crevisse in sapientia.

Ioan: 1.18.

gnoraverit, hoc nullo modo ad salutem humani generis pertinebat, aut pertinet. Sed de hoc postea plura.

Quintus locus est: Ioan:5.19: *Quæcunq; Pater fecerit, hæc & filius similiter facit.* Hîc dicimus tantùm de operibus, nō verò de omnibus rebus sermonem esse: dicimus iterum non de omnibus operibus, quæ unquam facta fuêre, sed quæ tunc fiebant, ibidem agi. Quæ quidem vera esse infrà c. 6., ubi ex professo hunc locum tractat Smiglecius, ostendemus. Nunc, quid adversus hæc dicat, advertamus. Vniversè dicit esse verba accipienda, idq; ex duobus patere. Prius est, *quòd sicut verba de filio dicta, non potest facere quicquam, de omnibus filii operibus intelligenda sunt: sic etiam verba de Patre prolata, quæcunq; Pater fecerit, de omnibus operibus Patris intelligi debeant.* Sed nulla est consequentiæ ratio addita huic argumento. Quis verò non intelligit, non consequi, si ejus, qui data sibi potestate operatur, opera omnia sunt ejus, cujus potestate operatur, omnia opera vicissim ejus, cujus quis potestate operatur, esse illius, qui data potestate operatur? nam eum, qui data potestate operatur, ab alio dependere suo modo, certum est: qui verò dependet ab alio, quomodo non omnia, quæ facit, alteri accepta referat? At is, cujus potestate alius operatur, multa sibi reservare potest, quæ ei non concessit, qui potestate data operatur. Præterea etiamsi utrobique de omnibus operibus universè sermo esset, investigandum tamen relinquitur, num de omnibus universè prorsus. Iam enim aliquoties dictum est, universale id etiam dici posse, quod in suo genere tale est. Et per hoc altera ratio Smiglecii dissoluta etiam est. De qua tamen in cap: 6. plura. Piget enim me, Smiglecium otiosè repetentem imitari. Similitudo ista, quâ declaratur, quomodo Christus non possit quicquam sine Patre facere & Pater sine Christo, nempe ut artificis sapientia nihil potest facere, quod artifex ipse non faciat, risu digna est. Nec enim Christus ita in Deo est, ut sapientia in artifice, etiamsi virtus & sapientia Dei dicatur. Hoc enim utrumq; de Christo dicitur, non propter essentiæ vel naturæ cum Deo communionem, sed ob modum exaltationis illius, nempe per crucem. In hoc modo, quia summa Dei virtus & sapientia appartuit, ideo Iesus crucifixus est virtus & sapientia Dei. Quo sensu etiam ipsum Evangelium virtus Dei appellatur. Reliqua, quæ hîc dicuntur, reservo ad c. 6.

Sextus locus est Ioh: 3.35: *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu ejus.* Hîc nihil dicit Smiglecius, quomodo nos locum hunc explicemus. Intelligimus autem vel, *omnia* hoc in loco significare ea tantùm omnia, quæ ad cognitionem rerum ad salutem necessariarum pertinent. Opponuntur enim hæc verba illis, quibus superiùs

Locus Ioan:5. explicatur.

Ejus, qui data potestate operantur, opera omnia eius esse, cujus potestate operatur: at non contra.

Christus quomodo & cur sit Dei sapientia.

Locus Ioan:3. explicatur.

Quomodo vox *Omnia*, in hoc loco restringenda & cur.

dictum fuerat, Ioannem fuisse de terra & de terra loquutum fuisse, hoc est, imperfectam rerum divinarum & ad salutem pertinentium cognitionem habuisse: vel si de omnibus, quæ quocunque modo ad salutem humani generis spectant, accipere ea velimus, vocem *dandi* pro prædestinatione accipi posse & debere. Patet id ex eo, quòd omnia,quæad salutem humani generis spectant,nullo modo in manu ejus, qui naturâ mortalis est, posita esse re ipsa possunt, cùm potissimum eorum sit ipsa immortalitas. Immortalitatem autem in manu mortalis positam esse, contraria sunt prorsus.Atque ita, quod de loco hoc disserit ipse Smiglecius & auctoritate Augustini munit vel ornat, totum dissolutum est. Tota enim ejus sermonis vis in vocibus *omnia* & *dandi* consistit. Si omnia, ait, ergo nihil erat, quod non esset in manu ejus datum:Si datum,ergo reipsa datum.Hoc verò esse infirmum utrumque, jam ostensum est aliquoties.

Caput III.

Christum perfectè Dominum & Deum ante exaltationem fuisse, ex sacra scriptura probari non posse, ostenditur.

Hîc refutare aggreditur Smiglecius ea, quæ adversùs ipsius sententiam,quæ est,quòdChristus ante mortem absolutam in omnia potestatem habuerit,scripsi: Sed ita omnia miscuit,& sine ordine protulit,ut hoc ipso exosa ea,quæ scripsi,reddere voluisse videatur. Quo ita præmisso, & lectore monito, sequor hominem.Primùm igitur producit locum, in quo de Christo dicitur,eum crevisse,ut Ioannes Baptista minuebatur.Ex quo deducimus:Si Christus crevit, perfectus non fuit. crescere enim & perfectum esse contraria sunt.Smiglecius stultam hanc objectionem appellat: ipse verò ita respondet,*Hîc non de incremento divinitatis sed honoris & gloriæ agi,Christumq; crescere oportuiße,quia super Ioannem exaltari debuit.* At non advertit Smiglecius, se nihil proficere. Investigandum enim relinquitur, quare Christus crescere isto modo debuerit, vel creverit, quem Smiglecius nominat. Nemo autem non videt, jure dici posse, Christum crevisse honore & gloria, quia indies perfectior factus sit in iis rebus, quæ gloriæ & honoris causa esse solent. Hoc enim & ratio permittit & scriptura attestatur. Dici autem crescere eum,qui omnia in se habeat, ob id, quòd indies magis inclarescat, insolens aliquid prorsus est, & nec sanæ rationi nec sacris literis consentaneum. Vnde constat, nec illud etiam hîc valere, quod pro explicatione horum ver-

1. Ratio cur Christus perfectus ante mortem non fuerit.

Crescere in aliqua re,& eandem in se habere perfectam, contraria sunt.

rum verborum attulit Smiglecius, quando legitur, Christum profecisse sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines. Tam enim certum est, hæc verba intelligenda esse de demonstratione, quàm illa: imò hæc multò minùs. Sic enim dicitur Christus profecisse sapientiâ, quo modo profecit ætate & gratia apud homines: At Christ⁹ nō profecit ita ætate, ut semper ætatis virilis esset, in semet ipso: interim verò in dies major staturâ appareret; nec ita profecit gratiâ apud homines, quòd semper esset gratiâ istâ plenus, & deinde gratiosus apparuerit. nam, non nisi per egregia sua facinora Christum id impetrasse, certum est: sed ita profecit ætate, ut, qui tunc vir non erat prorsus, postea factus sit vir; &, qui gratiâ antea apud homines non pollebat, postea eam consecutus sit. Ergo nec ita profecit in sapientia, quòd antea perfectè sapiens fuerit, & deinde eam operibus magis demonstraverit: sed quòd antea ista sapientiæ specie caruerit, quâ postea tempore succedente donatus fuit. Quòd verò plenus sapientiâ antea fuisse dicitur, id de tali repletione intelligendum est, qualis in Christum, puerum paucorum omnino annorum, cadere poterat. Sapientia Christi semper fuit perfecta, sed in suo genere & pro captu Christi. Et ut Smiglecius ex eo colligit, Christum proficere non potuisse reipsa in sapientia, quia antea de ipso dictum sit, eum plenum vel repletum fuisse sapientiâ; sic ego ex eo, quòd Christus postea profecisse dicitur in sapientia, quàm repletus fuerat sapientiâ, multò rectiùs colligere possum, antea illum non fuisse perfectè repletum Spiritu sancto. Vbi enim est perfecta impletio, ibi nullus datur proprius profectus. De proprio autem profectu hîc sermonem esse, jam modò docuimus.

Christus ita crevit sapientiâ, ut ætate & gratia apud homines.

Christus semper plenus sapientiâ fuit, sed pro ratione ætatis.

Alterum, quod objicio, est, Christum spiritu sancto unctum fuisse super omnes socios suos. Hinc colligo: si Christus est unctus super omnes socios suos, nempe certo tempore & certa de causa. ergo non semper fuit perfectus Dominus & Deus. Smiglecius, *hanc unctionem non certo tempore, sed ab ipsa Christi conceptione factam esse* ait. *quia semper plenus spiritu sancto, & semper Christus fuerit.* At calva sunt ista, quæ dicit, omnia. Nonné enim ibi, ubi dicitur, Christum esse unctum supra omnes consortes suos, disertè additur: *Dilexisti justitiam, odisti iniquitatem, propterea unxit te ô Deus, Deus tuus oleo exultationis præ consortibus tuis.* Vnde constat, Christum propter obedientiam suam, quam Deo præstitit, unctum esse super omnes consortes suos. Obedientiam autem Christus non præstitit in ipsa conceptione, sed tunc demum, cùm ad mortem usque crucis Patri fuit obediens. Plenus autem quomodo fuerit nihilominus ab infantia sua

2. Ratio.

Christus quando & cur unctus Spirito sancto.

Chriſtus cur ſic a nativitate appellatus.

tia ſua ſpiritu ſancto Chriſtus, jam diximus. Chriſtus etiam dici potuit, partim propter miraculoſam conceptionem & nativitatem, partim propter futuram unctionem. Quemadmodum etiam Ieſus dictus fuit, quia liberaturus eſſet populum ſuum a peccatis illorum. De verbis Ioan. 3. *Non dat enim Deus Spiritum ad menſuram*, alibi diximus, & infrà dicemus iterum, non conſtare, ea ad Chriſtum referenda eſſe. itaq; non debet ſine argumentis ea ad Chriſtum pertrahere Smiglecius.

3. Ratio.

Tertium, quod obijcio, eſt, Spiritum ſanctum deſcendiſſe certo tempore de cœlo, & ſuper Chriſtum manſiſſe. Vnde infero: Si Chriſto certo tempore datus fuit Spiritus ſanctus. Ergo non ſemper fuit perfectus Dominus & Deus. Reſpondet Smiglecius: *Spiritum ſanctũ deſcendiſſe, non ut Chriſtum impleret, ſed ut eum plenum eſſe, iſta apparitione externa declararet.* At hoc non eſt diſputare, ſed nudè ſuum ſenſum aliis obtrudere, qui nulla ratione ſuſtineri poteſt, imò valde ridiculus eſt. Quid enim opus erat ad declarandum, Chriſtum ſpiritu ſancto plenum fuiſſe, Spiritum ſanctum deſcendere, & ſupra Chriſtum manere? Adde quòd ipſis verbis ſ. ſcripturæ ſit contrarius. Nam ſi tantùm declarare debuit Spiritus ſanctus, Chriſtum plenũ fuiſſe Spiritu ſancto, quid opus fuit, eum ſuper Chriſto manere? Ad declarandum enim aliquid ſatis eſt, ſemel id fieri, nec opus eſt perpetua duratione. Quia verò ſuper eum manſit, hinc apparet, eum Spiritu S., qui tunc de cœlo deſcendit, antea non fuiſſe præditum. Quod verò additur, Patrem etiam tunc illum filium ſuum eſſe, declaraſſe ſolùm voce de cœlo facta, æquè infirmum eſt atq; illud, ad quod declarandum affertur. Licet enim Chriſtus antea filius Dei fuerit ob modum exiſtendi, vel ob conceptionem & nativitatem: revera tamen tunc factus eſt perfectiori ratione Dei filius, cùm Spiritus ſanctus de cœlo deſcendit, & ſuper eo requievit. Legat autem Smiglecius, quid de hoc loco dicat collega illius Maldonatus, qui planè illi adverſatur, ut alibi a me etiam id expoſitum eſt.

Spiritus ſanctus deſcēdit in Chriſtum, ut eum impleret.

Chriſtum factum eſſe perfectiori ratione Dei filiũ.

4. Ratio.

Quartum, quod obijcio, eſt, Chriſtum fuiſſe miniſtrum circumciſionis. Vnde colligo, eum non fuiſſe Dominum perfectum hominum ante exaltationem. Dominum enim eſſe perfectum vel reipſa, & miniſtrum alicujus contraria ſunt. Reſpondet Smiglecius, *hac ratione ne nunc quidem Chriſtum Dominum fore hominum abſolutum. quia nunc Pontifex ſit & Pontificis munus obeat; Pontificem autem & miniſtrum eſſe idem ſint.* Sed non intelligit Smiglecius, quid ſit Pontificem eſſe, cùm de Chriſto ſermo eſt. Impropriè enim vocẽ iſtam de Chriſto accipiendam eſſe, divina ipſius poteſtas prorſus exigit. Vnde etiam nun-

am nunquam Pontifex Christus appellatur, respectu ejus temporis, quo in terris degens, humanam salutem procuravit. Sed de hoc plura infrà. Dum verò non pugnare ait Smiglecius, esse Dominum & ministrum, suo more, fallaciam nectit. Nec enim ego absolutè dico, dominum & servum esse, inter se pugnare: sed hominum dominum & servum eorundem simul esse, pugnare ostendo.

Christus in terris degens nō appellatur Pontifex.

Dominum & servum esse, quomodo pugnent.

Obijcio quintò, Christum fuisse mortalem. Hinc infero, eum immortalitatem aliis dare tunc non potuisse. Nemo enim dare id potest alteri, quod ipse non habet. porrò, si immortalitatem, dare Christus non potuit, non perfectum tunc fuit ejus imperium. Respondet prolixè Smiglecius: nos pondera argumentorum expendamus. *Sine insigni blasphemia*, ait, *id negari non posse, cùm scripturæ testentur eum omnem potestatem nos salvandi habuisse, cùm in terris degeret.* At hoc ipsum est in controversia, & hactenus doceri non potuit. Addit ergo argumentum novum Smiglecius: *Is, qui non habet potestatem in rem aliquam, jus ad illam rem nemini dare potest. At Christus omnibus in se credentibus jus vitæ æternæ & immortalitatis futuræ donabat.* Respondeo majorem esse falsam: Smiglecium verò negligentem, qui de ea probanda non cogitaverit. Potest enim is etiam jus vitæ æternę alicui donare, hoc est, vitam æternam promittere, & viam ad eam perveniendi ostendere, qui ipsemet nullam prorsus potestatem in eam habet, sed unà cum aliis, quibus jus illius dat, eandem expectat, ut in Apostolis videre est. Iam si de illis hoc dici potest, quantò magis de Christo, qui non tantùm vitæ æternæ a Patre suo unà cum illis, ad quos dicebat, *Qui credit in me, habet vitam æternam*, expectabat, sed ipsemet etiam istius vitæ æternæ dator futurus erat?

5. Ratio.

Potest is jus alicuj⁹ rei dare, quā nullam ejus potestatem habet.

Nec eo id fulciri potest, quòd Christus seipsum panem vitæ, & vitam nominat, & ei, qui carnem suam manducet, promittat, quòd sit victurus in æternum. Panis enim vitæ Christus dici potest, quia talem cibum nobis offerat, qui vitam, nempe æternam, in nobis pariat: vita etiam ob eandem causam Metonymicè, quemadmodum & veritas & resurrectio appellatur. Manducatio autem carnis & bibitio sanguinis Christi, quia ante mortem Christi fieri nullo modo potuit. Priùs enim mortem, quàm ejus considerationem (quæ est illa manducatio) existere debuisse, ratio suadet, nemini etiam, ante mortem & exaltationem Chrsti, vitam æternam afferre potuit: sed post Christi demum exaltationē causa vitæ æternæ extitit. Quò etiam pertinent alia testimonia à Smigl: allata, quòd Christus potestatē dederit iis, qui credunt in nomine illius, filios Dei fieri; quòd, si filii sumus, hære-

Christus cur panis vitæ & vita ante mortem.

Manducatio carnis Christi nulla fuit ante mortem Christi.

hæredes etiam sumus, & quòd nunc fili Dei simus. Hæc enim omnia non de effectu ipso intelligenda esse, sed de spe tantùm certa filiationis & hæreditatis, ipsa res loquitur, & fusè a nobis in libro *de vero & naturali Dei filio*, demonstrabitur.

Lapsum hîc meum & ignorantiam Smiglecius accusat, qui inter potestatem & effectum potestatis non distinguam. Posse enim aliquem rei alicujus potestatem habere, & eam certas ob causas non exercere, idque exemplo Dei, qui potestatem creandi in se habuerit, antequam hunc mundum crearet, & hominum, qui vitio & malitiâ aliorum interdum non possident, ad quod jus integrum habent, declarat. Sed frustra fucum facit, quem nos in priori responsione fusè detexeramus. Non enim hoc quæritur, quod omnes novimus: sed, an Christus potestatem habuerit summam in omnes & omnia ante mortem reipsa, docendum est. Hoc si probatum fuerit, postea disputetur, cur ad certum tempus illâ potuerit non uti: sed quamdiu non probatur, eum potestate illa præditum fuisse reipsa ante mortem, frustra disseritur, quare illâ usus non sit. Præterea & illud notandum est, quòd aliud sit, jus habere ad aliquid, & potestatem in illud habere. Vt enim aliquis potestatem in aliquid habere potest, ad quod jus non habet: sic vicissim jus ad aliquid habere quis potest, in quod potestatem non habet. Nos verò non de jure, sed de potestate nunc loquimur.

Fucus Smiglecii

Potestatem & jus in aliquid habere, diversa sunt.

Iam porrò axioma illud, nemo alteri dat, quod ipse non habet, mille exemplis falsum esse convinci posse dicit. *Et enim, ait, si quis de manu in manum det aliquid per motum localem, debet illud priùs apud se habere: tamen si det aliquid per veram actionem & productionem, non est necesse, ut illud habeat actu, sed satis est, si habeat virtute. Sic sol, etiamsi non sit actu calidus, calorem in terra producit. Ossa Elisæi, & si non essent viva, suo contactu vivificârunt cadaver injectum in sepulchrum, propter quod corpus Elisæi mortuum dicitur Prophetasse, id est, Prophetarum virtutem exercuisse.* Sed hoc est confirmare id, quod à me affirmatur. Si enim de manu in manum dare aliquis id nequeat, quod priùs non habet; si necesse est, ut ea in re, quæ aliquid agit, illud sit virtute, jam firmum stat axioma, nemo alteri dat, quōd ipse non habet. Non est enim expressum in isto axiomate, quomodo quid habeat is, qui id dare debet alteri: sed tantùm dicitur, quòd habere eum id necesse sit, sive actu, ut Smiglecii terminis utar, sive virtute. Doceat ergo Smiglecius, Christum virtute, ut ille satis ineptè loquitur, potestatem habuisse immortalem aliquem reddendi, si axioma illud in Christo valere nolit. Quod ad exempla allata attinet, cùm nemo negare

4. Reg: 13. 21.
Ecclesiast: 49, 14.

Axioma, nemo dat, quod ipse nō habet, defenditur.

gare

gare possit, nisi mentis inops, potestatem calefaciendi in sole esse, prius hoc ad rem nihil facere, per se manifestum est: Alterum verò huc referri minimè debuit. Non constat enim, nec probari potest, ossa suo contactu vivificasse cadaver injectum: imò vim istam ossibus tribuere, est aliquid idololatricum. Potuit autem Deus id facere, & certè fecit, ad commendandum post mortem etiam Elisæum, tamquam insignem Prophetam. Vnde etiam corpus illius mortuum prophetasse dici potest, non quòd ipsum Prophetarum virtutem reipsa exercuerit, sed quòd Deus hoc miraculo testatum facere voluerit, in numero Prophetarum Elisæum collocandum esse. Sic etiam circa & post mortem Christi miracula facta sunt, non vi corporis Christi, sed Dei virtute & potentia, ut ita Christi mortis dignitas & præstantia, & mortui innocentia omnibus innotesceret.

Cur corpus Elisæi prophetasse dici possit.

Causam etiam exponit Smiglecius, quare Christus potestate illa, nempe immortales nos reddendi, non sit usus: Sed frustrà. Nam si eam non habuit Christus, quomodo doceri potest, cur eâ non sit usus? Quæ verò causa affertur, scilicet, *ut sic eßet primus inter omnes, ad cujus exemplar resurgendo omnes immortales redderentur, propter quam causam vocat illum Paulus primogenitum ex mortuis, ut sit in omnibus primatum tenens, & primitiæ dormientium*, ea non docet, cur Christus neminem immortalem reddiderit. hoc enim fuit impossibile, sed cur Deus neminem ante Christum ex mortuis immortalem fecerit. Nempe ut Christus esset inter eos, qui obdormierunt unquam, primitiæ vel primogenitus. Quod non fuisset, si alium ante Christum Deus ex morte ad vitam immortalem revocasset.

Quis sensus verborum, Primitiæ dormientium.

Quod ad testimonia Ioan: 5. attinet: *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & filius quos vult vivificat; neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio.* &: *Sicut enim Pater habet vitam in semet ipso, sic dedit & filio vitam habere in semet ipso*, continent quidem ea potestatem Christi amplissimam, & omnino talem, ut per eam possit nos immortales reddere: sed quæstio est, an ea potestas in Christo reipsa fuerit, cùm mortalis esset. Hoc autem falsum esse, & verba *vivificat*, & *dedit ei Pater*, de re tunc futura accipienda esse, abundè a nobis antea demonstratum fuit. Nam in priori loco, Christus de operibus majoribus agit, quæ Pater illi postea demonstraturus erat, quàm miracula in terris edidit. Vnde necessariò infertur, istud opus majus antea ei demonstratum a Patre non fuisse. In altero verò res ipsa loquitur, ei, qui naturâ mortalis est, non posse dari, vitam in semetipso habere, ut eam Deus habet in semetipso. Quod telum aliter excipere non potest Smiglecius, quàm distinctione natu-

Ioan: 5. de potestate destinata sermonem esse, docetur.

rarum in Christo. Sic enim ait: *Si id ad eandem naturam referat, verum est, si ad diversas, falsum.* Sed nunc hoc unum inter nos disputatur, an Christus diversas naturas habuerit. Quomodo igitur thesis in dubium vocata & impugnata, potest esse argumentorum solutio? Pergit: *habere enim vitam in semet ipso, est vitam habere independentem, & quæ ab alio non sustentetur, qualis vita proculdubio est immortalis & indeficiens, ac proinde contraria naturæ mortali.* At idem nos dicimus, Smiglecì. Quorsum igitur ista dicuntur? Num ut ex eo, quia Christi vita est independens, colligatur, eam esse independentem, ut est in Patre? At hic error est. Potest enim vita esse independens duplici modo, naturâ & dono. Vitam in semetipso habere, est vita independens: Hanc habet Pater: hanc habet etiam filius, sed datam. Ergo duplex est modus habendi vitam in semetipso. Quòd autem, duas vitas & naturas in Christo indicare scripturam, ait Smiglecius, id, si rectè accipiatur, tolerari potest: sed Smiglecio nihil proderit. Christus enim, quamdiu in terris degit, vitam & naturam habuit mortalem, qualem nos omnes habemus: at in cœlum exaltatus, vitam & naturam habere cœpit immortalem, qualem ipse Deus Pater habet. At eundem fuisse simul & mortalem & immortalem, tamdiu manebit falsum, quam diu verum est, duo contraria integra non posse simul in uno subjecto convenire.

Vita independēs dupliciter considerari potest.

In Christo duæ naturæ quomodo

Iam, cùm vitam in semetipso haberi posse, Dei beneficio & dono negat Smiglecius, nonné scripturis & sanæ rationi bellum indicit? Scriptura enim testatur, ei, qui naturâ mortalis & homo fuit, ideoq; persona humana, datum esse, ut habeat vitā in semetipso, ita ut DeusPater habet. Nonné etiam omnes fideles expectant talem vitā, quę sit indepēdens? dum dicitur, eos gestaturos imaginem illius cęlestis. Hic autem est spiritus vivificans. ergo & illi spiritus evadent vivificantes. Quid verò aliud est, spiritum esse vivificantem, quàm talem vitam & naturam adipisci, quæ a nemine ampliùs sustentetur & dependeat? Error autem totus in eo est Smiglecii, quòd solum id independens esse credit, quod a seipso est qualis scilicet est natura vel essentia divina. Cùm tamen aliud etiam independens, licet minùs excellenti modo, dici possit, quod scilicet a Deo tale effectum est. Deum autem tale quid efficere non posse, est omnipotentiam illius in dubium vocare.

Independens suo modo a Deo vita dari potest.

1. Cor. 15. 45, 49.

Sed nunc objectiones, meo nomine, format duas Smiglecius. Vna est: *Si Pater dedit filio vitam habere in semetipso, sequi, filium habere vitam dependentem à Patre.* Altera est, *quòd Christus dicat in eodem capite, se vivere propter Patrem.* Et ad priorem respondet tripliciter.

Primùm

Primùm ait, *Patrem eo ipso, quòd dedit filio vitam habere in semetipso, dedisse habere vitam independentem. vita enim in semetipso est vita independens.* Sed & nos id ipsum affirmamus, admissa ista vocis *independentis* significatione altera, quam modò exposuimus. Vita Christi, quam nunc habet, dependens est, quatenus est data: independens, quatenus ita data est, ut eam in semetipso habeat, ita ut Pater eam habet in semetipso. Deinde ait: *Si Pater dedisset filio vitam creatam & à divina diversam, cùm omnis res creata & à divina diversa, sit fragilis, & conservatione semper egeat, proculdubio dedisset vitam dependentem filio, qualem vitam dat rebus creatis. At cùm dederit vitam suam divinam, quæ sola est vita in semetipso, dici non posse dedisse vitam independentem & filium accepisse à Patre vitam independentem.* Vides benevole lector, unum & idem dici a Smiglecio, quod nos jampridem refutavimus, per istam, ex Christi verbis excerptam, independentiæ duplicem significationem. Valdè autem captiosè, vita, quam Deus Christo dedit, extra illam Smiglecii naturam vel essentiam, vita creata, adeoq; fragilis appellatur. Nam ut creari istam vitam opus non fuit. A divina enim vita ita emanare potuit, ut ex Dei proprietatibus in alios etiam homines aliquid emanare potest, & olim emanabit in omnes fideles; & sic non creata vita, sed participata ex divina vita erit: sic etiam fragilis esse non potest, nec sustentatione egere. quia ita ex Deo emanavit, ut non aliter nunc sit in Christo, quàm in Deo.

Christi vita dependens & independens quomodo?

Vita Christi qualis.

Tertiùm ait: *Ea quæ dantur in hac vita, dari & accipi cum dependentia ab alio, idque verum esse tam de iis, quæ accipiuntur ex libertate, quàm de iis, quæ accipiuntur naturaliter. At in iis, quæ accipiuntur ab æterno, nullam esse dependentiam, nec ex parte ejus, qui accipit, quia nunquam ea re caruit, neque carere unquam potuit, sed semper habuerit, & non potuerit non habere, neque ex parte ejus, qui dedit. Is enim dedit ab æterno, nec potuit non dare. quia ita dedit, ut nullum tempus antè fuerit, quo dare non potuerit.* Hoc scilicet est sacrum istud asylum, ad quod tandem confugiendum erat Smiglecio, si causam suam salvam esse velit. Sed quia commentum hoc est humani cerebri, & tacitè in eo sumitur, Christum extitisse, antequam ex virgine nasceretur, de quo nunc est controversia, quo vix aliquid iniquius esse potest, nos excelso animo ista rejicimus, &, vicisse jam veritatem, firmiter colligimus. Quamquam ea etiam, quæ hîc dicuntur, per se falsa sunt. Nemo enim sanæ mentis, id, quod naturaliter fit, & non potest non fieri, per dationem vel acceptionem unquam expressit. Pugnant enim, necessariò aliquid fieri, & aliquid dari.

Smiglecius principium petit.

Necessariò aliquid fieri, & aliquid dari, pugnant.

Sed

Sed, nondum confectam rem esse, videbat Smiglecius. Itaq; si quis opponat, non solùm (ut ille ait) Filio Dei ab æterno patrem dedisse, habere vitam in semetipso, sed etiam homini illi in tempore, respondet ille, suo more, fabulas narrans, *datum esse illi homini habere vitam in semetipso, sed in persona filii Dei, quatenus homo ille etiam æternus Deus, idq; per unionem personæ istius divinæ cum natura humana.* Sed quia hæc omnia controversa sunt, imò falsa esse suprà non semel demonstravimus, vix digna sunt, quæ audiantur & legantur. Nam & illud commentum, Christum personam humanam non esse, tantùm non tollit Christum: Homo autem tam Deus æternus esse potest, (ex parte antè, ut loquuntur) quàm tenebræ dies esse possunt. Ista denique unio personalis, quid aliud est, quàm arte sophistica excogitatum dogma, cujus nec sacræ literæ meminerunt, quod omnino, si dogma illud ad salutem est necessarium, ut censet Smiglecius, necesse esset, nec ex illis deduci hactenus potuit, quod, si ad religionem tantum modo spectaret, & ad salutem utile aliquo modo esset, requireretur.

Responsio Smiglecii inepta.

Prævidit Smiglecius nos ista omnia sic excepturos, ideoque, huic occurrens ait: *Potentissimè nos urgeri à se, quòd cùm homini illi, humanæ naturæ respectu vita in semetipso dari non potuerit, consequens sit, ut ratione alterius naturæ, nempe divinæ, quæ in una persona est unita illi homini, id intelligi debeat.* Quia verò nos suprà ostendimus, non homini quidem, respectu humanæ naturæ (nulla enim alia in homine præter humanam naturam esse potest) sed ei, qui naturâ homo est, & persona humana, ideoq; non divina, datum esse habere vitam in semetipso, consequens est, nullam causam esse, cur divina in Christo natura vel essentia fingatur.

Cur non sit necesse, fingere in Christo divinam essentiam.

Ad alteram, a se formatam, objectionem respondens, ait Smiglecius, *Christum vivere propter Patrem, quia vitam suam divinam habet à Patre, eamq; non diversam, sed eandem, quæ est in Patre.* Sed & hîc mera est intricatio, de qua modò diximus. Vita enim Christi, quam a Patre habet, & diversa a vita Patris, & eadem, quæ in Patre, dici potest. Diversa, quatenus eam a Patre Christus habet; Pater a nemine: eadem, quatenus ex vita Patris manavit illa vita Christi, ita ut in semet ipso eam habeat Christus non secus ac Pater, postquam data est. Et hoc modo etiam sequentia diluenda sunt, cùm ait: *Si enim vitam haberet diversam, haberet vitam dependentem & sustentatam à Deo, atque idcirco non haberet vitam in semet ipso.* Potest enim id, quod diversum est suo modo & dependens, quatenus scilicet ab alio profectum est, ita alterius fieri, ut jam in semetipso illud habeat, si scilicet Deus ille

Vita Christi diversa a vita Patris; & eadem est, certo modo.

summus

summus ita velit. Et blasphemum censendum est, quod addit Smiglecius: *Neq; potest Deus per absolutam suam potestatem facere rem a se independentem, & quæ divina ope non egeat.* Hoc enim, ut certo respectu verum est, nempe non posse fieri, ut alter sit, præter Deum, qui a Deo non dependeat, quod nos urgemus adversùs Smiglecium, dum contendit, esse plures personas, qui sint unus Deus: ita absolutè dictum, falsum est. Potest enim Deus eum, qui eatenus a se dependet, quatenus id, quod habet, ab ipso habet, talem efficere, qui ampliùs a Deo non dependeat in ipsa vita sua; &, ut illud affirmare, est, omnipotentiâ Dei abuti: sic, hoc affirmare, est, omni potentiam in Deo agnoscere.

Quatenus Deus rem a se independentē facere possit.

Objicio sextò, Christum, dum in terris viveret, quoad naturam suam, tantum differentem fuisse a Deo, quantum summum cœlum ab infima terra; & hinc infero, Christum non fuisse perfectum Dominum & Deum ante suam exaltationem. Smiglecius ait, *hac ratione Christum & post resurrectionem non eße perfectum Dominum & Deum. Nam per resurrectionem non mutavit naturam, sed in eadem natura resurrexit, quam ante resurrectionem habuit. Id enim, quod post resurrectionem illi accessit, naturam ejus non mutavit. alioquin non eßet idem Christus, qui erat ante resurrectionem.* At hoc uno verbo dissolvitur, si scilicet per verba *post resurrectionem* intelligatur illud tempus, quando Christus in cœlos exaltatus est, ut nos ea accipimus in hac materia. Vt enim Christus in eadem natura, in qua mortuus fuerat, resurrexit, &, ut resurgeret, opus fuit: ita, in eadem natura eum nunc vivere, falsissimum esse & sacris literis contrarium, suprà docuimus. Nec sequitur, non fore eundem Christum. Nam si constet, spiritum eundem vel animam esse in Christo nunc, quæ olim fuit, jam etiam constat, eundē esse Christū nunc, qui fuit olim. Forma enim dat esse rei. Quòd verò aliud nunc corpus habet, quàm illud erat, in quo mortuus est, hoc singulari Dei sapientiæ simul & clementiæ tribuendū est.

6. Ratio.

Christum nūc aliam naturam habere, quàm cùm in terris degeret. Lib: 1. cap: 14. Christus nunc idem qui ante fuit & cur?

Iam, cùm porrò ait Smiglecius, summam potestatem, quæ non absolutè talis sit, sed summa post Deum, in quamcunque naturam quamvis mortalem, Dei voluntate cadere posse, in eo iterum sibi & aliis imponit. Potest enim cadere talis potestas in naturam mortalem, at non quatenus mortalis est: sed potest is, qui mortalis est, mutari in immortalem, & postea tanta potestate donari. Nec quicquam huc facit, quod Apostolus ait, Deum per infirma potentia confundere &c. Hîc enim non de summa, etiam post Deum, potestate sermo est, qualis ea est, quæ in Christo considerari debet. Nam hæc

Quatenus in naturam mortalem potestas post Deum summa cadere possit. 1. Cor: 1. 25.

non potest in eo esse, qui sit infirmus, vel qui non sit, ut Paulus ibidem loquitur: sed præpotentem eum & aliquid magnum esse oportet, in quo ista potestas insit. Illa verò, de quibus Paulus loquitur, possunt confundere vel abolere aliasortia & quæ sunt, non sua potestate. sunt enim per se infirma, sed potestate divina: At Christus potestate, in se manente & verè divina omnia potest efficere, &sibi subjicere, ut Paulus loquitur. Dormitavit autem Smiglecius, dum ait, Paulum dicere, *& per ea, quæ non sunt, facit ea, quæ sunt.* Paulus enim dicit, Deum per ea, quæ non sunt, ea, quæ sunt, destruere.

Phil: 3. 21.

Negligentia Smiglecii.

Disputationi cavillis plenę, inseruit iterum calumniam magnam Smiglecius. Ait enim, *nos frustra summam Christi potestatem memorare, qui toti in eo simus, ut eam tollamus & evacuemus.* idq; sic probat, *quòd nullam aliam potestatem ad nos salvandos Christum habere velimus, præterquam annunciandi voluntatem Dei de nostra salute. Nuncium autem afferre de salute, non esse salutem efficere, sed efficiendam à Deo declarare.* Ad marginem etiam asscripsit: *Christus secundum Arianos salutis tantùm nuncius, non dator.* Sed falsum esse, quod nobis objicere audet Smiglecius, jam omnibus piis, ad quorum aures nostra de Christo confessio unquam pervénit, notum est. Credimus enim corde & ore confitemur, Iesum Christum, qui viam salutis nobis annunciavit, confirmavit & ostendit, ipsam salutem etiam sibi fidentibus tandem reipsa daturum: imò contendim[9], Deum ex persona sua nos, non salvaturum, sed Christum, loco Dei, id facturum. Ita ut nimis audax & impudens sit Smiglecius, qui dicat, secundùm nos, Christum *tantùm* esse nuncium salutis, non datorem. Quam ejus impudentiam possem pluribus exagitare: sed nolo omnia lectori eripere. Addidit autem ad calumniam suam tegendam dolum. Nam promiscuè accipit, datorem esse vitæ æternæ, & salutem verè operari vel eandem efficere, quæ tamen multùm differunt; & ita imponit verborum ambiguitate. Nam salutem efficere duplici modo accipi potest, ut etiam duplices sunt causæ rerum efficientes. Licet igitur Christus salutem non efficiat, ut causa principalis, hoc est, non ex eo manat salus tanquam ex fonte primo: efficit eam tamen, ut causa efficiens instrumentalis vel media. Quicquid enim ad salutem consequendam necesse est, id totum ille nunc suppeditat, & ipsam salutem olim etiam omnibus, qui diligunt gloriosum adventum ejus, donabit.

Ingens Smiglecii calumnia.

In quo sit Christi potestas.

Datorem esse vitæ æternæ, & salutem efficere differunt.

Duplici modo salus efficitur.

Objicio septimò, Christum, cùm mortalis esset, Spiritum S. largiendi potestatem non habuisse Ioh: 7. 39. Vnde constat, eum, dum in terris degeret, perfectè Dominum & Deum non fuisse. Respondet Smiglecius.

7. Ratio.

Smiglecius, *locum hunc non de qualicunq; datione Spiritus S. intelligendum esse, sed cũ illa duntaxat plenitudine, ut in die Pentecostes.* Sed verba Ioãnis verba Christi explicãtis aliud docent, quæ sic habent: *Hoc dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Quod ita indefinitè prolatum est, ut non tantùm ad eos, qui in die Pentecostes spiritum acceperant, sed etiam ad omnes, quicunq; Christi fideles futuri sunt, referri debeat. Idque etiam verba Christi, quæ hîc explicantur a Ioanne, indicant, Christus enim dicit: *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vitæ.* Quæ verba, *qui credit in me, sicut dicit scriptura*, non ad certum tempus vel ad certos homines referenda esse, sed omnibus hominibus & omnibus seculis post Christum futuris competere, clarius est, quàm ut probatione egebat. Itaq; non de modo dationis hîc agitur, sed de ipsa datione; & statuendum est, Spiritum S., de quo hîc sermo est, antea nec datum fuisse nec dari potuisse a Christo. Sed non intelligit Smiglecius, quid sit Spiritus ille sanctus, quem accepturi erant, & hodie accipiunt credentes in Christum. Quod tribus verbis exponam. Spiritus S. duo potissimùm significat in sacris literis. Vnum est ipsum Evangelium. Hinc ministri Evangelii, ministri spiritus appellantur; &, quòd semel per Evangelium illustratum esse dicitur, alibi per Spiritum S. revelatum esse prædicatur. Hic spiritus datur etiam nondum credentibus in Christum: imò per hunc Spiritum homines efficiuntur tales, qui credant in Christum. Alterum est, præmium Evangelii singularissimum in hoc seculo, nempe obsignatio hominis talis, ut in animo suo sentiat, se salutis participem fore. Hoc non datur, nisi illis, qui jam in Christum crediderunt, & quodammodo digni sunt tanto præmio. Hunc spiritum S. nos negamus, Christum potestatem habuisse largiendi, cùm mortalis esset. Idq; ipse Christus alibi non semel attestatus est, dum ait: *Nisi abiero, Spiritus S. non veniet ad vos.* Sed hæc quasi obiter.

De quali Spiritu sancto Ioan: 7. sermo sit.

Quid sit Spiritus sanctus, quem accipiunt credentes.

2. Cor: 3. 6.
2. Tim: 1. 10.
1. Cor: 2. 10.

Ioan: 16. 7.

Iam, etiamsi Smiglecius doceat, antea etiam fuisse spiritum sanctum, sub veteri Fœdere & Christo in terris degente, tam ante quàm post resurrectionem, tamen triplex in eo error est. Nam primùm in loco Ioannis tantùm de eo spiritu sermo est, qui ad novum Fædus pertinet, ideoq; non nisi imperitissimè Prophetarum veteris Fæderis hîc fit mentio. Non minùs etiam imperitè fit mentio Simeonis, Annæ, Mariæ virginis & Zachariæ. Nam & hi nondum ad N. F. pertinebant, quatenus vel reliqui de Christo prophetârunt, vel etiam Maria Christum concepit. Deinde, non de spiritu a quovis accipiendo, sermo est, sed de spiritu, quem Iesus erat daturus. Spiritus autem ille, quo

Vèrba Ioan: 7. tantùm ad N. F. pertinent.

De Spiritu, quem Christus ipse daturus erat loquũtur.

quo omnes isti præditi fuerunt, quos hîc commemorat Smiglecius, quibus etiam ipse Ioannes Bapt. annumerandus est, non fuit eis datus a Christo sed a Deo. Deniq; non de quovis etiam spiritu sermo est, sed te tali, quē essent accepturi credentes in Christum. Talis autem spiritus ad istos modò commemoratos non pertinebat omnes. Nam plæriq; illorum mortui fuerant. Qui verò spiritus a Christo dabatur, cùm in terris degeret, nón is erat, de quo hîc sermo est. Credimus igitur, Christum dedisse Spiritum sanctum, antequam glorificaretur, sed non illum, qui est arrhabo & pignus nostræ hæreditatis, de quo verba Ioan. 7. loquúntur; & sic firmum stat, ipsum tunc nondum fuisse perfectum Dominum & Deum.

De Spiritu, quem credentibus in se daturus erat, loquuntur.

8. Ratio.

Objicio octavò, Christum, dum in terris degeret, non habuisse potestatem reatum mortis auferendi ab hominibus. ipse enim erat mortalis; & hinc concludo, eum etiam dum in terris degeret, non fuisse perfectè Dominum & Deum. Respondet Smiglecius, *hanc eße miram temeritatem. An verò*, ait, *qui potestatem mortuos ad vitam revocandi habuit, eâq; non semel usus est, non habuiße dicendus est potestatem, reatum mortis auferendi?* At ego non de cujusvis mortis reatu loquor, sed æternæ. Addo enim, *& donandi immortalitatem.* Itaq; suo more, parum candidè mecum agit Smiglecius. Quomodo enim negem, Christum reatum mortis temporalis ademisse, mortuos resuscitando ad hanc vitam, cùm, idem etiam alios ante & post eum facere potuisse, libenter concedam? Sed addit: *An qui se vitam ipsam & resurrectionem non semel est confeßus, mortem extinguere, si vellet, non potuit? ad quid enim vita, nisi ut eßet hominum vita, & vitæ hominum auctor? Quæ verò major potestas in mortem cogitari potest, quàm ea, cum diceret, vel solam fidem in seipsum eße tanti momenti, ut homines à morte liberaret?* At vita quis dici potest, & hominum vita, & autor vel princeps vitæ, ob aliam causam, quàm quòd reipsa possit vitam æternam conferre. Nempe quia eam annunciandi primus potestatem acceperit: & suo tempore eam reipsa daturus sit.

Christus tantùm temporalem mortem auferre potuit, dum mortalis esset.

Cur Christus in terris degens vita & autor vitæ appellatur.

Iam, dum illa, non sine tædio lectoris, repetit, *Christum jus ad vitam æternam habendum concessisse, ideoque etiam potestatem, & licet non dederit, potestatem tamen dandi habuiße*, ad ea, quæ paulò antè dicta sunt, lectorem remittere jure posse videor. Cùm porrò ita concludit: *si, quia mortis reatum ante suam resurrectionem non sustulit Christus, negatur illi potestas reatum mortis tollendi, pari ratione, cùm etiam ante diem judicii hunc reatum non tollat, neganda eßet Christo perfecta potestas mortem abolendi, & sic ne nunc quidem perfectus Deus & Dominus eßet*, responsum a me antea fuerat, ut ipse Smigl. testatur, constare

constare, Christum nunc potestatem habere: non adducere autem eam ad effectum, certis de causis. Cui cùm ille opponit, scripturas etiam testari, Christum, cùm in terris viveret, potestatem plenam & perfectam habuisse, expendendum est lectori id, quod cap. praecedenti, de locis illis a Smiglecio citatis, diximus. Cùm verò addit, *nos non alia ratione demonstrare, scripturas de reali potestate intelligendas non esse, nisi quòd tunc vitam aeternam nemini dederit*, appello tuum, lector candide, judicium. Alias enim semper rationes afferimus: hanc verò nunquam, ut ex praecedentibus constat. Quòd verò iterum asscribit, *satis esse, si actus aliquos suae potestatis exhibuerit, in dando hominibus jure & potestate ad immortalitatem*, vide, quàm sit verbosus saltem Smiglecius. Hoc idem enim pag: praecedenti & prolixè & antea etiam aliquoties dixerat.

Sed nunc, blasphemare me, ait, qui negem, Christum non potuisse seipsum a morte liberare. Si haec blasphemia est, blasphemus fuit autor Epistolae ad Hebreos, qui ait, Christum in diebus carnis suae preces & supplicationes, *ad eum, qui poterat illum servare à morte*, cum clamore valido & lachrymis obtulisse. Nam si seipsum a morte liberare potuit, quid opus fuit, preces & supplicationes cum clamore valido & lachrymis, alteri offerre, qui eum a morte liberare poterat? Num sibi ipsi preces & supplicationes istas Christus obtulit? Deinde num parum constat, Patrem esse, qui Christum ex mortuis resuscitavit, & Christum Patrem orasse, ut se glorificaret, quod non nisi per resurrectionem factum est? Si ipse se a mortuis resuscitare potuit, quid opus fuit Patrem rogare? Nam si Christus idem Deus qui Pater est, non potuit non accedere Pater ad istud opus, & nullo modo opus fuit, eum a Christo, ut id faceret, rogari. Sed quid ego huic rei probandae immoror? Detestanda potiùs est hominum caecitas, qui rem tam absurdam, & sacris literis adeoq; sanae rationi contrariam, affirmare audent. Summa in eo sita est gloria Dei Patris, summa humani generis consolatio, non quòd Christus resurrexit, sed quòd a Deo resuscitatus est. Hanc gloriam Deo, & hanc consolationem hominibus adimunt, quantum in illis est, qui Christum affirmant seipsum ex morte liberasse.

Rationes, cur Christus semetipsum a morte liberare non potuerit.
Heb: 5. 7.

Cur credendum, quòd Christus a Deo resuscitatus.

Sed habet testimonia duo Smiglecius, quibus hunc crassum & omnibus Christianis indignum errorem, comprobare nititur. Vnum est: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Alterum est: *Habeo potestatem ponendi animam, & iterum sumendi eam.* Primùm dico, non deberi unum atque alterum locum, eumque obscurum, opponi locis ferè infinitis, iisdemq; clarissimis. Smiglecius affert duo

Loca a Smigl: allata explicantur.

 loca,

Vnde sententiæ alicujus veritas cognoscẽda.

loca,nec plura afferre poterit,eaque obscura. nam figurata: nos verò afferimus locos plurimos,in quibus non tantùm simpliciter affirmatur, sed pro argumento summæ Dei Patris virtutis,potentiæ, sapientiæ prædicatur, imò Deus hac periphrasi describitur, quòd Iesum ex mortuis resuscitaverit. Igitur cedere debet sententia Smiglecii nostræ. Deinde dico,nihil in testimoniis citatis haberi, unde appareat, Christum semet ipsum a morte liberasse. Nec enim novum est in sacris literis, id tribui hominibus in hoc resurrectionis negotio, quod non ipsis sed Deo competit. Hoc sensu dicitur, eum, qui animam suam perdit Christi causâ, illam servaturum vel vivificaturum. quod multò plùs est, quàm id, quod hîc Christus de seipso testatur: & tamen nemo est, qui credat,fideles Christi animas suas vel semetipsos servaturos aut vivificaturos. Iam si ita loquuntur sacræ literæ, ubi nulla fere ita loquendi necessitas apparet: tantò minùs id ibi factum esse mirari debemus, ubi necessitas quædam ita loquendi manifesta esse videtur,quod in hoc loco Ioan. accidit. Cùm enim Christus interrogaretur,quodnám signum ostenderet,quòd ista faceret (nempe cur ex templo ejiceret ea, quæ seniores tunc ibi esse & exerceri permittebant) si respondisset, solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabitur,vel Deus illud excitabit,rem quidem miraculosam prædixisset: interim tamen non ad id, quod quærebatur, directè respondisset. Iudæi enim signum sibi *a Christo* ostendi volebant.Itaq; Christus, quia id per modum loquendi, non admodum inusitatum dici poterat, dicere maluit, se excitaturum templum illud, quàm Deum hoc facturum,ut tantò magis Iudæi miraculi istius,quod tamen tunc non intelligebant proculdubio,magnitudine percellerentur.

In resurrectione tribuitur id hominibusquod Dei est.

Mar: 8. 35.
Luc: 17. 33.

Cur Christus sibi erectionem corporis tribuerit.

Alter locus,eandem etiam ob causam rem non probat. Nam potest aliquis potestatem habere aliquid faciendi impropriè, quia scilicet id, quod futurum prædicit, ita certum sit & indubitatum, ac si ipsemet potestatem id faciendi haberet.Hoc eodem sensu dictum est ab eodem Ioanne,iis,qui Christum receperunt,dedisseChristum potestatẽ,ut filii Dei fierent, hoc est, ut immortalitatẽ consequerentur: cùm tamen certum sit, neminum fidelium, propriè loquendo, istam potestatem habere. Deus enim est, qui per Christum illos excitaturus est, & effecturus, ut filii Dei perfectissimo modo fiant.De ista autem filiatione in loco citato sermonem esse, & alibi adversus ipsum Smiglecium probavimus, & per se patet. Nam qui Christum receperunt, & in nomen ejus credunt,jam sunt isto modo filii Dei,quo homines filii Dei esse possunt in hac mortalitate, nec alio modo filii Dei fieri possunt,quàm ut immortales tandem evadant.Simili loquẽdi modo

Ioan: 1. 12.

De quali filiatione Ioan: 1. sermo sit.

di modo Paulus ait, non solùm creaturam omnem,hoc est,omnes fideles,sed etiam eos, qui primitias spiritus habebant,hoc est,Apostolos & eorum similes, expectare revelationem filiorum Dei vel adoptionem. Sed de hoc vide plura in lib. *de vero & naturali Dei filio.* Rom:8. 19,28.

Quæ porrò addit Smiglecius, *quòd Christus divina sua virtute, quæ illi cum Patre communis est, efficere illud debuit*, & iterum adducit verba, *Quæcunq; Pater fecerit, ea filius similiter facit*, ad id jam antea responsum est,& infrà respondebitur iterum, & ostensum est ostendeturq;, verba illa Christi nihil prorsus huc facere. Is enim,qui tunc dicebat, se eadem similiter facere, quæ Pater faciebat, affirmat, opera majora sibi Patrem demonstraturum. Vnde constat,eum non habuisse virtutem cum Patre prorsus communem, adeoq; talem, ut semetipsum a morte liberare posset.

Quanquam, ut hoc addam, ipsa etiam locutio, *Christus semetipsum à morte liberavit*, absurdissima est, & contradictionem implicat. Eodem enim tempore Christum & fuisse & non fuisse asseritur. Nam qui mortuus est,is non est: qui verò resuscitat, eum esse necesse est. Actiones enim non sunt nisi suppositorum. Nec est,quod ad distinctionem naturarum hìc confugiant. Mori enim actio est, & non potest nisi personæ competere: persona autem in Christo, ex mente Smiglecii, nulla est præter divinam. Iam si divina persona mortua est,quomodo ea agere aliquid,hoc est,resuscitare potuit. Si verò persona divina non est mortua, jam Christus non est mortuus, adeoq; nec resuscitatus. Et ita Christi religio in fumum abiit. Hic scilicet est fructus istorum monstrorum, quæ religio habet Pontificia, si quis paulò accuratiùs ea rimetur: et tamen, qui in tantis demersi sunt erroribus, alios blasphemiæ accusant, & monstra illis in religione objiciunt.

Ratio alia, cur Christus seipsum a morte non liberaverit.

Causam etiam recenset Smiglecius, quare Christus mortuus sit, cùm alioquin esset a natura illius alienum,mortalitati subjacere,charitatem Christi, eamq; verbis etiam Hebr: 2. 14., quibus affirmatur, Christum participasse carni & sanguini, contineri ait. Sed nimis hìc est frigidus Smiglecius. Nam, quia Christus ex charitate erga nos mortuus est, hinc non sequitur, eum naturâ non fuisse mortalem. Cùm & omnes alii fideles ex charitate erga Deum & Christum moriantur,quorum certè natura non est aliena a mortalitate. Verba verò Hebr: 2. non docent, cur Iesus mortuus sit, sed cur mortem tam truculentam oppetierit. Causa est, quia pueri etiam,hoc est,Dei fideles istiusmodi morti obnoxii sunt. Qua de re scripsimus plura in refutatione libelli Smigleciani, *verbum caro factum.*

Smiglecius frigidus.

Potest ex charitate mori, qui naturâ est mortalis.

Quid dicatur Heb: 2.

Objicio

9. Ratio. Objicio nonò, Christum per mortem abolevisse diabolum, & paulò ante mortem Christi dictum esse: *Iam princeps hujus mundi ejicietur forás.* Vnde colligo, Christum, dum in terris degeret, perfectam in dæmones potestatem non habuisse, adeoque perfectè tunc Dominum non fuisse. Respondet Smiglecius cantilenam suam iterans, *Christum habuiße potestatem, etiamsi eam perfectè non exerceret. Vt rex potestatem habet in rebelles, antequam eos sibi subjiciat.* Sed, ut antea dixi, testimonium Heb: 2. negat, Christum potestatem habuisse. Nam si potestatem eamq; plenam habuisset, quid opus fuisset, in hunc finem carni & sanguini participare, ut per mortem aboleret diabolum? Dum verò Christus comparatur regi, qui in rebelles, potestatem habet, quam tamen actu exercere non potest, vel principium petitur tacitè, dum pro concesso sumitur, eum antea fuisse Dominum dæmonum, quod est in controversia, vel nihil dicitur. Potest enim is etiam potestatem in aliquem habere dici, qui eam habiturus est, vel cui ea jam destinata est.

Quod verò potestatem Christi in dæmones plenissimam iterum ex eo colligit Smiglecius, quòd ante mortem sæpe numero Christus homines tam a morte corporis, quàm animæ vindicârit, in eo iterum pro concesso sumit, Christum aliquem ante mortem suam a morte animæ reipsa liberasse. A morte enim animæ nemo liberatur reipsa, nisi fiat immortalis. Aliud autem est, promittere alicui liberationem a morte, aliud eum reipsa liberare. Illud Christo, quamdiu munus Propheticum obiit in terris: hoc nunc, quando munus regium in cœlis aggressus est, competit. In illo commune aliquid habent Apostoli etiam cum Christo: in hoc prorsus nihil. Solus enim Christus a morte verè & reipsa liberare potest. Iam quod hîc inserit, de virtute mortis Christi, quâ homines, etiam ante ipsam mortem, a potestate diaboli liberabantur, id alibi a nobis refutatum est; & iterum in refutatione eorum, quæ adversus quartam partem responsionis nostræ ad monstra, edidit Smiglecius, fusè, Deo volente, refutabitur. Vno hîc verbo monebo Smiglecium, qui voces diaboli & dæmonis promiscuè accipit. Cùm tamen diabolus tantùm unus sit: dæmones verò multi; & non omnis dæmon, diabolus sit.

Christ⁹ ante mortem neminem a morte animæ liberavit.

Diabolus & dæmon differunt.

Caput

Caput IV.

Christum ante mortem Angelorum Dominum non fuisse, defenditur.

Hîc Smiglecius, leviter tantùm indicatis meis rationibus, iisque non omnibus, probare iterum conatur, Christum ante mortem Dominum angelorum fuisse perfectum: deinde rationes meas refutandas sumit. Videamus, quo successu faciat utrumq;. Probat id igitur eo primùm, quòd omnia, quæ Patris fuerunt, Christi fuerint. Vnde infert, si omnia, ergo & angeli. Sed, cùm hoc de loco suprà actum sit, & ostensum, non posse potestatem Christi perfectam ex eo demonstrari in omnia, quæ tunc in terris fuerunt, quomodo ex eo demonstrari poterit, eum plenam potestatem in omnia, quæ in cælis tunc erant, habuisse? Vocem *omnia* restringendam esse docuimus ad ea omnia, quæ Evangelium tunc concernebant.

Deinde probat id ipsum eo, quòd Christus creator angelorum fuerit. Vnde infert, eum etiam fuisse Dominum. Christum verò creatorem angelorum fuisse, probat loco Col: 1. 16., ubi dicitur, in ipso creata esse omnia, quæ in cælis & in terra, visibilia & invisibilia &c. Sed quàm vanus sit conatus Smiglecii, fusè docuimus in refutatione libelli illius, *verbum caro factum*, & in responsione ad monstra. Itaque actum agere nolumus. Benevolum lectorem ad ista remittimus: Reliquum differimus ad refutationem libelli alterius Smiglecii, *De Christo vero & naturali Dei filio* Ibi enim ex professo iterum hunc locum tractat c. 14. Vnde verbosam magis quàm nervosam scribendi rationem, vel saltem nullo ordine nitentem, perspicere licet. Hæc nunc duo consideranda propono Smiglecio & lectori, quæ, ad totum conatum Smiglecii evertendum, satis superq; esse possunt. Primum est, non constare, Paulum ibi de re loqui, quæ a Christo in terris degente facta sit, aut ei in terris degenti competat, sed quæ ipso in cœlos profecto demum facta sit, ideoq; Christo in cælis tantùm degenti competat. Quod si verum est, jam videre potest Smiglecius, quàm alienum sit a proposito Pauli, docere, Christum esse creatorem angelorum. Hoc enim longè antea factum fuisse, & de Christo dici potuisse, manifestum est. Paulum verò loqui de re, quæ a Christo in cœlis facta sit, adeoq; Christo in cœlis tantùm degenti competat, vel hinc constat, quòd his verbis docere vel declarare voluerit, cur vel quomodo Christus sit primogenitus omnis creaturæ. Id enim indicat particu-

> Cap: 18. Cap: 26.
>
> Quæ notanda in loco ad Col: 1.
>
> Paulū de re, quæ Christo in cælis facta sit, loqui, docetur.

particula caussalis *quoniam.* Primogenitus autem omnis creaturæ, hoc est, potissima creaturarum, Christus non fuit, nec esse potuit, antequam in cœlos ascenderet. Antea enim, teste scriptura sacra, minor fuit creaturâ angelicâ. Alterum est, quòd hîc nulla mentio fit ipsorum angelorum, sed tantùm thronorum, dominationum, principatuum & potestatum. Ad creationem autem angelorum demonstrandam parum est, docere, thronos illorum esse creatos ab aliquo. Qui angelos creat, is etiam thronos illorum creat: At non vicissim, qui thronos creat, is etiam angelos. Nam in thronos, creatio cadere potest & vetus & nova: at in ipsas angelorum substantias tantùm vetus cadit creatio, nova nullo modo.

Paulum non de angelorum essentia, sed dignitate loqui.

Indicabo tamen & hîc breviter futilitatem eorum, quæ dicit Smiglecius. *Creatos*, ait, *dici angelos. Ergo de vera creatione sermonem esse.* Solvitur: creationem, absolutè positam, sæpenumero pro nova creatione sumi. Quod dum morem evadendi nostrum appellat Smiglecius, parum considerat, quid dicat. Quid enim in sacris literis usitatius, quàm impropria verborum usurpatio, præsertim si consideretur, Apostolorum scripta Hebraismis esse plenissima, quorum unus est, verbis simplicibus pro compositis uti.

Creationem pro nova creatione accipi.

Hebraismus usitatus.

Ait, *Thronos fuisse ab ipso origine mundi. Ergo non creatos esse a Christo.* Solvitur, quòd creati dici possunt, quando fuerunt renovati, hoc est, quando Christus, ut ipsemet Apostolus loquitur, primatum tenens inter illos factus est. Quam renovationem, dum Christum non decuisse introducere, & Angelos suis dignitatibus spoliare, eorumq; Rempub: perturbare, ait Smiglecius, valdè insulsus est ipse, qui nobis fabulas hîc & somnia objiciat. Nonné enim Deo liberum fuit, subjicere angelos ipsi etiam Christo, qui antea soli Deo erant subjecti? vel quid magis decebat, quàm ut is, qui verè Christus, hoc est, Rex populi divini & Servator futurus erat, ut omnia alia, quæ sunt in cœlo & in terra, sic etiam ipsos angelos, eosque potissimùm, haberet suæ potestati subditos? Sic scilicet parum fuit Smiglecio, in nos id asserentes convitia jacere, nisi etiam in ipsum Christum quodammodo involâsset, &, quid non decuerit, suo judicio docuisset.

Creari est renovari.

Renovati angeli, cùm Christo fuerunt subjecti.

Ait, *omnia* visibilia & invisibilia esse condita absolutè. Sed quis nescit, vocem *omnia* esse restringendam, ut ipsemet Apostolus indicat, dum primùm addit, *omnia, quæ sunt in cælis & in terra?* Certè enim hæc non sunt omnia absolutè, cùm præter ea, quæ sunt in cœlo & in terra, sint adhuc alia, nempe ipsum cœlum & terra, ut alia taceam. Deinde, hoc non contentus, iterum restringit ista etiam omnia, quæ sunt in cœlo, ne quis scilicet credat, ipsum de angelis ipsis loqui, dum

Vox *Omnia* hîc restringenda & cur.

ait,

ait: Throni, dominationes, principatus, potestates &c. Quæ omnia prohibent, ne absolutè verba Pauli accipiantur.

Ait quartò. *Angelos ab ipsa Christi in terris origine jußos esse Christum adorare. Ergo tunc etiam subjectos fuiße*, adducto loco Heb: 1. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.* Solvitur, verba illa non de hoc mundo sed de alio intelligi posse, de quo scilicet autor ille ait se loqui c: 2. nempe futuro. Verba enim illa, *de quo loquimur*, non ad illa, *non enim angelis subjecit orbem terræ futurum*, referenda. quis enim nescit, eum de mundo futuro loqui, qui mundum futurum nominat, ut id opus sit addere: sed ad id, quod autor iste tractat in ista sua Epistola pertinere, alibi a nobis abunde demonstratum est. In refut: lib: Verbum caro factum, cap 14.

Nec ita repudiandum est, quod ex voce *iterum* colligitur, ut sentit Smiglecius. Nec enim frustra vocem istam collocavit auctor post vocem *cùm*, hoc modo: *& cùm iterum in orbem terræ introducit*, sed ut appareat, eum loqui de iterata in istum mundũ introductione Christi, quod nihil est aliud, quàm cùm Christus ascendit in cœlum, ubi antea etiam fuerat, priusquam munus suum obiit, de quo prolixè disputavimus in refutatione libelli, *verbo caro factum*, & infrà iterum disputandum erit, ubi hunc locum denuò tractat Smiglecius, quo ordine expendant eruditi. Conjectura Smiglecii, quòd vox introductionis primam introductionem significet, nimis etiam frivola est. Nonné enim, si addatur, istam iterum factam esse, ista significatio ei adimitur? Quod enim iterum fit, id primùm fieri nequit. Quanquam ista vox introductionis primum aliquid significare potest, respectu scilicet modi, quo Christus tunc in cœlum ingressus est, qui opponi potest alteri, quo antea in cœlo fuerat. Procul enim omni dubio modus iste, quando Christus in cœlum ita ascendit, ut ibi perpetuò tanquam rex maneret, magnificentior fuit eo, quando illuc ascendit, ut vel a Patre doceretur ea, quæ alios docturus erat, vel saltem ea videret, quæ aliis erat revelaturus. Hic enim & Paulo contigit: at ille nemini. Orbem autem terræ absolutè positum, hunc aspectabilem orbem terræ significare, Smiglecius non probavit unquam: nos verò contrarium in refutatione Monstrorum ab ipso confictorum docuimus, & in homiliis nostris super initium cap: 1. Ioannis.

Vis vocis *Iterum* Heb: 1.

cap: 8.

cap: 9.

Quod iterum fit, non esse primum.

Cur vox Introductionis primum aliquid significare dici possit.

Porrò, cùm ego Smiglecium doli accuso, quòd voci *orbem terræ*, addiderit pronomen *hunc*, ille me malitiosum appellat, quòd sacras literas torqueam, &, quæ de hoc orbe intelligi debent, de alio intelligam. Sed nec se purgat Smiglecius, imò dolum dolo auget. Ego enim

Smiglecius dolosus castigatur.

nim non id dolum appello, quòd velit verba ista de hoc orbe terræ aspectabili intelligi, sed quòd vocem *hunc* ita addat, acsi in textu scripta esset: nec jure me accusat. Quæ enim in eo malignitas vel malitia esse potest, quòd quis verba quæpam aliter, ac alii, intelligat, præsertim si nihil temere faciat, sed semper rationes afferat, quibus ductus, ita sentiat? Non habuit scilicet, quomodo se hîc excusaret Smiglecius, ideoq; retorsione ista frivola uti maluit, quàm errorē agnoscere.

Sed nunc iterum insigni fallacia imponere vult nobis Smiglecius. Ex eo, quòd Christus vocatur primogenitus omnis creaturæ, colligit, eum, quia Patris est primogenitus, esse etiam Dominum omnis creaturæ, ut ipse Pater est. quare etiam angelorum: & sicut primogenitus patris fuit ante resurrectionem, sic etiam Dominus omnis creaturæ, adeoque angelorum. Sed Paulus hîc non loquitur de Christo, quatenus est Dei primogenitus: sed quatenus est primogenitus omnis creaturæ. Primogenitum autem esse aliquorum, est, ex numero illorum esse, quorum quis est primogenitus. Vt nunc taceam, quòd Christus nunquam in sacris literis primogenitus Dei filius appelletur. Errores ex scriptis meis studiosè colligit Smiglecius: suos verò errores & temerarias assertiones nō animadvertit, & manticæ, quod in tergo est, videre non vult. Nam si Christus est primogenitus Dei filius, sequetur, alios etiam esse eodem prorsus modo, quo ipse est, filios Dei, quod falsissimum est.

Christus primogenitus non Dei sed omnis creaturæ appellatur.

Cur Christus non Dei primogenit⁹.

Sed nunc fallaciam sequitur subtilitas. Cùm enim dico, posse esse ministros Patris, qui sint pares filio, respondet Smiglecius, *id de ministris voluntate non subjectione verum esse. Angelos autem esse Dei ministros naturâ & subjectione.* Quasi verò ministri, qui tales sunt natura & subjectione, non possint esse pares filio, saltem ad tempus, vivente Patre, vel antequam filius ipse regnet, si ita pater velit. Cùm enim Rex ipsemet institutionis filii curam non gerit, alios ex illis ipsis, qui natura & subjectione ministri sunt, quos isti rei præficiat, ut eligat, quid impedit? Hi verò non possunt non esse pares, vel etiam suo modo superiores, filio regis, &, si isti filio regis serviāt, non tanquam Domino suo reipsa, sed tanquā futuro tantùm serviunt. Quo modo etiā angeli Christo servierunt, nempe jussu Dei, non ut Domino, sed ut illi, qui Dominus suus futurus esset.

Ministros Patris pares esse posse Filio.

Porrò ad id, cùm dico, Christum post resurrectionem demum hæredem omnium constitutum a Deo, & proinde angelos tunc demum ei subjectos esse, responsionem Smiglecii, quæ est, *quòd duplici titulo Christus sit Dei hæres, quorum alter sit filii, alter redemtoris*, tantùm hîc ascribere volui. Infrà enim, ut ipsemet Smiglecius

hîc

hîc ait, fusiùs hæc tractabuntur. Nunc breviter dico, confictam eam esse, & id sumere pro concesso, de quo controversia inter nos est. Nec enim filius Dei ullus fuit ante vel extra eum, qui est redemtor: sed is ipse, qui est redemtor, est ille Dei filius; & tunc filius Dei esse cœpit, cùm redemtor cœpit.

Filius Dei & Redemptor simul cæperunt.

Repetit etiam argumentum, quod in Monstris attulerat, *quia Christus ante mortem fuerit Dominus hominum, ergo & angelorum. Angeli enim sunt, qui mittuntur ad ministerium eorum, qui hæreditatem salutis capiunt.* Sed hoc ego sufficienter refutâram, docendo, Christum ante mortem nec omnium hominum, nec perfectum fuisse Dominum; negando etiam, angelos ante salutem a Christo annunciatam & confirmatam, nempe morte & exaltatione Christi, mitti potuisse; affirmando denique, si ante istam confirmationem missi fuerint, id non Christi, sed Dei præcepto factum esse. Quę Smiglecius quidem impugnat, sed valdè ineptè. Denuo enim probare conatur, Christum ante mortem omnium hominum Dominum fuisse, quia omnes ad obedientiam obligare potuerit, & quòd jus & potestatem gentibus etiam imperandi & obligandi eos habuerit. Sed pœnitet me repetitionis tam otiosæ & puerilis. Dicimus tamen, hoc ipsum a nobis negari, quod pro argumento affert Smiglecius. Nam si Deus, post Christi exaltationem demum, voluit eum Dominum omnium reipsa esse, fieri non potuit, ut Christus reipsa antè esset Dominus. Reipsa, inquam. nam, prædestinatione illum Dominum fuisse, constanter credimus, & ob istam prædestinationem dici etiam potuit, eum potestatem in illos habuisse. Et huc facit egregiè, quòd ex Statorio affert Smiglecius, non fuisse obligatos omnes, ut tunc Christum pro Domino & Deo suo agnoscerent. Quemadmodum ab eo tempore, quo Christus exaltatus est, omnes sunt obligati, ut Christum pro Domino agnoscant. Pro pręmio enim obedientiæ hoc Christus habet, quòd omne genu terrestrium in nomine ejus flecte re se debet, & lingua humana confiteri, quòd Dominus (est) Iesus Christus ad gloriam Patris, ut Paulus testatur.

Christus perfectè Dominus post exaltationem.

Angelos ante salutem a Christo confirmatam missos fuisse, loco Matth:18.10. confirmare nititur: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Sed frustrà. Non enim constat, angelos fidelium, de quibus Christus dicit, quòd faciem Patris videant, ad salutem illorum procurandam missos tunc fuisse. Potest autem angelus mitti propter eum, qui salutem consequuturus est: nec tamen ideo mitti, ut salutem ejus procuret. Et firma est Christi ratio, etiamsi an-

Potest angelus mitti pro pter fideles, nec tamen fautem illorum procurare.

gelus salutem non procuret: modò constet, eum talem esse, qui semper videat faciem patris cœlestis.

Quæ occasione hujus testimonii dicit Smiglecius, *quemlibet habere angelum suum*, fabula sunt Pontificia, vel certè ex hoc loco demonstrari nequeunt. Non enim ratio Christi est, *ideo non esse scandalizandos minimos ex fidelibus*, *quia quisque angelum suum habeat*, *eumque talis scandali vindicem futurum*, ut audacter asserit Smiglecius: Sed in eo vis rationis est, quòd tanti sint apud Deum ponderis, & in eo gratiæ & dignitatis gradu, fideles minimi, ut angelorum præstantissimi (quales sunt ii, qui faciem Dei semper aspiciunt) sint angeli illorum. Iustum est autem, ut, qui a Deo tanti fiunt, ab hominibus non spernantur, quod est in Christi verbis, scandalizare illos. Et certè, si, ut scriptura loquitur, angeli spiritus sunt ministratorii, qui *mittuntur*, scilicet subinde, ad ministerium illorum, qui salutem consecuturi sunt, falsum esse constat, quemq; suum angelum habere. Nam illud aliquid iteratum necessariò denotat, qua de re alibi scripsimus.

Vis rationis Christi in loco Mat: 18. eruitur.

Angelos deniq; Christi autoritate ante mortem ipsius missos fuisse, docere conatur illis verbis, *Pater meus usq; modo operatur, & ego operor: & quæcunq; Pater fecerit, hæc & filius similiter facit* Sed id irritum esse suprà abunde docuimus. Absolutè accipit Smiglecius id, quod ad certas res tantùm pertinere ipsa verba & ratio docent. Iam, *etiamsi veritas ipsissima sit Pontificiis*, ut ait Smiglecius, *Christum, cùm adhuc mortalis esset, potuisse uno nutu, si voluisset, quotquot vellet angelos e cœlo evocare, & illis pro libitu ministerium præscribere:* quia tamen nullo sacræ scripturæ testimonio vel ratione confirmari potest, Pontificios pro veritate id habere, statuendum est, quod error est non minimus, & indicium ejus, quòd non bene nôrint Christũ. Cùm deniq; cõciliare studet, quomodo Christ⁹ summã potestatẽ habuerit, & tamen verè oraverit, iterũ, suo more, suã nobis narrat opinionem tantùm, nempè id respectu humanæ naturæ factum esse: interim verò non considerat, se rem dicere ridiculam & absurdam. Nam si Christus ratione divinæ naturæ omnia habuit, quæ Pater, quid opus fuit, eum Patrem orare, vel ei deferre? Oratio enim omnis vera necessitatem præsupponit. Itaq; nisi Christum rem ridiculam & absurdam fecisse dicere velimus, prorsus statuendum est, eum naturam divinam non habuisse. In hunc scopulum quoties impingit Smiglecius, toties naufragium patitur sententia illius. Et jure quidem. Nam insolubile prorsus hoc argumentum est: Christus in terris degens verè Patrem oravit. Ergo ea, quæ Pater, non habuit, nec summa potestate preditus fuit. Et

lib: 2. cap: 14.

Christum, si Deus ipse fuit, orare non potuisse.

fuit. Et hactenus probare voluit Smiglecius, Christum in angelos potestatem ante mortem habuisse: nunc quomodo nostra dissolvat, videamus.

Vnum est: Christus fuit minor angelis. Ergo non Dominus. Pugnant enim, Dominum esse & minorem esse respectu ejusdem. Negat Smiglecius consecutionem. *Quia possit quis in aliquo minor esse altero, in alio verò major.* Sed rem non tangit. Non enim quæritur, an Christus major fuerit angelis, sed an Dominus ipsorum fuerit. Potuit autem major esse illis, quatenus in alia imperium habuit, in quæ nullus angelorum potestatem habuit, etiamsi in angelos ipsos imperium non haberet, qualia sunt, quòd Christus in forma Dei, & Deo æqualis fuit, imperare potuit dæmonibus, adoratus fuit ab hominibus, quæ omnia angelis tunc non competebant: Sic hodie majores nobis sunt angeli certa de causa, quia sunt omnes immortales & beati, & ea potestate præditi, quæ in nullum hominem cadit: nec tamen Domini nostri sunt: nam nobis serviunt.

Rationes, cur Christus ante mortem non fuerit Dominus angelorum. 1.

Christus major fuit angelis, sed non illorum Dominus ante mortem.

Alterum est: Christus ab angelo fuit confortatus: Ergo potestatem summam in angelos tunc non habuit. Absurdum enim est, imò impossibile, eum confortari ab angelo, qui ipse summus sit omnium rerum & angelorum etiam Dominus. Respondet Smiglecius, *posse Dominum à servo consolationem capere, nec tamen desinere esse Dominum.* Sed terminos mutat. plus enim est confortari quàm consolationem capere. Confortare enim præsupponit quandam impotentiam vel deficientiam. Impotentia autem & summa potestas contraria sunt. Itaque aliam affert responsionem Smiglecius, *Christum non ex necessitate indigum fuisse consolationis, sed ex nimia charitate, & voluiße ratione tristitiæ, cui se sponte subjecerat, consortari ab angelo.* Sed hæc sententiæ tantùm dictio est, eaque valdè audax & puerilis, quam jure nobis rejicere licere, nemo non videt, &, contrariam ei asscripsisse, satis nunc est: nempe Christum indigum tunc fuisse confortationis ex necessitate, quia scilicet Deus eum tentabat per omnia juxta similitudinem nostri, & tristiciæ illi subjici eum volebat, ut charitatem erga nos suam, non Christus sed Deus, declararet manifestissimè, & nobis etiam, simile quid olim passuris, animum exemplo Christi adderet. Quomodo autem verum est, quod ait Smiglecius, Christum se sponte isti tristiciæ subjecisse, cùm disertè scriptum sit, illum Patrem orasse, ut calix iste a se transiret, hoc est, ut ab isto angore liberaretur? Num hæc conveniunt, sponte se subjicere, & statim orare, ut illud, cui me subjicio, auferatur?

2.

Confortari & summam potestatem habere, repugnant.

Christum indiguisse confortatione.

Tertium est: Angeli Christum custodiverunt, nempe a feris, 3.

Mar: 1.

Mar: 1. 13. Ergo Christus non erat tunc reipsa Dominus angelorum. Smiglecius eodem modo id solvit, quo alterum jam a nobis examinatum, nempe Christum custodiâ angelorum non eguisse, sed ministerium admisisse, ut Dominum. Ergo & nos, eodem hanc responsionem eius loco, ponere possumus, quo superiorē, & interim tutò affirmare, Christum ministerio angelorum indiguisse, quia cum feris erat in deserto. Hoc enim ibidem additur a Marco. Vnde constat, ministerium illud, quod tunc ei angeli præstabant, posse de custodia ab illis feris rectè intelligi. Quanquam ego aliis verbis meam mentem tunc explicavi, nempe Christum, licet ad salutem suam non egeret operâ angelorum, potuisse tamen egere ad sui defensionem, & ad hæc locum Marci adduxeram: *Et erat cum feris, & angeli ministrabant illi*, hoc est, defendebant illum.

Angelos Christū defendisse dici potest.

4. Quartum est: Petrus ait, Christum profectum in cœlos subjecisse sibi angelos & potestates. Ergo antea non fuerunt subjecti, & ita Christus non fuit illorum Dominus. Respondit Smiglecius, *id non ita accipiendum eße, quasi tunc primùm cœperit eße dominus angelorum, sed quòd tum reipsa & in effectu clarissimè hoc dominium in eos exercuerit & declarârit, se eße dominum angelorum, & quamvis potestate semper eos habuerit sibi subjectos, post resurrectionem tamen etiam reipsa & usu potestatis amplissimo*. At quamdiu sententiam dicit Smiglecius, eamque talem, quæ verbis scripturæ repugnat, nos nihil moveri facilè per se conjicere potest. Petrus ait, Christum in cœlos profectum, subjecisse sibi angelos. ergo dicere non potuit, eum declarasse se esse illorum Dominum. Nam qui declarat se esse aliquid, is jam illud antea fuit. Et sic tacitè principium petit Smiglecius. Sed tales Smiglecii responsiones alibi etiam à nobis refutatæ sunt. Adverte autem, benevole lector, quàm inconstanter & obscurè loqui incipiat Smiglecius, ut suam sententiam defendat. Ita enim loquitur, ut seipsum refutare velle videri possit. Quid enim est, Christum ante mortem *potestate* habuisse subjectos angelos, post resurrectionem autem *reipsa*, quàm dicere id, quod nos dicimus, Christum quidem prædestinatione habuisse angelos sibi subjectos: reipsa tamen non habuisse ante resurrectionem, & ita Dominum etiam prædestinatione angelorum fuisse ante mortem: post resurrectionem verò reipsa Dominum eorum factum esse?

Smiglecius vel principium petit,

Vel idem dicit quod nos.

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

Caput

Caput V.

Ex æqualitate Chriſti cum Deo, non oſtendi perfectam Chriſti ante mortem poteſtatem, docetur.

NON miraberis, cordate lector, me iterum, in refutando hoc capite, nolle tempus conſumere. Cauſa in promptu eſt, quòd jam hic locus Phil: 2. a Smiglecio antea, non tantùm in Monſtris, ſed etiam in libello ipſius, *verbum caro factum*, multò fuſiùs & accuratiùs tractatus ſit, quàm hîc: (duo enim integra capita in libello nominato conſumit in explicatione hujus loci) a nobis verò ea dicta ſunt in reſponſione ad utrumq; librum, quæ non tantùm ad refutanda omnia, quæ de eo Smiglecius diſputat, ſufficiunt, ſed omnia etiam fere continere videntur, quæcunq;, de iſto loco rectè intelligendo, dici poſſunt. Vnde apparet, Smiglecium jam cogi cedere veritati, vel non habere, quod ampliùs objiciat, & ita tempus eſſe permittendi hominum judicio, quid de hiſce controverſiis, in quibus non datur ulteriùs adverſariis progredi, ſtatuere debeant. Itaque rogamus, ne hunc agendi modum vitio nobis vertat lector, ſed potiùs Smiglecium accuſet, qui, ut reſpondiſſe dici poſſet, eadem tantùm, ſumma cum nauſea & tædio, repetit. Inſpiciat autem, qui volet, in Monſtris Smiglecii, & in Reſponſione noſtra ad ea cap: 12. Item in libello Smiglecii nominato & reſponſione noſtra ad illum capita 19. & 20. in quibus etiam multa reperias accuratè dicta de locis Heb: 1. 6. & 10. 4., quos in præcedenti capite perfunctiorè tantùm tractavit. Adde quòd infrà denuò cap: 8. prolixè de hoc eodem loco diſputat, ubi, reſpondendi provinciam nobis incumbere, agnoſcimus. Quæ tanta confuſio & loquacitas non poteſt non eſſe homini ſenſato moleſtiſſima: ipſum autem Smiglecium prodit, quàm negligenter res divinas tractet.

Smiglecius eadem otioſè repetens.

Hoc ita indicato, poſſem jure ad cap: 6. pergere: dicam tamen aliquid, ad quaſdam fallacias & ambiguitates Smiglecii detegendas, quibus, ut ſolet, lectori imponit, & cauſæ ſuæ vitioſitatem prodit. Nam quid illud eſt, quòd, argumentum ſuum conſtituturus, per formam Dei, naturam ejus intelligi vult, *quia id omnes Catholici credant?* Catholici enim iſti, hoc eſt, Papiſtæ a nobis erroris accuſantur in hac ipſa re. Quomodo igitur pro ſe teſtimoninm perhibere poſſunt? Deinde quorſum attinet, id, quod jam antea toties proſtratum eſt, denuo in acie ponere? Chriſtus Deo eſt æqualis. Ergo perfectam ante

Pontificiorũ autoritas in religione, nulla eſt.

Chriſtus fuit Deo æqualis, ſed non abſolutè.

mortem habuit potestatem, nisi ostendatur, eum absolutè fuisse Deo æqualem. Quod non tantùm falsum est, sed etiam contradictionem implicat, stante numerica essentiæ divinæ unitate. Præterea quid est, quòd iterum, ut etiam in libello, *verbum caro factum*, sententiam futilem, nescio quorum (nam eos non nominat Smiglecius) de verbis, *non rapinam est arbitratus, esse Deo æqualem*, recenset, & eam verbose refutat? Hoc enim adversùs nos, quibus cum nunc illi res est, nihil prorsus pertinet.

Quatenus Christus Deo æqualis fuerit, in terris degens.

Iam cùm dico, Christum non fuisse æqualem Deo absolutè, cùm in terris degeret, sed secundùm quid, quod parum rectè explicat Smiglecius, dum ait: *in nobis salvandis*. nam aliter æqualitatem Christi cum Deo, quam in terris habuit, explicamus: nempe, quòd is, qui ad nos servandos venerat, tali & tanta potestate præditus fuerit, qualis & quanta in Deum tantùm cadere potest, & ita passim adoratus & cultus fuerit, ut ipse Deus, dum, inquam, ita limito Christi cum Patre æqualitatem, dum in terris degeret, minatur mihi Smiglecius, me non ita facilè evasurum, ut spero. *Nam*, ait, *etiam post resurrectionem negant isti Christo absolutam æqualitatem cum Patre: & tamen fatentur, esse potestatem perfectam & summam, quia est æqualis perfectæ & summæ divinæ potestati. Ergo pari ratione negare non possunt, ante resurrectionem fuisse perfectam in Christo potestatem, cùm fuerit æqualis divinæ, quantumvis ea æqualitas non esset absoluta*. Respondeo, nos fateri, potestatem Christi post resurrectionem esse perfectam, sed non absolutè & prorsus. Vt enim non datur æqualitas in essentia divina, sic nec in potestate perfecta absolutè. Perfecta quidem est certo respectu, quatenus nihil ei deest ad producendum effectus eos, quos salus humani generis postulat. Pater enim neminem judicat, sed omne judicium dedit filio: Non perfecta autem absolutè. Quia, ut Christus dono Patris istam potestatē habet, &, ut causa secundaria, illâ ad nos salvandos utitur: sic etiam ea extra negotium salutis non extenditur. Iam si post resurrectionem Christus ita est æqualis Deo, ut non habeat potestatem perfectam absolutè, quomodo ante resurrectionem ita Deo æqualis esse potuit, ut perfectam cum eo potestatem absolutè haberet? Notandumque hoc inprimis est, Christi cum Patre æqualitatem adeoq; potestatem, nunquam fuisse nec esse posse perfectam absolutè, nisi duos naturâ Deos introducere velimus: Sed æqualis Deo Christus fuit & tunc, cùm in terris degeret; & nunc æqualis est Deo, ob causas longè excellentiores, quàm antea. Antea enim ob istam potestatem, in ipso manentem, quâ & miracula facere, & eandem aliis largiri poterat; & ob adorationem, quæ ipsi passim

Christus nunc etiam Deo æqualis non est absolutè.

passim tribuebatur ab hominibus, Deo erat æqualis: nunc verò ob potestatem, quâ potest nobis sufficienter largiri omnia ad salutem necessaria, & tandem ipsam etiam salutem; & ob cultum, qui ei debetur ab omni creatura, æqualis Deo censendus est.

Cur Christus nunc æqualis Deo.

Quo observato, omnia dilui possunt, quæ hîc ulteriùs differit Smiglecius, nempe *nos non posse ullo modo affirmare, Christum fuisse potestate æqualem Deo, neq; ante resurrectionem neque post, si in sententia nostra persistamus*. Iam enim dixi, & dico iterum, nos perfectam Christo in terris degenti tribuere potestatem in iis rebus, quarum tunc habebat potestatem, sed non perfectam absolutè. In quo verò perfecta absolutè non fuerit, explicamus etiam, nempe cum nec spiritum sanctum dare potuisse credentibus, nec peccata perfectè remittere, nec in omnes homines, in dæmones & angelos imperium habuisse. Quæ frustrà hîc tantùm perstringit Smiglecius, quomodo autem se habeant, cap: præcedenti demonstravimus.

Iam dum ait Smiglecius, *hanc potestatem fore minorem, non æqualem*, in verbis ludit. Potest enim eadem Christi potestas & æqualis & minor appellari, diverso respectu. Æqualis fuit, quatenus non aliter Christus miracula faciebat, quàm ipse Deus. Nam potestate in se manēte ea faciebat, quam etiam cum aliis communicare poterat, quod de nemine illorum, qui vel antea vel pòst miracula fecerunt, dici potest. Omnes enim miracula potestate aliunde dependente faciebant, ideoque nomen Dei vel Christi ad ea perpetranda invocare tenebantur. Minor autem fuit, quatenus Christus miracula ista, potestate data sibi a Patre, edidit. Quod etiam de cultu & adoratione, qui Christo tribuebatur, dicendum est. In eo enim, quòd ab hominibus colebatur, æqualis Deo fuit, & honor divino æqualis: quòd verò colebatur, ut is, cui Deus dederat istam potestatem, ob quam adorabatur & colebatur, minor fuit Deo, & honor etiam divino honore minor. Post resurrectionem autem, longè perfectiorem Christo cum Patre æqualitatem tribuimus, ut antea indicavimus.

Christi potestas & minor divinâ, & æqualis illi dici potest.

Idem de cultu statuendum.

Quæ verò objicit Smiglecius, *quòd Christus nos servet, pro nobis interpellando, offerendo & Deo se subjiciendo*, diluta vel potiùs explicata sunt a nobis non semel in hac ipsa disputatione, nempe istas phrases, interpellandi & offerendi pro nobis, non repugnare perfectæ potestati, sed tantùm modum adeptionis illius potestatis innuere. Phrasi autem ista, *Deo se subjiciendo*, nec nos utimur, nec sacra scriptura: imò contrarium ex sacris literis excerpi posse docemus, quia scriptum sit, Filium olim subjectum fore ei, qui illi omnia subjecit. Quòd verò Deus nos salvat potestate sua absolutè, hoc illud i-

Christus se Deo nunc nō subjicit.

ipsum est, quod volumus, nempe Christi potestatem perfectam quidem esse suo modo: sed non absolutè & prorsus. Deus enim a nemine potestatem illam habet, quâ nos salvat, ut eam habet Christus. Sed nolo iteratione hac molesta lectorem fatigare.

Rationes porrò meas, quibus ex hoc ipso loco probo, Christum non fuisse æqualem Deo absolutè, refutare aggreditur: sed valdè frigidè & perfunctorie. Accuratiùs id ab eo tentatum fuit alibi: nec tamen effectum quicquam, ut ab initio capitis indicavi. Quid sit exinanitio Christi, &, Christum formam Dei nunquam deposuisse, iterum docere nititur: sed non minùs ineptè atq; antea. Hoc unum verbum hîc addam, ineptè Smiglecium probare ex eo, quòd Christus, in cruce patiens, filius Dei dictus sit, eum etiam in forma Dei fuisse. Nam Filium Dei esse, internas qualitates etiam respicit: in forma autem Dei esse omninò ad externa facta pertinet. Potuit igitur Christus esse Dei filius, etiamsi in Dei forma ad tempus non esset. Illud hîc non tangam, mansisse Christum Deum, etiamsi Christus sit mortuus, & Deum illum, hominem excitasse ex mortuis, latronem in paradisum introduxisse, in infernum descendisse, & ibi spiritibus prædicasse. Hæc enim omnia fabulosa & falsissima esse, suprà, non uno in loco, probavimus.

Filium Dei esse, & in forma Dei esse, differunt.

Aggreditur etiam quod dico, Christum tunc fuisse genitum, cùm eum Deus ex mortuis resuscitavit & glorificavit, adductis locis Actor: 13.33. & Hebr: 5.5., & ait, *negandum esse, scripturas uspiam dicere, Filium Dei esse per resurrectionem genitum. In Actis enim non dici, Deum resuscitando Christum, ipsum genuiße. Citari autem locum ad ostendendum, promissiones de mittendo salvatore impleviße Deum, cùm Christum resuscitavit.* Hoc verò quàm sit futile, dici vix potest. Non enim hîc sermo est de promissione mittendi Servatorem: sed de promissione dandi regem. Missus fuit Servator, quando docere cœpit: At rex non est factus reipsa, nisi Christo in cœlos exaltato. Potest enim Servator esse is, qui nondum Rex est. Deinde cùm Paulus dicit, Deum hanc promissionem implevisse, cùm Christum resuscitavit ex mortuis, & addit ad hanc rem comprobandam, *sicut & in Psalmo secundo dicit: Filius meus es tu, ego hodie genui te,* quis non videt, Paulum loco Psalmi, non tantùm ostendere velle, Deum promissionem implevisse, sed etiam implevisse tunc, cùm Iesum ex mortuis resuscitavit, & multò magis hoc, quàm illud? Nemo enim non intelligit, ad resuscitationem probandam peregregiè generationem accommodari: ad impletionem autem promissionis non nisi coactè, vel potiùs nullo modo. Hinc etiam factum est, ut multi

Locus Act: 13. explicatur.

Datur Servator, qui nondû sit rex.

multi ex ipsis adversariis hunc locum ex Psalmo adductum, de die resurrectionis intellexerint.

Hilarius. Chrysostomus. Franciscus Vatablus.

De loco Hebr: 5. ait, *ea non dicta esse ad Christum post resurrectionem, sed solùm eundem esse, qui Christum constituit Pontificem, & qui ad eum multò antè, imò ab omni æternitate dixit: Filius meus es tu, & quemadmodum in Psalmo 2. illis verbis declaravit, eum esse Filium suum: ita & in Psal: 106. declarasse, eum esse Pontificem.* Sed hoc totum nihil est, nisi assertio vel conjectura potiùs Smiglecii, eaq; ita audax, ut mirum sit, hominem ita arrogantem cum adversariis isto modo agere. Quid verò manifestius est, quàm autorem istum verba hęc afferre ad comprobandum, quòd Christus semetipsum non glorificaverit, ut fieret Pontifex, sed is, qui locutus est ad eum: *Filius meus es tu, ego hodie genuite?* Nisi igitur aliud proposuisse, aliud confirmasse velimus istum divinum virum, statuendum est, tunc etiam Deum filium suum genuisse, cùm eum glorificavit, ut fieret Pontifex. Nec sanè immeritò: Vt enim Christus, cùm ex mortuis fuit resuscitatus, eatenus genitus a Deo fuisse dicitur, quatenus eum Deus ex mortuo vivum effecit: sic etiam, tunc eum genuisse nobiliori modo, dici potest, quando ex mortali immortalem effecit, quod antea factum non est, quàm cùm Christus in mundum (illum futurum) ingrederetur, & quando ei corpus fuit aptatum vel perfectum redditum. Et sanè hoc, autori propositum fuisse, docere, sequentia etiam verba ostendunt, dum addit: *Quemadmodum etiam in alio* (loco) *dicit: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* Alias enim ineptè, per vocem *quemadmodum*, hoc testimonium cum præcedente copularetur, si hoc posterius de re, quæ Christo in terris degente facta. nam Pontificem Christum in cruce saltem factum esse credit Smiglecius: priùs verò de re, quæ ab omni æternitate facta sit, intelligatur.

Loci Heb: 5. sensus eruitur.

Christus genitus, cùm immortalis factus est.

Iam quæ hîc otiosè, suo more, addit Smiglecius, Christum in cruce sacrificasse: in cœlum autem ingressum hostias & oblationes secundùm ordinem Melchisedech offerre, lubens prætereo. Nam de his aliàs a nobis disputatum est, & disputabitur infrà ex professo. Annoto tamen hîc fallò & insidiosè dici, Christum nunc *hostias* offerre secundùm ordinem Melchisedech. Nusquam enim hostiarum Christi mentio, sed una tantùm in epistola ad Hebr. hostia Christi adversùs legales frequentes argutè proponitur, & non in eo, quod sacrificat Christus, confertur cum Melchisedech: sed tantùm in aliis sacrificii accidentibus, quæ etiam expressa sunt c. 7. ad Hebr. Quorum summa est: Quòd, ut Melchisedech, in Pontificatu nec decessorem nec successorem habuit, ita & Christus. Quid verò sacrificaverit

Inepta Smiglecii oratio.

In quo Christus cum Melchisedeco comparetur.

Nusquam Christus cum Melchisedeco comparatur, in eo quidnam sacrificârit.

Melchisedecho;&,quòd ex eo etiã conjectura fieri debeat, quid Christus nunc offerat, id nusquam exprimitur, nec ad rem quicquam facit: imò prorsus reijciendum est. Christus enim ipsemet & sacerdos & sacrificium est,quod in Melchisedecho nullum locum habere potest. Miratus autem sum, Smiglecium hîc dicere, *Christum post resurrectionem in cœlum tanquam in Pontificatus sui propriam sedem intrasse,ut in ea æternum resideret.* Si enim cœlum Pontificatus sedes propria est, certè,quemadmodum Rex priùs Rex esse non dicitur, nisi occupata sede Regia; quæcunq; verò antea fiunt, pro præparatione ad regnum capessendum censeri debent: sic etiam Christus Pontifex priùs reipsa factus esse dici non potest, quàm sedem Pontificatus propriam occupavit,& quæcunq; antea ab eo facta sunt,pro præparatione ad istum in Pontificatum ingressum habenda sunt. Quemadmodum etiam Pontifex legalis priùs sacrificare non potuit,quàm in sancta sanctorum ingressus esset; & quæcunq; ante ingressum in sancta sanctorum agebat, ea non sacrificium ipsum, sed ad illud præparatio quædam erant.

Smiglecius incautus verum dicit.

Deniq; ad id etiam respondet Smiglecius, quod dixeram, non posse Christum æqualem esse absolutè Deo, nisi duo naturâ Dii introducantur: sed valde insulsè. Nam stupiditatem & ignorantiam mihi objicit absq; ulla ratione,& deinde nudè suam sententiam recitat,quomodo Christus sit æqualis Deo absolutè, nec tamen sint duo Dii. Quia vèrò,hæc contradictionem implicare, manifestum est nimis:Deum esse unum numero, & esse alium Deo absolutè æqualem, ut antea docuimus,non est opus, pluribus de illo agere. Falsum & illud esse,quod hîc asserit Smiglecius ad errorem suum stabiliendum, duo diversa corpora unam numero quantitatem habere, suprà non uno in loco diximus, nec id ratione legitima docebit unquam Smiglecius.

Absolutè aliquẽ Deo æqualem esse, est, duos naturâ Deos statuere.

Caput VI.

Ex loco Ioan: 5. absolutam Christi potestatem ostendi non posse, demonstratur.

CAVILLATIONEM & calumniam Smiglecio dignam: *Si Paulo credere nolunt, Christi cum Deo æqualitatem tam perspicuè asserenti, credant saltem Christo eandem argumento efficacissimo comprobanti*, non curamus. Credimus enim & Paulo & Christo in eo,quòd Christus Deo æqualis fuerit:Sed Smiglecii explicationi,quam

ni,quam super hæc verba Pauli & Christi affert,non credimus,ut pote quæ tum sacris literis, tum ipsi sanæ rationi repugnet. Rem ipsam videamus.

Primùm igitur errat Smiglecius in concipiendo Christi argumento. Nec enim verborum illorum, *Pater meus operatur, & ego operor*, sensus est: Si licet Patri in sabbatho operari, licet & mihi. nusquam enim Christus disertè docuit, antequam exaltaretur & Rex populi divini fieret, sibi licere aliquid in sabbatho facere, quod lex prohibebat: imò disertè docuit, sabbathum non violari, si aliquid tale fiat, quale tunc ille vel Apostoli faciebant. Et sanè nec ipsa verba talem sensum suadent, in quo de licentia vel de pari potestate agitur. Tantùm enim de eo, quod tunc operabatur pater & filius, sermo est. Vnde Smiglecius, ut, quod semel dixerat, obtineret, ita Christum loquentem facit, *Pater operatur, ergo & ego operari possum.* quod quàm longè absit a Christi verbis, nemo non intelligit. Et credibile est, verba Christi interrupta esse a Iudæis. Sensus autem est: Injuriâ me reprehenditis, qui in sabbatho hominem ægrotum sanaverim. Hoc enim perinde est, ac si ipsum Deum patrem meum reprehenderetis. Nam hactenus ab eo tempore, quo munere meo fungi cœpi, nihil fit a me, quod pater non operetur, & perinde censeri debet id, quod ego operor, ac si pater id operaretur. Vnde multa in fumum ire necesse est, quæ deinceps Smiglecius ipsemet sibi, meo nomine, adversus hoc argumentum Christi objicit, & refutare conatur.

Sensus & vis verborum Christi Ioan: 5. investigatur.

Deinde & in eo errat Smiglecius, quòd verbis Christi sequentibus, *Amen amen dico vobis, Non potest filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, sensum affingit planè alienum a Christi proposito, & ipsis verbis contrarium. Ita enim illa accipit, quòd neque filius operari possit sine patre, neque pater sine filio. Quo vix aliquid absurdius dici potest. Christus enim, cùm audiret, Iudæos offendi eo, quòd Deum patrem suum appellaret, & seipsum Deo æqualem faceret, verba sua, *Pater operatur hucusq;, & ego operor*, explicavit, &, quomodo intelligenda sint, disertè docuit, nempe, quòd operationem eam, quam tunc operabatur, patri tribueret, id non ita accipiendum esse, ut jure eos offendere possit, quasi omnino & absolutè se cum patre suo comparet, sed certo respectu. Filium enim nihil a seipso facere posse, & eum tantùm ea facere, quæ videat patrem facientem, vel, ut paulò pòst Christus loquitur, quæ pater filio ostendat, idq; ita verum esse, ut, quæcunque pater faciat, ea similiter & filius faciat. Vnde constat, a proposito Christi alienum prorsus esse id, quod affirmat Smiglecius. Sed & ipsa verba nonne contrarium ostendunt?

Quid sit, Christum nihil a seipso facere posse.

dunt? Christus enim disertè dicit, se nihil a seipso facere posse, hoc est, se non esse parem Patri prorsus in operatione. De Deo enim, non nisi per summam blasphemiam, dici potest, quòd a seipso nihil possit facere, cùm, ut a seipso Deus est, sic omnia a seipso faciat: Smiglecius autem dicit, hinc colligi parem Christi cum Patre potestatem; imò, quod gravius erratum est, Patrem sine filio nihil operari posse. Sic scilicet eos tractare oportet sacras literas, qui præjudicatas opiniones ad eas afferunt, & ex illis præsidia conquirunt.

Error crassus Smiglecii.

Porrò summopere Smiglecius evincere conatur, unam & eandem operationem Patris & Filii his verbis luculenter designari: sed frustrà. Potest enim dici una & eadem operatio Patris & Filii, quòd tam Pater quàm filius operetur: licet Pater a seipso operetur, filius potestate sibi a Patre concessa. Itaq; omnia, quæ deinceps dicit Smiglecius, hac ratione expediri possunt, nempe verum esse, quòd nihil potuerit facere Christus, nisi priùs Patrem illud ipsum operantem viderit, si intelligatur, quid sit illud, *nisi Patrem viderit operantem*. Hoc autem intelligi debet ex verbis illis: *Non potest filius à seipso quicquam facere*. Horum enim illa sunt quasi quædam antithesis. Ergo ut hæc verba, *Filius a seipso nihil potest facere*, significant, Filium non habere potestatem a semetipso opera faciendi: sic verba, *nisi quod viderit Patrem facientem*, significant, eum potestatem habere a Patre ista opera faciendi. Perinde enim est, si quis omnia, quæ facit, data potestate faciat, ac si ea tantùm faciat, quæ alium viderit facientem.

Quatenus una Patris & filii operatio.

Vnde petendus sensus verborum: *nisi patrem viderit operantem*.

Verum etiam est, quæcunq; Pater facit, filium etiam similiter facere: Sed vox *quæcunq;* non est pertrahenda ulteriùs, quàm ad ea omnia, quæ tunc ad confirmationem Evangelii pertinentia fiebant. Hæc enim omnia, ut Pater faciebat a seipso, sic Christus data sibi a Patre potestate, & proinde similiter faciebat. Vnde constat, quàm ineptè Smiglecius dicat, *Patrem divina virtute fecisse, ut stella nova Magos in Bethlehem duceret, & ut spiritus sanctus descenderet, sicut columba, quod tamen Christus non fecerit*. Hæc enim opera alius generis sunt, & non ad Evangelii confirmationem, sed ad Christum recens natum, extraneis, adultum verò & jam munus suum obeuntem, Ioanni Baptistæ commendandum, pertinent, ut ipsa res loquitur. Atq; ita videre est, quàm justè dicat Smiglecius, *me difficultatis nodum vitare, & hoc refellere omittrre, in quo pondus argumenti versetur*. Nam & antè & nunc docui, argumentum illud Smiglecii nullum esse, & per summam vim ex Christi verbis extrui.

Vox *Quæcunque* quomodo restringenda.

Ineptè dicta a Smiglecio.

Nunc quid ad ea, vel potiùs quædam eorum (nam & hîc multa, suo more, gnaviter omisit Smiglecius) quæ ego dixeram de isto Io-

annis

annis loco, respondeat, videamus. Primùm dico, me mirari hominum cœcitatem, qui, cùm Christus, de quo semel dicitur, quòd æqualem se Deo fecerit, disertè dicat, se nihil a se ipso facere posse, non animadvertant, illum non fuisse absolutè æqualem Deo. Deus enim omnia a se ipso facere potest & facit, & si, a seipso omnia facere non posset, Deus non esset. Smiglecius *majorem meam eße cæcitatem & pertinaciam ait, qui id non videam, quod totus mundus in Christi verbis videt, viditq; semper.* At hæc responsio nimis trivialis est, & homine docto indigna. Nam nec certum est, totum mundum semper id vidisse, quod ait Smiglecius. cùm per omnia fere secula ii fuerint, qui diversum hac ipsa in re a Pontificia Ecclesia vel Homousianis sentirent, iiq; non pauci interdum numero; nec, etiamsi mundus totus (synecdochicè loquendo) id semper vidisset, sequitur, id veritati esse consentaneum. Quis enim nescit, corruptionem invasisse Christi Ecclesiam, ipsis Apostolorum temporibus, & postea ita auctam fuisse, ut defectio succederet, & a veritate aversas aures ad nugas converterint homines. Hoc autem fieri potuisse in hac de Christi essentia opinione, tantò est facilius creditu, quòd ista opinio, quantumvis erronea & monstrosa sit, & Dei gloriam obscuret, salutem tamen per se non adimat, atq; ita in ipsa vera aspectabili Christi Ecclesia reperiri potuerit.

Totius mũdi, preter Apostolos, autoritas in religione nulla est.

2. Theß. 2. 3.
2. Tim: 4. 4.

Sed nunc rationem addit Smiglecius, dum ait, *evidens per se clarumq; eße, si Christi & Patris una sit eademq; operatio, ut nec ipse sine Patre, nec Pater sine ipso quicquam facere possit, Christum eße omnino æqualem Patri.* Hanc a nobis antea dissolutam esse, meminisse potest lector. Falsum enim est & Christi verbis ex diametro contrarium, ita eandem fuisse operationem Patris & filii, ut Pater sine filio nihil potuerit operari. Pater enim sine filio omnia operari potuit: at filius nihil sine Patre. Et nimis sophistica est hæc verborum Christi obscuratio. Talem enim sensum inducunt, ac si Deus Pater non secus ad Christum alligatus & ab eo dependens fuerit, ut Christus ad Patrem alligatus & ab eo dependens fuit. Quo nihil magis Christianæ religioni contrarium cogitari potest. Nam de Patre dicere, illum nihil a seipso facere posse, esset, eum impudenter blasphemare: De filio autem id dicere, est, insigniter illum & Deum etiam commendare & extollere. Quomodo igitur ita sine filio Pater nihil facere potest, ut filius sine Patre? Ex qua locutione vitiosa vitiosè deinde infert Smiglecius, eandem esse numero unam virtutem ac naturam filii & Patris, ac proinde omnimodam æqualitatem. Vbi enim unius talis est operatio, ut nihil a seipso facere possit, alterius verò talis, qui omnia

Blasphemum est dicere, Patrem sine filio nihil facere posse.

a seipso facere possit, licet per alium faciat, ibi eandem numero virtutem esse, nemo sanæ mentis dixerit.

Porrò, dum me docet Smiglecius, quomodo filius, qui nihil a se ipso agat, absolutè æqualis sit Deo, qui omnia ex seipso agit, oblitus est ejus, quòd sine rationibus nec ego nec quicquam alius, qui ab ipsius Ecclesia recessimus, ipsum audire teneamur. Hîc verò ipse aliud nihil dicit, quàm quod jam antea dictum est, & a me, tanquam blasphemum, quid refutatum, nempe ita unam & eandem fuisse operationem Patris & filii, ut nulla fuerit dependentia a Patre, sed quòd eodem prorsus modo operatus sit Pater & filius. Hoc enim falsissimum esse, Christi verba, *Filius a seipso nihil potest facere*, perpetuò evincunt. Et si verum est, quod ait Smiglecius, *tunc inæqualitatem inferri posse, cùm quis non possit quicquam a seipso facere ob defectum vel dependentiam potestatis*, jam semetipsum in eo, quod me docere voluit, refutavit. Nihil enim certius est, quàm Christum in illis verbis, *Filius a se ipso nihil potest facere*, disertè docere voluisse, se nullo modo quicquam eorum, quæ tunc fiebant, facere potuisse propria & non accepta potestate, & proinde defectum eatenus & dependentiam indicasse, quatenus ea potestas, quæ tunc in ipso manebat, & propria ejus effecta fuerat, a Patre data sibi ex gratia fuerat. Per quod id etiam dilutum est, quod deinceps addit Smiglecius, ad conciliandum, quomodo quis sit summus Deus, & tamen nihil possit a seipso facere. Tunc enim non summum fore concedit, si ob defectum vel dependentiam non possit. Iam verò docuimus, Christum id ipsum dicere, cùm dicit, se nihil a seipso facere posse.

Nihil a seipso facere posse, dependentiam, suo modo, potestatis significat.

Summum Deum esse, & nihil a seipso facere posse, repugnant.

Vrseram hoc etiam in priori responsione vehementiùs, nempe nullo modo dici de eo posse, qui naturam divinam habeat, vel summus Deus sit, quòd nihil a seipso facere possit. Nam si omnia a seipso possit secũdùm alteram naturam, eamq; potiorem, negari non posse de toto subjecto, id nihil a seipso posse. Quemadmodum de homine negari non potest, eum aliquid non posse, quia corpus ejus id non possit. Satis enim est, hominem id posse secundùm animam: Sed ad hoc connivet Smiglecius perpetuò. Nos verò ista observare lectorē jubemus, ut, qua fide Smiglecius, disputet, hinc dignoscere queat.

Smigl: omittit, quæ refutare nequit.

Sed nunc iterum disertè asscribit Smiglecius, quod antea aliquoties etiam in hoc capite dixerat: *nempe hac ratione nec Patrem fore Deum summum.* Quæ audacia & sophisticatio Smiglecii blasphema, digna est iterum examine. Sic igitur ait: *Is, qui sine alio nihil operari potest, non est summus Deus. Atqui pater sine filio nihil operari potest. Non est igitur Deus.* Animadverte hîc, quisquis es, Smiglecii ingeniũ. Primùm loco ejus quod concludere debebat, *non est i-*

Argumentum Smiglecii examinatur.

gitur summus Deus, concludit, *Non est igitur Deus*. Deinde majorem impudenter aliter format, quàm nos, & quàm ipsemet paulò antè confessus fuerat. Nos enim non dicimus, eum, qui sine alio operari non potest, non esse summum Deum: sed dicimus, *eum, qui a seipso nihil potest facere*, non esse summum Deum. Ergo aut insigniter imperitus est Smiglecius, aut dolo tantùm rem agit. Illud verò, quia de se dici nolet Smiglecius, nec ego dicere ausim, aut hoc dicendum mihi est, aut certè aliquid aliud cogitandum, nempe Deum ipsius animum excæcasse, ut, quia veritatem, quam, nostra refutando, non potest non videre, admittere ob causas parum justas non vult, eandem admittere non possit, & interim quidvis scribat, ne in disputando succubuisse videatur. Sed deinde, quæ probatio minoris est? Quæcunq; enim Pater fecerit, hæc & filius similiter facit. Num hîc dicitur, quod est in minori, nempe Patrem sine filio nihil operari posse? Certè nihil minùs. Num verò hinc illud colligi potest? Minimè verò. Verba enim Christi tantùm id in se continent, quòd, quę Pater faciat, filius tunc etiam similiter fecerit, cùm in terris esset: at nullo modo indicant, quomodo vel pater vel filius faciat. Hoc verò antea indicatum fuerat a Christo, dum dixit, Filium nihil a se ipso facere posse, nisi Patrem viderit facientem; & iterum dicitur, cùm postea addit, Patrem diligere filium, & omnia ei monstrare, quæ ipse facit.

Sine alio nihil operari posse, & nihil a seipso operari posse, differunt.

Patrē sine filio nihil operari posse, &, quæ Pater facit, ea similiter filiū facere, differunt.

Iam Smiglecius iterum me docet, quid sit dependentia propriè: & quia Christus virtutem a Patre acceperit, non ex liberalitate & gratia, sed naturaliter & necessariò, idq; ab æterno, ideo eam accepisse sine dependentia asserit. Sed hoc totum antea non semel dictum ab eo fuerat: a me verò, tanquam sacris literis contrarium, rejectum. Christus enim in hoc ipso loco ait, Patrem diligere filium, & propterea ei opera monstrasse, quæ tunc faciebat; et ex eadem dilectione etiam opera majora ei demonstraturum. Si ex dilectione Pater virtutem dedit filio, ergo non naturaliter & necessariò: Si semel dedit certa opera, & iterum majora alio tempore, ergo non ab æterno. Immotum igitur manet, quia filius a seipso nihil potest facecere, filium non esse summum Deum. Is enim omnia a seipso facere potest.

Christus non necessariò, nec ab æterno, sed ex gratia & certo tēpore virtutem operandi accepit.

Sed nos iterum urget Smiglecius, ut ipsemet ait, *dum quærit, quænam sint illa opera, quæ filius non potest facere, nisi videat patrem facientem, num diversa sint, num eadem. Si diversa sint, consecuturum illud absurdum, quòd pater priùs opus suum facere debeat, tum filius aliud simile opus exemplo patris facturum: si eadem, unam eandemq; patris & filii operationem, & ex consequenti eandem virtutem & naturam esse.* Sed & hoc totum antea dictum fuerat, & a me refutatum in pagina præ-

 cedenti.

cedenti. Prius ridiculè dicitur, ob non intellectum Christi verborum, *nisi quod viderit patrem facientem*, sensum: posterius captiosè. Potest enim esse una eademq; virtus in duobus, diversa ratione, in uno naturâ, in altero, beneficio alterius. Nugatur autem vehementer Smiglecius, dum sic considerat Christum respectu patris, ut considerari potest sapientia artificis in artifice. Nam hac ratione Christus Deus esse negatur, quod tamen nunc probandum suscepit Smiglecius. Nam ut sapientia artificis persona ab artifice distincta non est: sic nec distincta erit persona a Patre Christus. Quomodo igitur ejusdem erit naturæ Christus cum patre? Artifex solus operatur per suam sapientiam: At sapientia ipsius non potest dici similiter operari, ut ipse, nisi impropriè. nam per se non subsistit: et si hac ratione etiam Christus dicatur operari, jam persona esse non poterit, adeoque nec Deus.

Christus non est respectu Patris id, quod est, respectu artificis, sapientia illius.

Nunc verò aliud agere incipit Smiglecius: carpit scilicet nostrã explicationem verborum Christi, *nisi viderit Patrem facientem*, quæ est, nisi quod faciendi potestatem & jussum a patre habuerit, et eam, non sine contemtu nostri, sic excipit: *Scilicet istis hominibus peracutis idem est facere, quod faciendi potestatem habere? O cæcas hominum mentes! si enim tam impudenter scripturas pervertere liceat, quid veri unquam ex scripturis elici poterit?* Ad marginem etiam addidit: *Arianorum in interpretando nequitiæ*. Tu verò, benevole lector, memento, quoties isto scribendi modo utitur Smiglecius, eum aut falli, aut fallere, aut simul utrumque concurrere. Nonné enim prorsus falsum est, quod de nobis affirmat, & tot verbis exagitat? Non dicimus, *facere & potestatem faciendi concedere*, idem esse, ut nos traducit Smiglecius: sed dicimus, verba, *nisi quod filius viderit Patrẽ facientẽ*, idem esse, nisi quod filius faciendi potestatẽ aut jussum a patre habuerit. Hoc verò quid convenientius? Perinde enim esse, si quis nihil possit a seipso facere, sed tantùm quod alium videt facientem, ac si potestatem & jussum aliquid faciendi ab alio habeat, puto per se omnes intelligere. Sed & alio dolo hîc usus est Smiglecius. Vt enim explicationem nostram exosam redderet, non tantùm falsò eam allegavit, verùm etiam mutilè. Nam si verba illa, *nisi Patrem viderit facientem*, sola ponantur, non tam evidenter apparet, eum sensum illorum esse, quem nos indicamus: At si alia, quæ præcedunt, addantur, hoc modo: *Filius a seipso nihil potest facere, nisi quod viderit Patrem facientem*, tunc, alium sensum posteriorum verborum esse non posse, prȩter eum, quem nos asserimus, evidentissimum est. Nam si de aliquo dicatur, eum *a seipso*, hoc est, potestate non accepta sed naturali, nihil facere posse:

Verborum, *nisi quod viderit Patrem facientem*, sensus eruitur.

& tamen

& tamen iterum dicitur, eum aliquid facere,necesse est, eum ab alio potestatem & jussum faciendi accepisse.Tertius enim modus agendi inter hos duos non datur. Vnde apparet, Smiglecium a se confictam explicationem exagitare,& frustra indignari.

Denuo nos vrgeri, ait Smiglecius, *& argumentum efficacissimum pro absoluta Christi æqualitate sumi ex his verbis: Quæcunq;pater fecerit,ea filius similiter facit.* Sed idem argumentum iisdem verbis eodem fere folio ascriptum fuerat. Quomodo igitur possumus denuo illo premi? Cogitet Smiglecius secum, quid ego & alii de ipso jure sentire possimus, dum ista legimus. Hac negligentia Smiglecii ita indicata, concludo iterum, & dico,summam esse audaciam Smiglecii, qui ex illis Christi verbis, *Quæcunq; pater fecerit, ea filius similiter facit*, inferre audeat, patrem nihil facere,nisi quod filius similiter facit. Christi enim verba tantùm docent,quòd Christus sine Patre nihil facere potuerit, sed quòd ea fecerit, quæ pater tunc faciebat: & ita ostendunt, Christum nihil potestate, quam a seipso habeat, fecisse: Smiglecii autem illatio ita Patrem ad filium alligat, ut nos filium ad Patrem alligamus. Quæ magna est blasphemia. Pater enim multa & antea fecerat, & postea fecit,quæ filius similiter nec fecit,nec facere potuit. Et ea propter Christus ad ista opera miraculosa, quæ tunc fiebant, & alia ad Christi Evangelium pertinentia, respiciens, vocibus, *fecerit*, & *facit* usus est, aliis proculdubio usurus, si de omnibus aliis, quæcunq;Deus unquam fecerat,loqui voluisset. Appellat hîc doctorum judicium Smiglecius: appello & ego,si unum adhuc verbum addidero. Nimis ineptire Smiglecium, qui, argumentis hactenus a se coacervatis quasi non confidens, iterum argumentum subnectit omnium infirmissimum. *Omnia,ait,nominantur, ergo, nihil excipi, nemò diffiteri potest.* Vix enim alicubi vox *omnia* universè prorsus accipitur: & tamen,si crebrò generatim accipiatur, argumentum ex eo ductum,nullum esse, luce meridiana clarius est. Hîc verò eam restringendam esse,antea indicavimus.Nam de rebus,quæ tunc fiebant,sermo est, nempe de operibus, quæ pater filio demonstrabat minora illis,quæ postea erat ei demonstraturus.Hæc igitur omnia tantùm,quę tunc faciebat pater, similiter & filius faciebat. Sed & ipsa verba Smiglecii sequentia quid sapiant acuminis,iidem docti judicent,dum ait: *Quòd si nihil facit pater, quod non faciat filius: ergo nihil facit, nisi quod facit filius. Nam si aliquid faceret, quod non facit filius, non eßet verum, quæcunq; pater facit,hæc & filius similiter facit.* Tantùm enim non nugatio sunt ista omnia,& ad sensum exoticum detorsio verborũ Christi,dum ita dependere dicitur pater a Christo,ut Christus a patre.Nõ

Sensus verborum, *Quæcunq; Pater fecerit, & filius similiter facit*, indicatur.

Pater multa fecit, quæ Christus non fecit, nec facere potuit.

Nusquam dicitur, Patrem nihil facere, quod non faciat filius.

dicit Christus, patrem nihil facere, quod non faciat filius. Ergo etiam falsum est, patrem nihil facere, nisi quod faciat filius. Et tamē verum est, quæcunq; pater tunc faciebat, similiter etiam tunc fecisse Christum. Nam & Pater per Christum miracula faciebat, & Christus potestate sibi a patre data eadem opera edebat.

Futilem porrò appellat hanc argumentationem, dū ex eo, quòd filius non possit quicquam a seipso facere, colligo, patrem & filium non operari eadem numero potestate, quâ tamen solidior vix ulla esse potest, ut ipsa res loquitur. Sed audiamus quid dicat ad hæc Smiglecius? *Etiamsi enim*, ait, *una sit numero potestas: tamen in filio est a Patre: in Patre non est ab alio, sed a se: & idcirco eadem numero potestate & filius non a se dicitur operari & pater a se.* Hoc verò quid ineptius? Ita enim loquitur Smiglecius, ac si jam constet, unam numero potestatem esse in patre & Christo, & deinde, quomodo sit in patre & filio nudè asserit. cùm hoc ipsum nunc probandum sit, an una numero potestas detur in patre & filio. Hoc enim impugnatur argumento nostro. Sic scilicet quasi fugiens sæpe pugnat Smiglecius.

Sed nunc alterum argumentum meum affert: Christo pater ex dilectione omnia ostendit, quæ facit. Ergo Christus non fuit absolutè æqualis patri. Is enim naturali sua potestate omnia agit. Dicit autem Smiglecius, *hoc facilè refutari*, & addit: *Nam quia filius eadem prorsus opera, & eâdem, quâ pater, virtute operatur, est unius virtutis & naturæ cum patre, ut dictum est, ac proinde verus Deus, & sic illi non ex dilectione, sed naturaliter opera patris, demonstrantur, eaque Filius naturaliter videt. Quatenus verò ex dilectione demonstrantur eadem opera, indicatur in Christo alia quoq; natura, humana videlicet, cui ex gratia demonstrantur opera patris videnda.* En habes, lector, artificium responsionis Smiglecianæ. Cùm non habet, quò se convertat, audacter id, quod est in quæstione, sumit. Nonné enim hoc ipso argumento meo impugnatur natura ista in Christo divina, quâ hîc eludere me vult Smiglecius? Prętérea nonné, concessis etiam istis fictitiis in Christo naturis, falsum esse constat, quod hîc dicit Smiglecius? Quid enim opus fuisset, ut *Pater* Christo demonstraret aliqua opera, siquidem Christus, quà Deus, ejusdem operationis prorsus & naturæ est, ut addit Smiglecius? Iam enim ista natura divina poterat demonstrare Christo omnia opera: imò non poterat non demonstrare omnia opera Christo, & proinde pater nullo modo, ea demonstrare, dici poterat. Sed porrò falsum esse, quòd filius eadem prorsus opera, & eadem, qua Pater, virtute, operatus fuerit, jam hoc capite decies probatum fuit. Christus enim se tantùm *facere*, tunc scilicet, cùm ista dice-

Quia Pater omnia Christo demonstravit, nulla in Christo divina natura extitit.

diceret, ait, quæ pater faciebat, nempe tunc etiam, hoc est, de præsentibus tunc temporis tantùm operibus agit, & se nihil a seipso facere posse affirmat. Vnde patet, eum nec eadem prorsus opera, nec eadem prorsus operatione operatum esse.

Tertium argumentum meum est: Quomodo is absolutè æqualis Deo esse potest, in quo incrementa operum locum habent, & cui præter ea, quæ habet, plura dari possunt? Certissimum enim est, Deum omnia simul & semel habere, quæ in natura ejus sita sunt. Smiglecius me interogat, *an in Deo incrementa operum locum habeant?* Respondeo igitur, isto modo, quem ego in Christo ex verbis ipsius ostendo, & quem hîc supprimit Smiglecius, nulla ratione locum in Deo habere, nempe, ut ei, præter ea, quæ facere semel potest, postea iterum alia faciendi detur potestas. Hoc enim est, quòd Pater demonstrabat filio opera, & iterum alia demonstraturus erat. Et per hæc verba, non operum a patre effectorum, sed virtutis operandi incrementa intelligi, ex eo constat, quòd Christus, declaraturus vel probaturus hanc operum majorum demonstrationem, addit hæc verba: *Sicut enim pater mortuos resuscitat & vivificat, ita & filius quos vult, vivificat.* Nec enim pater antea, cùm Christus hæc diceret, neq; postea in hunc usque diem opus tale exhibuit, nec porrò exhibebit, quòd mortuos sit vivificaturus, nempe per se. Hoc enim per Christum faciet. Relinquitur igitur, Christum dicere voluisse, sibi tantam virtutem deinceps dandam esse, quanta tunc in patre erat, ut scilicet possit etiam mortuos, quos vellet, vivificare. Quia verò ad cap: 2. relegat lectorem Smiglecius, ubi se demonstrasse ait, Christum omnem suam virtutem & potestatem semper habuisse, ego etiam eodem jure ad illud caput appello.

Incrementa operum quomodo in Deo locum non habeant.

Christus virtutis operandi incrementa accepit.

Argumentum præterea nostrorum est: Si Christus sit æqualis Deo, non fore eum æternum & summum Deum, cùm nemo sibi ipsi sit æqualis. Hoc antea malè conceperat Smiglecius hoc modo: Nemo sibi ipsi æqualis esse potest. Si ergo Christus idem Deus sit cum patre, sequitur, Christum sibi ipsi æqualem esse. Monueram ego hujus vitii Smiglecium: Ille verò ad hoc connivet ita, ut nec errorem agnoscat, nec defendat, nec excuset. Quod an Theologiam tractantem deceat, judicet lector. Nunc, ad rectè conceptum, idem prorsus repetit, quod antea etiam dixerat: *Christum non sibi sed Patri esse æqualem, &, quamvis pater sit idem Deus cum Christo, non esse tamen eandem personam.* Qui respondendi modus quàm sit desperabundus, & tunc indicavi, & nunc iterum indico. Dico, principium peti ab adversario. Nam id, quod est in quæstione, ita sumit, ac si jam probatum vel

Smiglecius monita contemnit.

a nobis

a nobis concessum esset. Smiglecius ait: *Respondentem non petere principium, cum ex suis principiis respondet: Ex sua autem & omnium sapientum sententia naturam & personam distingui, idq; antè a se probatum esse*, & occasione hujus sui responsi, *me immeritò imò stultè clamare, principium a Smiglecio peti, & non solom me illum improbè calumniari, sed etiam, quid sit petitio principii, turpiter ignorare*, satis prolixè perorat. Sed si expenderit Smiglecius, quod res est, animadvertet, se hîc latebras tantùm quærere, nec tamen evadere posse. Nonné enim principium petit respondens, cùm ex suis principiis tunc respondet, quando principia ista illius impugnantur? Hoc verò fieri in hac quæstione manifestum est. Principium est Smiglecii: Christum esse summum Deum, qui pater est, non tamen eandem personam. Nos argumentum opponimus tale: Christus est æqualis summo Deo. Ergo non est summus Deus. Nemo enim sibi ipsi æqualis esse potest. Quo argumento nostro impugnatur totum illud principium Smiglecii. Nam qui negat, Christum esse summum Deum, eo quòd Deo æqualis est, is hac ipsa opera docet, illum non esse talem divinam personam, qualem eum esse credit Smiglecius. Iam cùm ad hoc argumentum diluendum dicitur: aliud esse in Deo naturam, aliud personam; & Christum, licet sit æqualis Deo, non esse tamen idem cum Deo personâ, sed naturâ tantùm, quid aliud quæso fit, quàm quòd petitur, quod est in principio? Quod ego quidem doctis judicandum relinquo.

Principium a Smiglecio peti, docetur.

Addam autem hîc, quod ipsemet Smiglecius alibi scribit: *Stultum est, dare instantiam in iis rebus, quas adversarius non admittit. Lex instantiarum est, ut sint ex earum rerum genere, quæ ab adversario admittuntur: ita ut, iis admissis, non possit admittere id, de quo controversia instituta est.* Hoc autem ibi scribit, ubi Dn. Moscorovium ex eo, quòd in Christi nomen baptizamur, colligere ait, baptizari in alicujus nomen, non soli Deo competere, quia Christo & nomen Iesu impositum legamus, & ipsum a Deo factum esse Christum & Dominum. Et hoc crassam Dn. Moscorovii petitionem principii appellat.

In lib: de Baptismo pag: 9.

Præterea & hoc addo, Smiglecii ad hoc argumentum responsum, non carere alio etiam vitio. Nam pro eo, quod nos unà cum scriptura dicimus, Christum *Deo* esse æqualem, unde constat, eum non esse ipsum Deum, ille ait, Christum *patri* esse æqualem. Quanquam verò ex nostra sententia Deus is, cui æqualis est Christus, pater sit, & nemo alius: tamen ex mente Smiglecii, id non semper verum est. Is enim credit, per vocem *Deus*, ipsam etiam Trinitatem intelligi. Iam si id verum sit, quid hîc valebit ista Smiglecii responsio: Non sibi, sed patri

Fallacia Smiglecii.

patri æqualis eſt? Certum enim eſt, ſi vox *Deus* omnes tres perſonas Trinitatis quandoq; ſignificet, & una illarum ſit Chriſtus, Chriſtum non patri ſed ſibi ipſi æqualem futurum. Quod falſiſſimum eſſe nemo non videt,& ipſum etiamSmiglecium non diffiteri,vel hinc conſtat,quòd,loco Dei,patrem ſubſtituat in ſua reſponſione. Quæ de temeritate mea addit Smiglecius, quòd verba Chriſti, *niſi quod viderit patrem facientem*,ita explicem, niſi quod pater ei conceſſerit, per ea, quæ ſuprà dicta ſunt non ſemel, ſatis diluta eſſe unusquisq; per ſe perſpiciet.

Addit adhuc duo alia,ex eodem capite Ioh: 5.,pro Chriſti abſoluta cum patre æqualitate, argumenta. 1. eſt: *quòd Chriſtus habeat vitam in ſemet ipſo, ut pater.* Vnde infert, *vitam Chriſti ita divinam eſſe, ut eſt patris, & proinde eandem naturam.* Sed ad hoc reſponſum eſt antea in hoc eodem capite. Vt mirari poſſis, quid iſta repetitione ſibi velit Smiglecius,ſi id datâ operâ facit:Si verò per incuriam iſta fiunt vel negligentiam, certè non multùm exiſtimationi ſuæ cõſuluit. Repeto id,quod res eſt,uno verbo,Pater habet vitam in ſemet ipſo:Chriſto data eſt vita a Patre. Ergo vita independens duplex, altera naturalis, altera beneficiaria. 2. Argumentum eſt, *Chriſto debetur par honor cum patre. Ergo prorſus æqualis Deo.* Sed hoc ad rem facit nihil. Nunc enim de abſoluta Chriſti cum patre æqualitate ante mortem ſermo eſt:Honor autem ille,de quo ibi ſermo eſt,ad tempus futurum refertur; & tantùm indicatur,Deum velle,ut Chriſtus honoretur ſicut pater, quod priùs a Deo procuratum non eſt, quàm cùm Deus Chriſtum ex mortuis reſuſcitavit, & ſuper omnes cælos exaltavit. de quo ſuprà nimis multa dicta ſunt,ita ut non opus ſit ad ea quicquam reſpondere, quæ porrò ſibi, nomine noſtrorum, objicit & refutare nititur Smiglecius, niſi & lectoris benevolentiâ abuti, & tempus inaniter perdere velimus. Agnoſcimus nunc in Chriſto poteſtatem parem patris poteſtati: ſed datam, ſed tantùm in ſalutis negotio,ſed ad conſummationem ſalutis tantùm. Tunc enim regnum ſuum tradet Patri, & ipſe filius ſubjectus ei erit. Ergo honorem ſuo modo parem honori divino ei tribuimus, non tamen prorſus parem,ob cauſas jam additas. Atq; ita hactenus firmiter demonſtravimus, Chriſtum, ante ſuam exaltationem,non fuiſſe prorſus & abſolutè æqualem Deo.

Chriſti vita divina ut Patris, beneficio Patris.

Perfectus Chriſti honor poſt exaltationem illius cepit.

Quatenus par poteſtas Chriſti divinæ.

Caput VII.

Chriſtum poſt reſurrectionem demum reipſa & perfectum factum eſſe Dominum, oſtenditur.

VAnam Smiglecii aſſertionem, quòd Scripturæ teſtentur, Chriſtum ante mortem perfectè dominum fuiſſe, ſinimus. Loquetur enim pro nobis id, quod hactenus ſcripſimus: Quomodo nunc idem docere conetur Smiglecius, videamus. Duo loca antea a ſe allata ineptiſſimè, nunc rectè allata eſſe pertinaciſſimè aſſerit. Alter locus eſt, Ioann. 3. 34. *Non enim ad menſuram*, vel, ex menſura, *Deus dat ſpiritum.* Dixeram ego, hunc locum de Chriſto accipiendum eſſe, non conſtare, rationibus additis ſatis evidentibus, ideoq; alium eorum ſenſum eſſe poſſe, quàm is eſt, quem Smiglecius illis affingit. Smiglecius primùm indignatur, &, *hæreticorum me ingenium oſtendere, quorum proprium ſit, novas indies artes ad receptos ab omnibus ſcripturæ ſenſus evertendos excogitare*, moroſè objicit. Sed Smiglecius oblitus eſt, ſemetipſum eſſe hæreticum, vel ſaltem a me pro tali haberi; non attendit etiam, non eſſe eas artes ullas, quæ rationibus muniuntur, & ſacris literis conſentanea ſunt; nec perpendit deniq;, ſemper rationum potiorem eſſe vim, quàm ejus, quod, ut ille ait, ab omnibus receptum eſt. Non enim omnes ſunt illi, qui idem cum Smiglecio ſentiunt, ſed tantùm Pontificii omnes, præter quos, alios viros multos, & multa eorum ſcripta olim extitiſſe, ipſimet Pontificii confitentur. Sed hæc leviora ſunt.

Locus Ioan: 3. elucidatur.

Smiglecius caſtigatur.

Videamus, quomodo probet Smiglecius, hæc verba ad Chriſtum neceſſariò, ut ait, pertinere. Sic igitur ſcribit. Primò, *quia ad eum finem commemorantur, ut probent, Chriſtum Dei verba loqui.* At conſecutio nulla eſt. Potuerunt enim in eum finem commemorari, etiamſi ad Chriſtum nullo modo pertineant. Nonné enim ad probandum, Chriſtum, quem Deus miſit, verba Dei loqui, hoc eſt, perfectiſſimam Dei voluntatem exponere, egregiè illud quadrat, quia Deus non dat ſpiritum ex menſura? Hac enim ratione tacitæ objectioni occurritur, quâ quis dicere potuiſſet: Cur plus debeo tribuere Chriſto quàm aliis? cùm alii etiam ſpiritum Dei habuerint, & reſpondetur, Deum quidem dediſſe etiam aliis ſpiritum, ſed non ſemper dare eum eodem modo & eâdem menſurâ, ſed, pro libitu ſuo, huic abundanter, alii verò abundantiùs.

Quomodo verba Ioan: 3. ſuperiorũ ſint ratio.

Deinde ait Smiglecius, *id conſtare ex verbis ſequentibus: Pater diligit*

diligit filium, & omnia dedit in manu ejus, quibus scilicet ratio reddatur, quare non ad mensuram Deus det spiritum Christo. Sed istud antea etiam dictum fuerat a Smiglecio iisdem verbis in Monstris, & a me refutatum ita, quòd nulla sit rationis redditæ nota: sed quòd sequentia cum præcedentibus tantùm simpliciter nectantur & quasi continuentur. Cur igitur hoc ita pertinaciter obtrudit Smiglecius, non refutato eo, quod illi responsum erat?

Smigl: ad solutiones vel objectiones non respondet.

Tertiùm ait, *nisi de Christo hæc verba intelligantur, de nullo alio intelligi posse. Aliis enim Deum dedisse spiritum ad mensuram: soli filio non ad mensuram. Quod enim datur ad mensuram, datur parcè aut mediocriter, quòd verò datur non ad mensuram, datur largissimè & effusissimè.* Sed hoc frustrà totum est. Nos enim nunc contendimus, de nulla persona id dici necessariò. Ergo nec de Christo. Iam si id, quod in hoc loco dici videtur, soli Christo competit, id ex accidente est, quatenus scilicet aliunde constat, Deum unxisse Christum oleo læticiæ super omnes consortes illius. Quanquam concesso eo, quòd de Christo hæc verba sint accipienda, nihil prorsus accedit præsidii Smiglecio. Potest enim quis sine mensura spiritum divinum habere, hoc est, perfectissimè nosse omnia divina secreta: nec tamen esse omnium absolutus Dominus. Et hactenus argumenta fuerunt Smiglecii, quibus docere voluit, verba Ioannis de Christo accipienda esse, quæ qualia & quanti sint momenti, expendet lector: nunc, quomodo nostras rationes refutet, videamus.

Verba Ioan: 3. de nulla persona intelligenda necessariò.

Dixeram primò, filium non nominari, nec aliquo modo, per relativum scilicet, indicari, de eo sermonem ibi esse. Smiglecius sat habuit nudè dicere, *ex materia subjecta apparere, alteri quàm filio accommodari non posse.* Ego autem, id verum esse, Smiglecium hactenus docuisse, nego: simplices porrò assertiones apud nos nihil valere, novit Smiglecius. Dixeram iterum, ex voce *dat* colligi posse, de Christo non esse sermonem. Hæc enim præsentis temporis est: Christo autem jam antè datus erat Spiritus sanctus. Smiglecius ait, *modum loquendi esse usitatum, quo præsens tum pro futuro, tum pro præterito solet accipi.* Ego verò, licet præsens pro futuro sæpe numero accipi fatear: nego tamen præsens pro præterito ita frequenter accipi, ut ea conjungere ita licuerit Smiglecio. Raro enim hanc enallagen occurrere, hactenus persuasum habeo. Quæ verò rarò occurrunt, ad ea, in scripturis explicandis, non nisi tunc recurrendum esse, cùm nulla alia datur eas intelligendi ratio, omnes sani Theologi jure sentiunt. Itaq; ridendus est Smiglecius, qui absq; omni necessitate docet, præsens

Præsens pro præterito rarò usurpari.

Ad ea, quæ rarò usurpantur, rarò recurrendum.

ſens pro futuro interdum accipi,cùm id nemo neget, & ad rem nihil prorſus faciat. Nunc enim, an præſens pro præterito accipiatur,quæſtio eſt,idq́;oſtendendum erat.Reprehenſione autem dignus cenſendus eſt,qui, ad oſtendendum, præſens pro futuro accipi, afferat locum Ioan: 5. *Quæcunq́; pater fecerit, hæc & filius ſimiliter facit.* Quid enim vetat, quo minùs hoc in loco vox *facit* de iis tantùm rebus intelligatur,quæ tunc fiebant,& de nullis aliis,ut antea fuſè docuimus? Ad oſtendendum porrò præſens pro præterito accipi,ſatis habuit attuliſſe hæc verba: *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu ejus.* Quis verò concedet Smiglecio, hîc de præterita dilectione ſermonem eſſe, cùm,pereleganter id de præſenti dilectione intelligi poſſe, nemo non videat. Mirarer ſanè Smiglecii in hac re probanda negligentiam, niſi compertum haberem, id difficulter probari poſſe ex ſacris literis, quod hîc affirmat. Meminerit autem Smiglecius, præſens pro præterito accipi, hactenus a ſe demonſtratum non eſſe, & valdè utilem eſſe eam grammaticam,quæ a propria verborum interpretatione non recedit, absq́; urgente aliqua neceſſitate. Quæ quia hîc nulla oſtendi poteſt, firmum ſtat, hæc verba de Chriſto non eſſe neceſſariò accipienda. Dum deniq́; queritur Smiglecius, me manifeſtam vim ſcripturæ facere, quòd verba *non ex menſura* (ſic enim ex Græco ſonant verba) dat Deus ſpiritum, ita explicem, non dat Deus ſpiritum unâ & eâdem menſurâ, pueriliter ſe gerit. Cum ſi non conſtet, de Chriſto iſta verba accipienda eſſe, iſtum ſenſum admitti ſaltem poſſe, nemo ſanæ mentis negaturus eſt.

Quid ſit ſpiritum non dari ex menſura.

Iam ad alterum locum Ioan: 1. *Verbum caro factum eſſe*, accedens Smiglecius, indignabunda utitur præfatione, quâ in nos ita invehitur, ac ſi ſcripturæ aliquam partem in dubium vocemus: Sed hujusmodi invectivis orationibus nihil nunc proficitur, Smigleci, apud eos, qui jugum veſtrum excuſſerunt: rationibus niſi certaveris, victum te eſſe tu ipſemet fateberis.Nihil hîc eccleſiæ veræ,nihil etiam aliis viris doctis detrahitur,dum dicitur,vocem,quæ antiquitùs converſa fuerat, *factum eſt*, converti poſſe, *fuit*. Exigua enim admodum in eo eſt eruditio, & pueris id notum eſſe poteſt. Hoc verò ab Eccleſia Romana & aliis non fuiſſe obſervatum, non eruditionis defectu, ſed alii rei tribuendum eſſe, nos ſponte noſtra confitemur,ita ut,etiamſi nos omnes Auguſtinus unus ſuperet, quem tamen tam ſuperciliosè & non ſine convicio (*Quæ malùm, tanta arrogantia & ſuperbia*) nobis opponi valdè miramur, cùm nulla iſta dicendi occaſio prorſus fuerit: tamen hîc vel lapſum eum eſſe,vel vim vocis Græcæ parùm rectè conſideraſſe aut intellexiſſe, dici poſſit.Sed,his indignationibus

Cum adverſariis nō invectivis ſermonibus ſed rationibus certandū.

tionibus omissis, quæ indicio sunt, Smiglecium deficere rationes, quid ad nostram versionem dicat, expendamus.

Concedit igitur primùm, vocem Græcam ἐγένετο ita converti posse. Ex quo apparet, quàm otiosè autoritatem ecclesiæ & Augustini nobis hîc opposuerit. Quod enim ratio permittit, id nemo hominum, autoritate sua sola, infringere potest. Sed ait Smiglecius, verti etiam posse, *factum est*. Non negamus. Videndum est igitur, utra versio obtinere debeat. Quia verò id a nobis factum est nuper in refutatione libri Smigleciani, *Verbum caro factum*, ubi omnia, quæ Smiglecius dicit, refutata & nostra defensa extant, nolo tempus inaniter perdere. Videat benevolus lector, si velit, caput istius libri. 17. &, jure me hîc substitisse, confitebitur.

Smiglecius se ipsum refutat.

Addenda tamen hîc sunt quædam, quæ in loco citato non tractantur, quorum unum est: An plenitudo gratiæ & veritatis absolutè sit accipienda de omni gratia, an verò de ea tantùm, quæ doctrinâ cōtinetur. Nos hanc exprimi affirmamus. opponitur enim hæc gratia legi per Mosen latæ. Smiglecius, cùm nesciret, quid hîc respondendum esset, iterum indignatur, &, *Christi nos dignitati & majestati detrahere*, asserit. Sed ad ista nos convicia jam surdi sumus, conscii nostræ nobis innocentiæ. Responsionem petimus. Totâ igitur me viâ errare, ait: *Sicut enim gloria ejus fuit gloria quasi unigeniti a patre, hoc est talis & tanta, quanta unigenitum Dei filium decebat: ita & plenitudo gratiæ & veritatis tanta intelligenda est, quanta unigenitum Dei filium decuit.* Sed nihil dicit Smiglecius. Nam, ut plenitudo gratiæ & veritatis secundùm quid accipi potest: ita etiam Christi gloria, tunc temporis gloria quasi unigeniti a patre, secundùm quid considerari potest. Vt ut enim semper unigenitus Dei filius Christus fuerit: non semper tamen ob easdem causas unigenitus filius Dei fuit.

Convitia a disputationibus abesse debent.

Gloria Christi Ioan. 1. secundùm quid considerari potest.

Quæ deinceps disserit de differentia plenitudinis gratiæ inter alios sanctos & Christum, ea prorsus omitti poterant. Nemo enim nescit, quantum differat ab aliis omnibus Christus: Ex eo verò, quòd Christi plenitudo excedat omnium aliorum plenitudinem, non sequitur, eum tunc, cùm in terris esset, plenum fuisse absolutè omnis gratiæ, quæcunq; dari ei poterat, quod nunc probandum erat.

Alterum est, quòd verba ista, *plenus gratiæ & veritatis*, intelligi possint de tempore, cùm Ioannes ista scriberet. Quod hac ratione comprobâram. Nam Ioannes mox addit: *& ex plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Ioannem autem & alios Apostolos non accepisse gratiam pro gratia, cùm Christus in terris degeret,

Verba Ioan: de quo tempore accipienda.

ret, hoc est, præstantiorem gratiam eâ, quam lex offerebat, hinc constare dixeram, quòd unà cum aliis Apostolis, ad Christi usq; ascensionem, gratiam tantùm carnalem, qualem lex offerebat, somniarent. Ad hanc rationem nihil prorsus respondet Smiglecius: sed iterum nos mordet, *quòd omnis nostra industria in eo desudet, ut Christi dignitas & gloria quàm maximè minuatur.* Quod silendo nos refutamus. Novit enim D. Iesus, hoc falsum esse. Notet autem cordatus lector, tunc valdè premi a veritate Smigle:, cùm ita calumniatur. Loco autē responsionis hoc addit: *Verbum fuiße plenum gratia & veritate, tunc cùm caro factum est, & habitavit in nobis, post resurrectionem autē, quando Ioannes id scripsit, non in nobis habitabat, sed in cœlo.* Sed ista omnia a Smiglecio ne dici quidem merebantur. Nam, falsum esse, verbum factum esse carnem; & verbum, cùm caro factum est, ut sentit Smiglecius, plenum fuisse gratia & veritate; & habitare in nobis, de hominibus vulgaribus accipienda esse, hactenus docemus.

Sed quia, dato etiam, quòd verba illa, *plenus gratia & veritate,* & de tempore, quo Christus in terris versatus est, & absolutè de omni gratia & veritate accipienda sint; & etiamsi alia, *non ex mensura dat Deus spiritum,* ad Christum referantur, non tamen ex eo sequi diximus, & iterum dicimus, quòd Christus perfectè dominus fuerit. cùm gratia & veritas, vel spiritus, nihil cum potestate commune habeant; respondet Smiglecius, *licet expreßè de Christi dominio non loquantur, tamen ea continere, ex quibus id neceßariò inferri debeat.* Nam *si,* ait, *Christus gratiâ semper plenus fuit, cùm secundùm adversarios præcipua Christi gratia, & beneficium fuerit potestas illa & dominium in res omnes, ea quoque gratia plenum semper fuiße, consequens est.* Sed ludit in voce *Gratiæ* Smiglecius. Hæc enim aliquando pro omnibus, quæ in aliquem conferri possunt, beneficiis accipitur: aliquando pro singulari beneficio, quod liberalitatem & beneficentiam respicit, ut hoc in loco. Opponitur enim gratiæ, nempe legali. Quod de potentia intelligere valdè foret absurdum: de beneficentia verò si intelligatur, rectissimè habebunt omnia. Plenus ergo fuit gratiâ, hoc est, perfectissima promissa Dei nomine revelavit: sed non plenus omni eo, quod gratia & beneficiū appellari potest, ut sophisticatur Smiglecius.

Gratiæ duplex significatio.

Addit Smiglecius: *Similiter si Deus non ad mensuram dat spiritum Filio, & non ad mensuram diligit Filium, omnia absolutè dedit in manu ejus.* At scriptura non dicit, Deum non ad mensuram tunc dilexisse filium, cùm in terris esset: sed audaculus Smiglecius ista addere non erubuit; & etiamsi diceret, Deum non ad mensuram dedisse spiritum

filio,

filio, & non ad mensuram dilexisse filium: tamen hinc non sequeretur, eum tunc omnia absolutè dedisse filio. Poterat enim ei, cui non ad mensuram spiritum dederat, & quem non ad mensuram diligebat, jam hoc jam illud dare, donec omnia, quæ scilicet dari necesse erat, ei daret.

Successivè Deus omnia dedit Christo.

Iam porrò Smiglecius docere iterum conatur, cur Christus Dominus non sit factus post resurrectionem, dum ait, *hinc consecuturum, Christum antea nullo modo fuiße Dominum, cùm scriptura absolutè dicat, Christum eße factum Dominum.* Sed animadvertere debebat, ea etiam dici posse fieri, & jurè, quæ perfectè fiunt. Hoc sensu dicitur, eos, qui nunc sunt filii Dei, futuros olim Dei filios: & de Christo dicitur, quòd, cùm filius Dei esset, constitutus sit Dei filius in potentia per Spiritum sanctificationis.

Fieri dicuntur, quæ perfectè fiunt. 1. Ioan: 3. 2. Luc: 20. 36. Rom: 1, 3.

Ait iterum, non sine argutia sed valdè sophistica, *Si propter alias scripturas, quæ testantur, Christum antea fuiße Dominum, dicere nolunt adversarii, eum absolutè eße factum dominum, sed tantùm secundùm quid, id est, factum perfectum: pari ratione nos dicimus propter scripturas, quæ illum antea fuiße perfectè Dominum testantur, non eo sensu dici factum Dominum, quòd antè non eßet perfectè Dominus, sed aliis modis, quibus is, qui est perfectè Dominus, dici poteſt factus Dominus.* Sed impar est ratio ejus, quod sentit Smiglecius, ab eo, quod nos sentimus. Eum enim, qui dominus dicitur & est certo respectu, Dominum fieri posse perfectum, & sana ratio & ipsa scriptura contestatur, ut modò docuimus: At de eo, qui est reipsa perfectè dominus, dici, eum factum esse dominum, nulla sana ratio permittit. Contradictio enim in eo est, esse perfectè aliquid, & id ipsum fieri. Ergo etiam id ipsum sacra scriptura admittere non potest. Nihil enim in sacris literis esse contradictorium, Smiglecius nobiscum confitetur.

Cur nostra sententia de loco Act: 2. præstet Smiglecianæ.

Esse aliquid perfectè, & id ipsum fieri, repugnant.

Modos denique exponit Smiglecius duos, quibus Christus post resurrectionem dicatur dominus factus. Vnus est: *quòd Dominus sit factus quoad actum dominandi.* Alter est, *quòd per mortem novum jus & titulum dominii sibi acquisiverit.* Sed quia hi modi antea etiam allati fuerunt, & a nobis refutati sunt in priori responsione, & nunc nihil novi ad eos confirmandos affertur a Smiglecio, nolo tempus inaniter perdere, repetendo jam non semel dicta, & in re valdè culpabili Smiglecium imitando. Summa est responsionis nostræ. Crassè in utroque isto modo principium peti, vel id tacitè sumi, de quo controversia est, nempe Christum potestatem perfectam antea habuisse, sed eâ usum non esse, & novo eam titulo obtinuisse. Probetur enim prius,

Smiglecius in sententia sua exponenda principium plerunque petit.

ûs, Christum dominium antea habuisse: & tunc dicatur, eum illo usum non fuisse, vel uti noluisse, & novo deinde titulo obtinuisse. Hoc non probato, quid aliud facit Smiglecius, quàm quòd sibi & aliis astutè imponit, &, vafrè confrictis ratiunculis, divinæ veritatis clarissimam lucem obscurare nititur. Quanquam & illud prorsus ineptè dicitur, eum, qui Deus ille summus est, ad certum tempus potestate vel dominio carere voluisse. Deus enim, qui naturâ talis est, non potest carere suo dominio. Hoc ipso enim Deus etiam est. Præterea quid opus fuit Christum *à Patre* dominum fieri, vel quomodo *a patre* dominus fieri potuit, si ipsemet perfectum antea dominium habuit? Nonné ex religione ludus tandem jocusq; fiet, si istas nugas tueri ampliùs velimus? Quantò verò rectius est, statuere, eum, qui olim infirmus fuit & mortalis, nunc a Deo ita esse exaltatum, ut omnia, solo Deo excepto, illi sint subjecta? Hæc enim & planissima per se sunt, & ad summam Dei gloriam pertinent, consolationem deniq;, humano generi in Christo propositam, ad oculum quasi demonstrant.

Christus a Patre Dominus effici nô potuit, si antea Dominus fuit perfectus.

Caput VIII.

Sententia, de Christi post resurrectionem exaltatione, ex loco ad Phil: 2. asseritur.

POSSEM hîc iterum, benevole lector, jure meo uti, & ad hoc caput nihil prorsus respondere. Nam quæ hîc a Smiglecio dicuntur, dicta ab ipso sunt tum in Monstris, tum maximè in libello, *verbum caro factum*, ad quod responsum jam extat, tum deniq; in hoc ipso libro suprà cap: 5., quò lectorem etiam remittimus: ne tamen deesse veritati, toties iisdem fallaciis oppugnatæ, videamur, breviter quasi digito monstrabimus, quàm vani sint Smiglecii, licet satis verbosi, conatus.

Cur Christus non fuerit altissimus, ratio 1.

Verè igitur ait Smiglecius, nos ex eo, quia Christus exaltatus post & propter mortem fuit, concludere, Christum non fuisse semper altissimum: nec contrarium unquam vel ex scripturis vel ex sana ratione demonstrabit Smiglecius, quod tamen utrumq; promittit. Ait, Paulum dicere, *eum, qui in forma Dei fuit, ac proinde altissimus, tam humiliatum quàm exaltatum esse. Vt igitur non repugnat, altissimum humiliari: sic nec exaltari.* Sed incîdo nervum. Paulus non dicit, Christum fuisse altissimum. ergo nec dicere potuit, eum fuisse humiliatum: imò, quia Chrstum humiliatum dicit, negat eum esse altissimũ.

Christum

Christum verò fuisse in Dei forma & æqualem Deo, longè aliud esse, quàm esse altissimum, imò, hæc contraria esse, suprà prolixè demonstratum est. Et hoc, non dicam argumento, sed dolo Smiglecii, qui in forma Dei & Deo æqualem esse, ita explicat, esse altissimum, detecto, nonné prostratus jacet Sophista?

Æqualem Deo, vel in forma Dei, & altissimum esse, contraria sunt.

Reliqua, quæ hîc interseruntur, quomodo Christus se exinanîverit, an formam Dei ad tempus deponendo, an formam servi sumendo, nolo nunc examinare ampliùs. Præstitum enim id est a nobis in refutatione libelli, *Verbum caro factum*. Rem ipsam exponam & defendam breviter. Certum est, Christum seipsum exinanivisse. Ergo certum etiam est, Christum formam Dei & æqualitatem cum illo ad tempus deposuisse, hoc est, ita se gessisse, ac si non esset in forma Dei & Deo æqualis. Nam formam Dei & æqualitatem cum eo perpetuò exercere, & exinanire se, contraria sunt.

Ratio 2.

Iam quòd Christus tempore passionis se filium Dei esse confessus est; quòd à latrone in cruce pro Domino agnitus, & a centurione fuerit; & deniq; Dominus gloriæ in cruce pendens a Paulo appelletur, ad id etiam ibidem respondimus. Nunc addimus: Longè aliud esse, fateri, se esse filium Dei, & Deo æqualem vel in forma Dei esse. Nam filium Dei se esse fateri, verbis absolvi potest: At æqualē Deo & in forma Dei esse, actiones externas respicit, nec quicquam cum confessione commune habet. Filium Dei esse, est de natura Christi: at in forma vel Dei vel servi esse, accidentia sunt. Agnosci itidem ab uno & altero pro filio Dei & domino, cùm interim extrema quis omnia patiatur, & universus mundus eundem conspuat & eidem insultet, quomodo, in forma Dei & Deo æqualem esse aliquem, ostendere potest? Potest qùis agnosci ab aliquo pro tali, qui sit in forma Dei & Deo æqualis: nec tamen propterea dici potest, eum esse in forma Dei & Deo æqualem. Nam proculdubio istam Dei formam & cum Deo æqualitatem semper, suo saltem modo, in Christo omnes illi agnovêre, qui ipsi adhærebant: & tamen Paulus dicit, Christum seipsum exinanivisse. An Paulus Christum in cruce pendentem pro domino gloriæ agnoverit, paulo pòst videbimus. Malchum sanatum fuisse a Christo (non in cruce pendente, ut antea in Monstris dixerat Smiglecius, sed capto, ut nunc, seipsum, sed tacitè corrigens, ait,) istius formæ divinæ & æqualitatis cum Deo argumentum quidem erat: sed tamen, dum is, qui paulo antè auriculam Malchi sanaverat, statim eâ ipsâ horâ passus est se capi, ligari & afligi, nonné semet ipsum exinanivit, & ita se gessit, ac si omni potentia vacuus esset? Nos enim, dum Christum semetipsum exinanivisse dicimus, non id de i-

Filium Dei, & in Dei forma esse, differunt.

Exinanitio Christi ad externam ejus formam pertinet.

sta interna amissione potestatis, sed de externa forma, quæ in Christo tunc apparuit, intelligimus: quemadmodum etiam reipsa forma illa Dei & æqualitas cum illo, non censetur aut censeri debet ex ista interna potestate, quâ Christus erat præditus, sed ex actionibus externis, quas vel ipse operabatur, vel quæ ab aliis ipsi exhibebantur, ob quas Christus Deo æqualis esse jure censeri poterat. Iam dum, ad istam formam servi, mortem etiam ipsam addendam, dico, eo sensu id dico, quo Paulus ait, eum formam servi et in eo sumsisse, dum usq; ad mortem, mortem autem crucis obediens Deo fuit. alioqui certum est, propriè loquendo, in ipsa vita Christi ante mortem, formam illam servi potissimùm conspectam fuisse. Sed tota hæc concertatio nihil omnino iuvat Smiglecium. Credit enim, si ostendi possit, Christum non deposuisse formam Dei, Christum etiam futurum fuisse altissimum: At ad hoc refutandum satis est ostendisse, eum, licet, ut vult Smiglecius, in seipso formam Dei retinuisset, externè ita se demisisse & abjecisse, ut servus. Hoc enim nimis evidenter indicat, eum non fuisse altissimum. Altissimum enim esse & externè se demittere, contraria sunt.

Quo sensu mors Christi etiam ad formam servi pertineat.

Christum in cruce pendentem a Paulo appellari Dominum gloriæ, negaveram. Potuit enim ita appellari, respectu ejus temporis, quo Paulus ista scribebat, ut sensus sit: Si cognovissent principes mundi (nempe sapientiam illam, de qua Paulus ibi loquitur) nunquam eum, qui nunc est Dominus gloriæ, crucifixissent. Smiglecius nihil hîc primùm aliud opponit, quàm mentem, ex suo sensu, Pauli aliam atq; nostra est. Nempe si Iudæi cognovissent, quod tunc erat Christus, nempe Dominus gloriæ, non fuissent ausi manus ei inferre. Sed hunc non esse necessarium verborum Pauli sensum, satis est ad eum refutandum. Affert deinde explicationem verborum, *Dominus gloriæ*, quæ est, *dignum esse gloriâ, & quia Christus gloriâ dignus fuerit, ideo eum gloriæ Dominum appellatum esse statuit.* Sed prorsus incertum est, eo sensu Christum a Paulo Dominum gloriæ appellatum esse. Potuit enim Dominus gloriæ appellari, quia gloriosus erat, ut vox gloriæ substantiva, sit loco adjectivi posita, Hebraismo admodum usitato. Gloriosus autem verè tunc fuit, cùm ista a Paulo scriberentur. Quòd autem latro & centurio eum pro Christo agnoverint, id non evincit, eum tunc reipsa Dominum gloriæ fuisse. Potest enim is etiam pro filio Dei agnosci, qui est contumelia affectus & probris obnoxius, si aliunde constet, illum esse Dei filium. Quod in latrone & centurione facilè est conjicere. Potuit enim latro non ex aliqua Christi gloria, sed, vel antea quàm caperetur, & cum Christo ad mortem duceretur, ex Chri-

Cujus temporis respectu Christus a Paulo Dominus gloriæ appellatus

& cur.

Potest etiam contumelia affectus pro filio Dei cognosci.

ex Christi doctrina eum cognovisse: vel tunc, quando una cum illo captus fuit, ex variis, quæ partim ipse Christus fecerat & locutus erat, partim ab ipso Deo fiebant ad demonstrandam Christi innocentiam, cognoscere, Iesum esse illum, quem se profitebatur, nempe promissum Messiam. Centurio autem non ex gloria Christi, sed ex miraculis stupendis, quæ, ab ipso Deo facta, horrorem illi incutiebant, agnovit, illum esse filium Dei. Inter quæ numerandum est id, quod hîc recenset Smiglecius, nempe terræ motus. Illud enim, non nisi inepte huc accōmodatur, *quòd Christ⁹ magna voce clamans expiraverit*. Hoc enim naturali modo fieri potuit, præsertim si consideretur, Christū integris viribus tunc fuisse, cùm crucifigeretur: &, si tamen aliquid præternaturale in eo fuisse, statuere quis velit, nihil certè ista cum magno clamore expiratio facit ad ostendendum, eum esse Dominū gloriæ. Id enim fieri potuit, Deo sic rem procurante, ut Christi vox ista homines non planè desperatos perterrefaceret.

Ineptia Smigl.

Cur Christus voce magna expiraverit.

Attuleram locum huic similem, ubi dicitur, quòd Iudæi autorē vitæ interfecerint. Smiglecius ait, *Verè etiam Christum in cruce pendentem autorem fuiße vitæ*. At ego dixeram: Contraria esse, autorem vitæ esse propriè, & interfici, ut ipsa loquitur ratio. Hîc ad suū principium confugit Smiglecius, *& aliam in Christo vitam fuiße præter eam, quam tunc perdebat, antea se demonstraße gloriatur*. Quod quàm verum sit, jam puto constare omnibus. Citiùs enim doceret Smiglecius, nigrum esse album, & lucem tenebras, quàm Christum, præter naturam, & ita vitam humanam, aliam naturam & vitam aliam habuisse.

Act. 3.15.

Autorem vitæ esse propriè, & interfici, contraria sunt.

Non negârim tamen, quod alibi etiam dixi, Christum, & Dominum gloriæ & autorem vitæ, respectu ejus temporis dici potuisse, idque duplici respectu, quia scilicet ex parte gloriosus tunc etiam fuerit reipsa; & gloriæ illi, quam nunc habet, ita destinatus, ut nulla ratione id mutari potuerit: quemadmodum etiam autor vitæ dici potuit, tum quia quædam jam fecerat, ex quibus hominibus occasio data erat consequendi vitam æternam; tum quia ad id, ut esset causa salutis æternæ perfecta, immutabili Dei decreto constitutus erat. Sed hæc non statim dicere volui, ut appareret argumenti Smigleciani ex his verbis petiti infirmitas.

Alius sensus, quo Christus ante mortem Dominus gloriæ & autor vitæ dici potuit.

Sed nunc audiamus, quomodo Smiglecius doceat, me ipsi rationi repugnare, dum dico, eum, qui est altissimus, exaltari non posse. *In altissimo*, ait, *duo neceßariò distinguenda eße, potestatem summam, ob quam dignus est, ut ab aliis summo honore colatur, et ipsum honorem summum, qui ei debetur. Et ut altissimus humiliari dicatur, non eße neceße, ut*

summam illam dignitatem amittat, sed satis eße, si non pro dignitate altis-simi tractetur. Sed ista omnia vanissima sunt, & semetipsa destruunt. Nec enim reipsa tunc quis est altissimus, cùm, non ut altissimus, ab hominibus tractatur vel tractari potest. Et contraria hæc prorsus sunt, posse tractari ut infimum & abjectum, & tamen esse altissimum reipsa. Hinc illud, quando homines impii flocci pendunt Deum altissimum, nusquam ita describitur aut describi potest, quòd Deus humilietur. Ad humiliationē enim requiritur voluntas ejus, qui humiliatur. Quæ in Deo nunquam fuit, aut esse potest: at in Christo nobis omnibus imitanda proponitur. Potest quidem is, qui magnus est, admittere & experiri multa adversa suæ dignitati. nam ex magno parvum fieri nihil prohibet: at is, qui est altissimus, admittere nihil tale potest, nisi altissimus esse desinat ad tempus, quemadmodum is, qui magnus est & adversa admittit, magnus ad tempus: esse desinit. Iam si altissimus esse desinere posset, hóc ipso non esset altissimus. Firmissimum igitur argumentum nostrum est, nec ullam metuit Smiglecii Sophisticationem: Christus exaltatus fuit. Ergo altissimus non fuit. Cujus argumenti vim perspiciens, captione illa sua iterum utitur, dum altissimum eum nominat, qui dignissimus fuerit summo honore. Sed & hac captione nihil efficiet. Nunc enim de eo, quod Christus reipsa fuerit, non verò de eo, quo dignus fuerit, quæstio est. Cæterùm dum docet, quomodo altissimus, idq;, ut hîc addit, uterq;, nempe & Deus & Christus in humana natura assumta affligi & mori potuerit, fabulam nobis narrat, quæ per se ita putida est, ut meritò ejus, omnes Christiani nominis professores, pudere debeat. Et quia aliter sententia Smiglecii, quam de Christo habet, defendi nequit, quàm ista tam crassè absurda & blasphema pertinaciter asserendo, vel hinc constat, quàm crassè absurda & blasphema & ipsa sit.

Altissimum non posse tractari ut infimum.

Altissimum esse & summo honore dignissimum, differunt.

Porrò dum doceo, Christi æqualitatem cum Deo, in eo etiam constitisse, quòd passim antè adoratus & cultus fuerat; & quia tempore passionis cultus ille Christo tributus non fuit, Christi etiam æqualitatem cum Deo esse desiisse, respondet Smiglecius tria in hoc argumento esse vitia, & eos ad marginem horrendos appellat lapsus? 1. facit. *Quòd adoratio & invocatio non sint æqualitas cum Deo, sed illius quid consequens.* Sed quid hîc est horrendi, etiamsi tandem error esset. Ita res exaggerare solent, qui eas parum considerant. Sed nullus etiam hîc error est. Non enim ex eo, quia adoratio & invocatio sit consequens quoddam potestatis, in qua æqualitas cum Deo consistit, sequitur, adorationem & invocationem ad æqualitatem cum Deo non pertinere etiam, quod nos dicimus. Vtrumq; enim & potestas & ejus conse-

Incogitantia Smiglecii.

Adoratio & invocatio ad potestatem divinam pertinet.

consequens potuit ab Apostolo commemorari, & certè commemoratur. Quanquam æqualitas Christi cum Deo non rectè a Smiglecio consideratur, dum eam in potestate interna sitam fuisse autumat. Non enim in ipsa potestate vel potestatis possessione, sed in potestatis exertione eam sitam vult esse Apostolus, quod per formam Dei, quæ nihil aliud est, quàm externa species, etiam satis superq; indicatur, & rursus per formā servi, quæ itidem nihil aliud significat, quàm externam servi speciem, declaratur & comprobatur.

Æqualitas Christi in externa forma consistit.

2. Vitium facit Smiglecius, *quòd falsum sit, Christum in cruce nec invocatum fuiße, nec divino honore cultum.* Exempla iterum adducit latronis & centurionis: & rationem ait suadere, ei, qui in cruce filius Dei & Deus esse credebatur, divinos honores impendi potuisse. Ad exempla antea responsum est. Addo nunc, me non dicere, formam Dei in Christo, fuisse in eo, quòd unus atq; alter in animo suo eum adoraverit, sed quòd passim plurimi publicè cum antea adoraverint: postea verò ab omnibus ferè desertus & consputus fuerit. Ad id, quod rationem suadere ait Smiglecius, respondeo, verum id esse: sed vicissim dico, paucos admodum fuisse, qui credebant, eum filium Dei & Deum esse. Sperabant quidem antea, illum redemturum Israel, ut illi, quibus Christus obviam factus fuit Emaus euntibus, dicebant: sed hæc spes illorum quasi obmortua fuit, cùm viderunt, Iesum in forma ista servi exinanitum & humiliatum. Hinc Petrus Deum collaudat, qui regenerârit se & alios in spem vivam, per resurrectionem ex mortuis Iesu Christi. Et præterea etiamsi honor divinus Christo tributus a quibusdam fuisset: hinc tamen non constitisset, eum in forma Dei & Deo æqualem fuisse, sed tantùm, eum ab illis pro tali habitum fuisse. Ad id verò, ut quis in Dei forma sit & Deo æqualis, requiritur necessariò, ut id publicè fiat, & ab aliis conspiciatur.

Quod plæriq; faciunt, indefinitè de omnibus dici potest.

1. Petr. I. 3.

3. Vitium facit, *quòd Christus non ob defectum adorationis actualis æqualis Deo fuerit, & quòd non externo honore coli, sed cultu divino dignum esse, ad æqualitatem cum Deo faciat.* At hoc & verè idem est cum primo, & per se falsum censendum est respectu hujus loci. Iam enim docuimus, Paulum istam in Christo cum Deo æqualitatem ita considerare, ut formam Dei. Forma autem Dei est externa species divina. Hanc enim, & non aliam, deponere ad tempus vel exinanire potuit Christus.

Forma externam speciem significat apud Paulum

Iam, de nostra horum verborum Pauli explicatione, dicturus aliquid Smiglecius, suam simul explicationem verborum Pauli de exinanitione & humiliatione Christi exponit, usitatam illam & nobis non incognitam, sed nulla ratione suffultam, & per se falsam & absurdam,

surdam, nunc verò controversam. Examinemus ea paululùm. Primùm per formam servi naturam humanam simpliciter intelligit: Sed ipsa verba aliud suadent. Non omnis enim homo, servus est: & natura humana ad plures pertinet, quàm ad servos; et ineptum prorsus est, per speciem genus exprimi. Tam enim Christus Dominorum naturam habuit, quàm servorum.

Forma servi cur non sit natura humana.

Deinde exinanitionem Christi & humiliationem, ad ejus incarnationem refert, & ad id obtinendum, differit, quàm parva & exigua res sit Deo, hominem esse. Sed exinanitio ista tribuitur Iesu Christo. Sic enim ait Apostolus? *Hoc sentiatur in vobis, quod in Christo Iesu* &c. ChristusIesus autem is est, quem virgo Maria peperit. Huic enim nomen Iesus ab angelo datum: & hic a Deo postea unctus fuit. Vnde etiam alibi fatetur & contendit ipse Smiglecius, vocem Christi humanam naturam Christi significare, vocem verò Filii Dei, divinam. Vnde constat, exinanitionem aliquid aliud esse, quàm istam fictitiam naturæ humanæ assumtionem. Nam Christus Iesus eam non assumsit: sed Iesus Christus secundùm Smiglecium, est illa natura humana, quæ a Filio Dei assumta est. Adde quòd exinanitio ista & humiliatio nobis imitanda proponitur: Sed istam incarnationem quis imitari potest? De quo plura scripsimus in Refutatione libri, *verbum caro factum*. Nolo nunc tempus terere docendo, quàm sit doctrina absurda & horrendus error, dum creditur, Deum illum summum, factum esse hominem. Hoc enim abundè fecimus in homiliis nostris super initium Evangelii D. Ioannis, ubi ostendimus, nihil tale in universo sacro codice reperiri: & etiamsi reperiretur, præstare, sanum ejusmodi locutioni sensum adhibere, quàm ita, ut sonat, eam accipere, quia scilicet nimis absurdus esset is sensus, quem præseferrent. Nunc hoc addo, Smiglecium nihil facere, dum istam incarnationem per exinanitionem explicat. Nam fieri, aliquid, non immutata priori natura, est, aliquid ad naturam assumere, quantumvis id sit exile: At exinanire seipsum, est, aliquid vel etiam multum, perdere. Nemo regem se exinanire diceret, si, salvis omnibus ejus ditionib⁹, quas priùs tenebat, nova ei accederet, quantumvis exigua, sed, auctum esse re exigua, jure diceretur: Sic etiam, si Deus homo factus esset, non exinanivisse sese, sed auxisse dicendus esset.

Exinanitio non est incarnatio.

In Monstris.

Homil: 8.

Cur incarnatio non deberet dici inexinanitio.

Tertiò ait Smiglecius, *Paulum formam servi explicare per similitudinem non servorum sed hominum, & habitum non servi sed hominis.* At unde constat, Paulum per verba, *in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo*, explicare præcedentia, *formam servi sumsit?* Certè Smiglecius id nulla ratione comprobavit. Nos verò dici-

rò dicimus, hæc verba esse aliam oppositionem ejus, quòd Christus se exinanivit. Exinanivit se Christus, quia, cùm antea Deo æqualis & in forma Dei esset, postea formam servi sumserit, & in similitudine hominum factus sit, & habitu inventus ut homo. Per homines autem, cùm vel diis vel deorum similibus vel æqualibus opponuntur, homines vulgares intelligi, a nostris eleganter demonstratum fuerat, exemplis duobus illustribus, quæ a me repetita sunt in priori responsione. Prius est in Psalmo, ubi Deus dicit, eos, quos Deos ipse appellat, morituros ut homines. Alterum est in lib: Iudicum, ubi de Samsone, qui divina quadam præditus antea fuerat potentia, dicitur, eum futurum, ut unum hominem. Cùm tamen nimis apertum sit, nec Deos illos terrenos, nec Samsonem aliud quid fuisse, quàm homines: dici autem, eos morituros vel futuros ut homines, quia scilicet vulgaribus hominibus similes futuri sint, etiamsi antea ad Deum quodammodo potentiâ suâ accesserint. Ad quæ exempla nihil in hoc suo, quantumvis verboso & repetitionum otiosarum plenissimo libro, respondet Smiglecius. Quo fine aut quo candore, lector judicet.

Sensus verborum, in similitudine hominum, et habitu inventus ut homo.

Homines pro hominibus vulgaribus accipi.

Psal: 81. 7.
Iud: 16. 7, 11, 17.

Smiglecius res magni momenti omittit.

Quartò ait, *Christum non fuiße ullius hominis mancipium, nec ut servum tractatum, sed ut hominem nocentem*, & hoc satis prolixè persequitur. Sed prorsus frustra. Nec enim contraria sunt, forma hominis nocentis & servi: imò qui, cùm sit innocens, tractatur ut nocens, is verè tractatur, ut servus. Solent enim servi plærumq; ea pati, quæ nocentes patiuntur, licet sint innocentes, ob id ipsum scilicet, quia servi sunt.

Tractari ut nocentem & ut servum, non sunt contraria.

Quintò ait, *Formam servi naturam humanam significare, quia forma Dei significet naturam divinam.* Sed quia hoc falsum esse suprà abunde docuimus. quia enim natura divina una tantùm numero est, contradictio involvitur, si dicatur, aliquem alium in illa esse, falsum etiam esse sequitur, per formam servi, naturam humanam intelligi. Et sanè mirum est, Smiglecium post ista omnia commemorata, tandem hæc verba addidisse: *Paulum tam manifestè seipsum explicare, & ab omnibus bonis Christianis hactenus non aliter intellectum & expositum fuiße.* De Pauli explicatione jam vidimus: De omnibus Christianis quid dicamus? Illud tantùm: Errantium multitudo non parit errori patrocinium. Rationi semper autoritas humana cedere debet. Illud quid sit, non satis intelligo, *de bonis Christianis*. Num tacitè fatetur Smiglecius, Christianos fuisse vel esse, qui locum hunc aliter intellexerint & intelligant? Si fuerunt, qui aliter hunc locum intellexerunt, quàm Smiglecius, jam ab omnibus eum ita intelle-

Ad homines provocare in religione, desperabundi est.

ctum

ctũ fuisse, falsum est. An verò isti alii, boni fuerint vel mali Christiani, non cujusvis est decernere. Nos sanè, etiamsi autoritate humana non nitamur unquam absq; scripturæ testimoniis: jure tamen Smiglecio opponere possumus præcipuos ex Evangelicis, qui, hunc locum ad incarnationem referri non debere, statuunt, & vehementer contendunt. Quid enim eos præter ipsam veritatem ad id faciendum impulisset, siquidem unà cum Smiglecio idem de incarnatione dogma sectantur, & nos non minùs, quàm Smiglecius, detestantur?

Ioan: Calvinus. Ioan: Piscator.

Cur vox μορφὴ externam formam significet apud Paulum.

Ad vocem denique μορφῆς, quæ exteriorem formam significat, respondet primùm Smiglecius, *constare apud doctos, non hanc solùm, sed etiam internam & essentialem sæpenumero significare.* At hanc ego significationem hîc locum non habere, ex eo ostenderam, quòd Paulus ad idiotas scripserit, qui de philosophica ista vocis *formæ* significatione nunquam fortassis audierant, nedum ut eam intelligerent. Quod idem etiam antea nominati a nobis viri Evangelici perspexerunt. Deinde verò ait, *etiamsi externam tantùm formam significaret, tamen, cùm de vera & naturali, non de ficta forma agitur, eam sine natura aßumi non poße, quippe quæ naturæ neceßariò adhæreat.* Taceo, quod Smiglecius loco *sumere*, quo Apostolus utitur, ubique scribit *aßumere.* Hoc enim utut errorem tegat, tamen levius est. Hoc dico, illum pro concesso sumere, naturam humanam sumi a Christo potuisse, hoc est, Christum antea extitisse, quàm naturam humanam haberet. cùm potiùs, ut antea dictùm fuit, de eo, qui jam naturam humanam habebat, dicatur, eum, ut antea in forma Dei fuerat, sic postea formã servi sumsisse. *Quòd verò eas naturas in Christo duas, licet nos crepemus & rumpamur, statuere pergat,* id quàm modestè dictam sit, judicent alii. Nos verò rursus nihil in eo veri esse dicimus, & docemus eo, quòd natura vel substantia una tantùm integra in uno subjecto esse possit, teste omni ratione & ipso Smiglecio, qui fatetur, duo tota vel integra non posse in unum subjectum concurrere; & propterea, licet naturam in Christo humanam agnoscat, hominem tamen perfectum vel personam humanam in Christo non agnoscit. Qui quantus sit error, dici vix potest. Dicat igitur, quicquid velit Smiglecius, per nos quidem licebit: sed veritas tamen divina semper eum erroris accusabit & convincet. Vt enim duas naturas, quarum quælibet per se sit aliquod ὑφιστάμενον, in Christo statuere absurdum est: ita duas externas formas in eodem subjecto, homine scilicet Christo Iesu, statui posse, alteram sublimem & domini propriam, alteram humilem & servilem, tam clarum est & ad omnium captum accommodatum, ut

Christus nullam naturam assumsit.

Duas naturas in Christo statui nõ posse, duas autem externas formas statui posse.

tum, ut quivis id per se intelligere possit. Et sanè dolendum est, loco hujus tam evidentis veritatis, tam intricatum errorem substitutum esse: mirandum etiam esset, nisi clarissima extarent sacrarum literarum testimonia, in quibus affirmatur, quia homines charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, propterea missurum fuisse Deum operationem erroris, ut credant mendacio. 2. Thess. 2. 10, 11.

Iterum sensum nostrum verborum Pauli, *in similitudine hominũ factus*, qui est, quòd Christus sit factus in similitudine hominum vulgarium, reprehendit, *quia Christus nunquam pro vulgari homine habitus sit, aut se pro vulgari homine gesserit*, idque probat, *quia tempore passionis filium se Dei professus sit, & miraculis id ostenderit, regem etiam se fassus sit.* Sed hæc antea refutata sunt, & detecta est fallacia. Christum fuisse habitũ, hoc est, tractatum, dicimus, ut hominem vulgarem. Hoc an non sit verum, judicent omnes, qui sana sunt rationæ præditi. Nonné enim is tractatur, non ut dominus, sed ut servus & vulgaris homo, qui contra jus capitur, ligatur, ad judicia trahitur, conspuitur, flagellatur? Christum verò se non pro vulgari homine gessisse tempore etiam passionis, captiosè dicitur. Aliud enim est, de se profiteri aliquid insigne, & aliud, ita se gerere, ut insignis aliquis. Illud Christus deponere nunquam potuit aut debuit; Hoc verò ut deponere potuit, sic etiam ad tempus nostri causâ deposuit. Vt etiam inter Christianos, Rex aliquis non se pro homine vulgari gerere tenetur unquam: sed, dum se pro Rege gerit, & Regem esse profitetur, debet tamen interim non ita se gerere, ut Rex alius mundanus, urgente vel divina gloria vel proximi commodo, sed ita se debet gerere, ac si esset aliquis vulgaris inter Christianos, & membrũ Ecclesiæ.

Quo sensu dicatur, Christum se pro vulgari homine gessisse.

Potest quis se insignem esse profiteri, & tamen se non gerere ut insignis.

Iam quod ait Smiglecius, *Si Paulus de similitudine hominum vulgarium loqui voluißet, proculdubio non absolutè dixißet, in similitudine hominum factus, sed vel aliorum vel vulgarium hominum*, id jam antea solutum est, per exempla ad hanc rem acaommodatissima, a nobis allata, in quibus de iis, qui aliud nihil erant quàm homines naturâ, dicitur, eos morituros vel futuros, ut homines. Ego verò oppono huic conjecturæ Smiglecii vanissimæ hanc argumentationem: Si Paulus de natura humana loqui voluisset, proculdubio non dixisset, in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo. Nam qui, cùm antea Deus erat, humanam naturam assumit, is non fit in similitudine hominum, nec invenitur ut homo, sed fit homo re ipsa. Diversa autem sunt, homini similem fieri, & hominem fieri; inveniri habitu ut hominem, & inveniri hominem. Breviter totam rem explicando, non dicit Paulus, Christum fuisse Deum naturâ, & factum

Cur Paulus non de humana natura locutus sit.

Homini similem fieri, & hominem fieri, differunt.

Christus homo, fuit ut Deus, & factꝰ est, ut homo.

esse hominem: sed ait, Christum hominem, fuisse ut Deum, & factum esse ut hominem, hoc est, fuisse magnum & illustrem, & factum esse humilem & afflictum.

Smigl: argumẽta per id solvit, quod argumentis oppugnatur.

Nunc, secundo loco, docere me vult Smiglecius, quomodo Christus altissimus exaltatione indiguerit. Narrat autem suam tantùm de duabus in Christo naturis sententiam, & respectu humanæ eum exaltatione eguisse, suo more, asserit: Sed nos, eum principium crasse petere, iterum objectamus. Iam enim a nobis impugnatur natura in Christo divina, dum dicimus unà cum sacris literis, Christum exaltatione a patre eguisse. Nam si divina in Christo natura fuisset, non fuisset opus, ut Christus *a Patre* exaltaretur: et quod majus est, ut *a patre id peteret*. Quomodo igitur argumentum, quod impugnat naturam Christi divinam, simplici naturæ divinæ assertione solvi potest? Deinde dicimus, nihil proficere Smiglecium, & hîc semper hærere. Nunquam enim hunc nucleum tangit, cur Christus *patrem petierit*, ut exaltaretur, sed astutè hunc scopulum quasi declinat. Ait, *Christum eguisse, ut & patris & sua virtute in humana natura exaltaretur: hominem illum in humana natura exaltatione eguisse, & illam sibi præstare ratione solius humanæ naturæ non potuisse, petere igitur debuisse, ut sibi divina virtute præstaretur.* Sed quomodo ista cõveniunt cum eo, quod de unione personali asserit Smiglecius, quâ factum sit, ut omnia, quæ divina natura habebat, facta sint etiam communia naturæ humanæ? Si tunc facta sunt omnia communia, quid opus fuit petere, ut fierent postea per exaltationem? idq; per alium, nempe patrem. Ait Smiglecius, *quia non Christi solum, sed & patris virtute, hoc est, quæ sibi erat cum patre communis, id præstari debuerit.* Sed hoc nugari est. Res enim ipsa loquitur, si Christus ipsemet hoc præstare potuit, imò non præstare nõ potuit propter istam unionem hypostaticam, frustra fuisse, quòd a patre id petierit, etiamsi tandem communis fuisset prorsus virtus filii & patris. Vbi enim aliquid aliter fieri non potest, & ubi quis ipsemet aliquid facere potest, quid, quæso, opus est precibus, & precibus ad alium directis? Consideret ista diligenter, cui veritas divina cordi est.

Smigl: ictũ declinat.

Smiglecius premitur gravissimè.

Porrò cùm dico, contradictionem in eo esse, si dicatur, Christum a seipso exaltationem habuisse vel accepisse. Nam qui aliquid acipit, is id a semetipso non habet: qui habet, is accipere non potest, *rudem me* Smiglecius *appellat, qui id ignorem, quod omnes nôrunt?* Quàm vana autem sint hæc ipsius verba, puto statim manifestum futurum. Sic enim ait: *Aqua cùm restituit se ad pristinum frigus, nonné*

confert

confert frigus sibi ipsi: Viventia cùm crescunt & augentur, conferunt sibi ipsis augmentum, & producunt seipsa ad majorem quantitatem: fructus, cum maturescunt, seipsos ad maturitatem promovent, animalia verò, cùm vel ira inflammantur vel alio affectu, alterationem illam in corpore in seipsiis excitant &c. *Et cùm Paulus monet, ut spiritu facta carnis mortificemus, quo alio,* ait, *modo intelligi potest, nisi in nos ipsos agamus, & potenter nobis resistamus, nos luctaq; in ipsos superemus.* Et tandem concludit, *ad id, ut quis det aliquid, satis esse, si id habeat virtute, licet non actu.* Hęcciné sunt ista, quę omnes nôrunt? Appello tuum, lector, judicium. Vix enim ex doctis aliqui ista nôrunt. Sed ego ista, quæ omnes nosse ait Smiglecius, dico, ad rem nihil facere. Nos enim, non de qualicunq; & impropriè sic accepta, sed de propria datione, loquimur, in qua datione semper antecedit defectus & carentia ejus rei, quæ datur, in eo, cui datur, & quæ donationi similis est: Smiglecius verò tales affert instantias, in quibus id, quod dari in illis dicitur, reipsa inest, ideoq; dari propriè nullo modo potest. Vt cùm viventia crescunt & augentur, nihil illis dari, dici potest, quia ita sunt creata a Deo, ut vim crescendi in se habeant: vel cùm animalia alterationem in seipsis excitant, non dari aliquid illis a semetipsis, dici potest, sed ita creata sunt, & datum naturaliter habent, ut hoc vel illo modo excitare semetipsa possint: vel deniq;, cùm homines jubentur seipsos mortificare, non jubentur, ut aliquid sibi dent, quo antea carebant, sed ut eo, quod illis datum est, rectè utantur. Istud de aqua, huc referri prorsus non merebatur. Non enim aqua id facit, sed mutatio, quæ illi accidit externè, quæ nisi accideret, aqua semper eadem maneret vel calida. Vera igitur contradictio in eo est & erit, omnium judicio, si dicatur aliquem sibimet dare aliquid, vel a seipso accipere: in iis autem, quæ hîc affert Smiglecius, species & apparentia quidem scientiæ, interim verò mera sophisticatio est. Qualia sunt & illa, *quòd sol calorē impertiat sublunaribus, cùm ipsemet actu non sit calidus: Et Deus dat omnibus rebus creatis motum & sensum, quæ tamen in se non habeat, nisi virtute.* Nec enim quæritur, an id, quod aliquid habet in se virtute, possit id cum altero communicare, ut astutè terminos mutat Smiglecius: sed quæritur, an aliquis sibimet ipsi aliquid dare, vel a semetipso accipere possit. Felix est in inveniendis talibus fallaciis Smiglecius, & ea propter credit, se veritatem etiam ipsam obscurare posse: Sed jam pridem nobis ingenium illius cognitum est. Quo fit, ut tantò minùs illi confidatur, quantò plùs istiusmodi genio suo indulget.

Quando aliquid propriè alicui dari dicatur.

Terminos mutat Smiglecius.

Iam cùm dicimus,absurdum esse, Christum patri deferre in eo, quod in sua potestate habet, Smiglecius id ita refutat, *quòd Christus etiam patri detulerit in suscitatione Lazari, licet in ejus potestate situm esset,eum resuscitare.*Sed hoc ipsum dixerat in priori scripto,&a nobis refutatum est cap: 12. Diversitas modi, quo Christus potestatem habuit resuscitandi Lazarum,ab eo,quo Deus eam habet,in causa fuit, ut Christus Deo gratias ageret resuscitaturus Lazarum.Nam quæ in Christo tunc erat potestas, data illi erat antea, idq; Christus jure significare debuit, ista gratiarum actione: Et nos,cùm opponimus inter se, deferre alicui & potestatem habere in semet ipso aliquid faciendi, non potestatem datam intelligimus, sed potestatem naturalem, qualis in Deo est, & qualem in Christo etiam fingit Smiglecius. Si Christus potestatem in sese habuit naturalem, ut pater ipse, dicimus, impossibile fuisse, ut Christus patri suo deferret.

Cur Christus patri detulerit in terris.

Addit & alteram rationem obscurè admodum: *Quia*, inquit, *opera Christi non sola Christi virtute, sed etiam virtute patris effici debuerunt,meritò itaq; patris auxilium invocandum fuerat.*Sed,quàm hoc sit futile, dici vix potest. Nam, si Christus eo modo prorsus facere ea poterat, quo pater, ineptissimè dicitur, eum debuisse invocare patrem. Aliàs enim sequeretur, Christum etiam sui ipsius auxilium implorare debuisse.

Sed tandem futile aliquid nostrum appellatSmiglecius,quod refutari non potest. Dico, si Christus sit idem Deus cum patre, curare eum minimè debuisse, ut omnia patri accepta referret. Smiglecius ad hæc: *Etsi quà Deus est, est idem cum Patre Deus: tamen cùm sit Deus de Deo, ratione originis & esse, & omnia accipit a patre, quà verò est homo, sic multò majori ratione dependet a patre, ut meritissimo jure illi omnia accepta referre debeat tanquam Deo.* En profunditatem & fundum perspicis religionis pontificiæ, lector benevole. Verba sine autoritate divina & sine ratione:Et tamen, cùm ista scriberet Smiglecius,ad marginem non tantùm asscripstt, ut antea, de me,*idiota instruitur*, sed *Smalcius rudissimus homo eruditur.* Hocciné est rudissimum erudire, absurdissimam multis nominibus opinionem ei obtrudere, eamq; talem,quæ seipsam destruit. Nam si Christus est Deus deDeo, ratione originis, & esse &omnia accipit a patre,quomodo talis prorsus Deus est, qualis pater est, si quidem pater non est Deus de Deo, ratione originis vel esse, nec omnia a quoquam accipit? Illud verò Athanasii quomodo constabit, qualis pater, talis filius? Si porrò tanta est inter patrem & filium differentia, quòd omnia accipit a patre filius,

Christum non esse eundem Deum qui Pater est, ex ipsis Smiglecii verbis docetur.

filius, pater a filio nihil, quorsum istud dogma Trinitatis evadet, & quis tandem non cognoscet, verba ea tantùm esse, Christum esse eundem Deum, qui pater est, & per omnia absolutè ei æqualem? Sed Deo est gloria, qui nos ex istis tricis liberos fecerit: ut aliis idem beneficium contingat, eundem ex animo supplices oramus.

Cùm tertio loco dicimus, insulsum & nugatorium esse, affirmate, illum unum Deũ, pro præmio suo demissionis id habuisse, ut agnosceretur qualis esset; & egregiam, scilicet, præmio afficiendi rationem esse affirmamus, id alicui dare, quod in ipsius manu & potestate est situm; et egregium scilicet illum unum Deum istos facere, contendimus, qui eum præmio affici, adeoque affectum fuisse docent, respondet Smiglecius aliquid. Quod priusquam examinemus, moneo lectorem iterum atque iterum, quàm sit vanus Smiglecius, qui ea, quæ in priori scripto dicta erant, tantùm otiosè & multò imperfectiùs, quàm antea repetat. Quæ res tantam mihi parat nauseam, ut de abjiciendo hoc asinino labore jam pridem cogitârim, nisi ob id ipsum, quòd nihil ad tales ejus nænias responsum sit, cristas Smiglecium erecturum, non pauci existimâssent, &, ut istam molestiam devorarem, rogassent. Videat autor, quid ipsemet cap: 12. Monstrorum hac de re scripserit, & ego eodem in cap: responderim, & me, summo jure ista præfatione usum esse, confitebitur. Nunc iterum elumbes ipsius responsiones videamus, quantumvis inviti. Ait igitur, *absurdè negari, quòd possit id in præmium dari alicui, ut agnoscatur, qualis sit. Cùm nego ignoret, laudem, præmium rectè factorum esse, atq; cognosci divinitatem alicujus, esse cum magna ejus laude & honore conjunctum.* Sed rem non tangit Smiglecius, vel studio ictum declinat. Nec enim objicitur, absurdum & nugatorium esse, id in præmium alicui dari, ut agnoscatur, qualis sit: sed absurdum & nugatorium esse dicitur, affirmare, Deo illi uni pro præmio datum esse, ut agnoscatur, qualis sit: Deus enim unus non potuit non agnosci pro Deo uno. Quod verò necessariò futurum erat, ob istam naturarum in Christo copulam, quid opus erat alicui dari ab alio, & effici ab alio, ut agnosceretur?

Ad nauseam eadē iterat, Smiglecius.

Smigl: ad rem non respondet.

Pergit Smiglecius, &, *si absurdum reputemus, id in præmium assignari, quod in ejusdem situm est potestate, in eo etiam nos graviter errare*, ait. *Clarius enim luce esse, ea, quæ Deo pro beneficiis ejus offerimus, magis in Dei quàm nostra potestate esse.* Sed & hîc hæret Smiglecius, & terminos turpissimè mutat. Nec enim de assignatione simplici nunc sermo est, sed de assignatione in præmium. Quæ verò Deo pro beneficiis offeruntur, non assignantur Deo in præmium. Deinde si magis

Smigl: terminos mutat.

 sunt

Quæ in alicujus sunt potestate quocunq; modo, ea illi dari non possunt.

Non omnia nostra esse in Dei potestate simpliciter.

sunt in Dei potestate quàm nostra, quæ Deo pro beneficiis offerimus: sunt tamē in nostra potestate. Si in nostra etiam potestate sunt, quomodo huc adduci potuerunt, ubi sermo est de eo, an ea, quæ sunt in alicujus potestate merè & nudè, possint illi dari ab alio? Denique falsum est, omnia, quæ Deo pro beneficiis offerimus, in Dei esse potestate simpliciter, vel magis esse in potestate Dei quàm nostra. Cor enim nostrum, quod præcipuum est eorum, quæ Deo pro beneficiis offerimus, & ex corde manantia omnia, in nostra potestate Deus esse voluit, ut scilicet religioni locus esset. Sic scilice me illuminavit Smiglecius, ut ad marginem gloriatur. Sed tandem fortasse per hoc illuminare me voluit, quòd vult me distinguere cum Paulo naturam humanam & divinam in Christo. Ego verò Paulum naturarum nullam mentionem facere dico, sed tantùm duarum in homine Christo formarum, ut suprà explicavi; et etiamsi naturæ istæ tandem concederentur, nego tamen, quicquam per eas Smiglecium juvari. Nam si Christus divinam naturam habuit, semetipsum exaltare potuit; nec opus erat, ut aliquis alius eum exaltaret, quod tamen cōstanter sacræ literæ testantur.

Smiglecius eadem repetit.

Cùm quarto loco dicimus, Deum donavisse Christo nomen, quod est supra omne nomen, ob passionem crucis. Vnde constat, eum antea non fuisse altissimum. Altissimo enim nihil *donari* potest. Respondet Smiglecius, *se clarissimè docere, hoc loco Phil: non divinitatē donatā sed divinitatis honore ac nominis celebritatem;* et simul docet, *vocem Nominis interdum accipi pro nominis fama & celebritate: Paulū verò, quid sit nomen supra omne nomen, exponere cùm addit, ut in nomine Iesu flectatur omne genu.* Hîc iterum queror de Smiglecii vanitate. Nam idem prorsus in Monstris dixerat, & longè fusiùs. Quorsum igitur eadem transscribuntur toties, nisi ut fama sit, Smigleciū respondisse Arianis, ut nos vocant? Sed preterea insigniter hîc ludit Smiglecius, dum vocem *Nominis* accipit pro eo quo quis nominatur: cùm nemo nesciat, vocem nominis, cùm de Christo prædicatur, quod ei contigerit, in novo Fœdere, perpetuò significare dignitatē vel potestatē. Quo sensu Christus dicitur præstantius nomen præ angelis hæreditasse, quia scilicet dignitatem & potestatem angelica superiorem consecutus sit: & exaltatus esse supra omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiā in futuro, hoc est, supra omnē dignitatē & potestatē. Per quod respōdeo ad illud, quod infrà ait Smig:, me nulla ratione probare, hîc de divinitate, quę causa est celebritatis, nō de celebritate ipsa agi. Nā si vox ipsa nominis, cùm de Christo sermo est, dignitatem & potestatē significat, nonné id probatū est, quod affirmo?

Heb: 14. Vox *Nominis* de Christo usurpata, dignitatem significat. Ephes: 1. 21.

mo? Addo nunc illud, quòd de talis nominis donatione sermo sit in hoc loco, quam Deus absolutè & effectu ipso perficere potuit & perfecit. At celebritatem nominis Deus absolutè & effectu ipso Christo donare non potuit. Ad hanc enim requiritur etiam hominum voluntas & assensus, qui scilicet Christum talem agnoscant: Dignitas autem dari alicui potest, etiamsi nemo hominum eam agnoscat. Vnde porrò patet, quàm ineptè Smiglecius de nomine Iesu, Christo a nativitate indito hîc disserat. Nec enim Paulus ait, Christo datum esse nomen Iesu, sed Domino Iesu ait datum esse nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine illius Iesu omne genu flectatur. Falsum etiam esse, datum esse hoc solùm Christo in resurrectione, ut toti mundo esset celebre nomen illius, antea a nobis prolixè demonstratum est. Quæ nunc non repeto, ut verum me dixisse agnoscat lector, cùm dico, id antea etiam scriptum a nobis utrumq; esse, si modò inspexerit cap: 12. Monstrorum & nostræ ad ea responsionis, ubi ista omnia longè etiam prolixiùs & clariùs tractantur.

Celebritas nominis Christo a Deo donari absolutè non potuit.

Verba Ioan. 3. *Qui de cœlo venit, super omnes est*, quia restringenda puto, ostendere id ait Smiglecius, *Christi gloriæ hostem esse & detractorem.* Ergo, ne quis istas calumnias audiat, contra scripturas sacras & sanam rationem quidvis erit dicendum, & credendum, Christum in utero matris suæ talem & tantùm fuisse, qualis & quantus nunc est? Sed has calumnias tibi, Domine Iesu, judicãdas relinquo. Vocem *omnes* absolutè accipi debere, probat Smiglecius, *quia v. 34. dicitur, non ad mensuram a Deo spiritũ accipit.* Sed & hæc verba de Christo necessariò intelligenda esse, nondum probavit Smiglecius; & de Christo accepta nihil eum juvant. Negatur enim, eã respectu angelorum dicta esse, ut vult Smiglecius. Patet id ex eo, quòd angeli spiritum accipere non possint, nec acceperint. Sunt enim tales creati, quales sunt. Spiritus autem datio præsupponit defectum illius præteritum.

Smiglecius calumniatur.

Cur verba Ioan. non sint dicta respectu angelorum.

Addit, *quòd Christus dicatur fuisse super omnes non quocunque modo, sed ut filius Dei.* Quid tum postea? Non enim nunc quæritur, an Christus ob certas causas super angelos, hoc est, angelis præstantior esse potuerit: sed an Ioannes per vocem *omnes* angelos etiam intellexerit. Hoc verò quàm sit a veritate alienum, ipse contextus, ut antea docui, indicat. Sic enim Ioan: loquitur: *Qui desursum venit, super omnes est: Qui de terra est, de terra est, & de terra loquitur, qui de cœlo venit, super omnes est.* Vbi, ut manifestum est, per eum, qui de terra est, Ioannem Baptistam intelligi, & opponi Christo, per id, quòd is supernè vel ex cœlo venerit: sic etiam manifestum est, per id, *de terra*

Vox *Omnes* ad quos referenda.

esse, &

eße,& de terra loqui,ejus muneris vilitatem describi, & opponi Christi muneri,per id,quòd is sit super omnes.

Reliqua,quibus iterum docere nititur,quomodo opus fuerit,donari honorem summum in toto mundo Christo a Patre, siquidem Christo honor iste non potuerit necessariò contingere, nec repeto, nec refuto ampliùs.Ipsemet enim lector intelligit,omnia ista in hoc eodem capite toties dicta esse, ut meritò uterque accusari possimus, qui rem eandem toties iteremus: mihi tamen venia danda esse videtur,qui respondentis partes teneam. Hoc addo: in perfecta divinitate donationi locum non esse. *Id falsum eße multis modis convinci poße*, ait Smiglecius. Quæ sanè magna Smiglecii est audacia. Videamus rationem. *Nam & nos*, ait, *multa Deo dona offerimus, quo sanè illum perfectum Deum non negamus*.Non exagito nunc illud,quòd multis modis ostendi id posse ait, & tamen uno tantùm ipse modo id comprobare nititur. Hoc iterum dico, nimis captiosè loqui Smiglecium, dum ea, quæ externè Deo offeruntur vel tribuuntur, comparat cum illis, quæ internè alicui accidunt, & ad talem eum constituendum,qualis esse debet naturâ suâ,requiruntur.

Offerre alicui aliquid, & dari ei, quod ad naturam illius constituendam pertineat, longè differunt.

Caput IX.

Nullum meritum, propriè loquendo, nec ex hoc loco Pauli, nec ex universa Scriptura sacra probari posse, ostenditur.

Smiglecii negligentia.

Hîc accuso Smiglecium primùm, qui aliud in argumento capitis tractaturum se promittat,aliud verò in ipso capite tractet. Promittit enim se ostensurum, Christnm meruisse suam exaltationem,&simul errores meos de eadem re confutaturum: Hoc verò tractando minimam partem capitis consumit,interim alia tractat,quæ non ad meritum exaltationis,sed ad ipsam exaltationem Christi pertinent, de qua in præcedenti capite satis multa dicta fuerant. Aut igitur ista hîc iterum tractanda non erant: aut aliter concipiendum erat argumentum capitis.

Meritum Christi adversari sententiæ Smiglecii de Christo.

Deinde,probationem prioris rei, ex professo (ut sic loquar) institutam esse, miror. Non magnam enim causam habuisse videtur Smigleci⁹,cur ea de re quicquam scriberet: imò, si quis rem exactiùs expendat, facilè intelliget, hanc totam disputationem causæ Smiglecii plurimùm obesse. Nam, si Christus aliquid meritus est, quomodo Deus ille unus esse potuit? præsertim si id verum sit, quod affirmat

firmat Smiglecius, nempe cum Christo homine omnia esse communicata, in ipso conceptionis puncto, divinitatis idiomata. Nam si ista communicatio idiomatum tunc facta est, nullus deinceps merito locus esse potuit. Itaq; nisi vehementer fallor, aliò fortasse collimavit Smiglecius, & aliud suæ religionis dogma tacitè stabilire voluit, quod est de merito bonorum operum. Quicquid sit, dico, in tota hac re vel ignorantiam Smiglecii apparere, vel Sophisticam. Nam si Christo *donavit* Deus nomen (quod est) super omne nomen, necesse est statuere, Christum non esse meritum suam exaltationem. Teste enim & sana ratione & sacra scriptura, si ex operibus, jam non est gratia. Per opera autem meritum intelligi nemo, non videt. Iamquòd Paulus dicit, Christum propter obedientiam suam fuisse exaltatum, id non docet, Christum esse illam meritum morte sua: sed tantùm indicat, quòd intercedente morte eam consecutus sit, & aliter consequi nequiverit vel saltem non debuerit. Longè autem aliud esse, interveniente aliqua re, vel non sine illa aliquid consequi, & re illa aliquid mereri, vel hinc constat, quòd, qui in vineam conducti unam tantùm horam in ea laboraverant, grossum quidem & illi, ut alii, acceperunt, interveniente isto labore suo, vel non sine labore isto: nec tamen grossum illum meriti ullo modo fuerant, ut apparet ex responso patris familias, quo eos, qui, cùm per integrum diem laborassent, ægrè ferebant, alios ad æqualem mercedem admitti, allocutus est.

Chriſtum non esse meritum suam exaltationem.

Sine aliqua re aliquid non dari, & illam aliquid mereri, differunt. Matth: 20.

Porrò dum ait, *si quis donationem in pactum deducit, eum non ex mera gratia, sed etiam ex justitia & obligatione donare*, non animadvertit primùm, quòd semetipsum refutet. Nam si non ex mera gratia, sed etiã ex justicia quis aliquid det, dat tamen ex gratia. Si ex gratia dat, meritum nullum est. Nam ubi meritũ, propriè sic dictum, est, ibi gratia nulla est. Deinde non perpendit etiam, id, quod ab eo, cui beneficium offertur sub conditione certa, exigitur & præstatur, haberi posse pro merito, cùm tamen revera non sit. Ad meritum enim propriè constituendum requiritur non tantùm, ut quis aliquid, vel etiam omnia, quæ præcepta illi sunt, faciat ad consequendum aliquid: verùm etiam, ut id, quod facit, par sit ei, quod ei datur mercedis loco. Cùm verò nemo unquam talis inventus sit, cujus obedientia digna per se esset mercede vitæ illius immortalis. nam nec quicquam præcipi potest, quod par sit isti tantæ mercedi; & imputatione a Deo profecta op⁹ est, neminem etiam eam meruisse dici potest. Liberum quidem Deo est, homines dignos censere vitâ æternâ: sed nemo illâ

Meritum propriè dictum & gratia pugnant.

Quid propriè ad meritum requiratur.

Vitā ęterna nemo unquam per se dignus fuit.

unquam per se dignus fuit. Quid enim est, per paucissimos vel saltem non multos annos, Deo obedientiam præstare, respectu ejus, quod Deus omnibus sibi obedientibus promisit? Finiti certè ad infinitum nullā est proportio. Vnde constat, Christum, etiamsi perfectissimè Deo obediverit, non tamen meritum esse, propriè loquendo, suam exaltationem. cùm dici nequeat, tanti ponderis fuisse Christi obedientiam, quæ ad æquaret præmiū, quod consecutus est, & quo nunc fruitur. Verba autem Pauli, *Ei qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*, nihil ei, quod modò diximus, contrarium continent. Potest enim alicui deberi aliquid, vel secundùm debitum dari, nec tamen esse meritum. Estq; hîc manifesta consequentis fallacia. Nam & illud debetur, quod promissum est: licet, quod promissum est, non sit meritum. Vt cùm Deus sub lege iis, qui eam perfectè observarent, promisit vitam, justum fuit & debitum, ut, si eam observassent homines, daretur illis vita: nec tamen, etiamsi homines legem observassent, & ita vitam æternam ex debito consecuti essent, meruisse eam dici poterant. Quia nulla prorsus proportio inter illud, quod promissum erat, & quod præceptum, existit. Vt etiam hodie, cùm Deus iis, qui fide sunt præditi, vel non secundùm carnem sed secundùm spiritum ambulant, vitam æternam promittit, si quis fide sit præditus, jam debetur ei vita æterna, & non potest Deus, salvâ suâ justiciâ, eam denegare: nec tamen per fidem mereri aliquid, homo Christianus dici potest. Quia scilicet multò minùs par sit fides mercedi vitæ æternæ, quàm opera. Hinc jubentur illi, qui omnia fecerint, quæ illis sunt præcepta, dicere, se servos esse inutiles, quia, quod debuerint, hoc fecerint. Quod quàm longè distet ab omni meriti specie, omnes intelligunt. Vnde apparet, nihil ad hanc rem facere exemplum Regis, qui tenetur duci belli reddere quod promisit, si provinciæ sibi demandatæ satis faciat. Is enim dux belli verè mereri potest, quod a Rege promissum est, cùm interdum vel etiam semper, plus impendat, quàm ei promitti etiam possit. Impendit enim vitam, ut vel divitias vel honores assequatur. His ita breviter delibatis, credo, jam satis constare, quàm imprudenter Smiglecius in hanc nostram sententiam, quæ omne meritum in nostra vel Christi obedientia excludit, invehatur: & firmissimum stare, siquidem Deus Christo *donavit* nomen, quod est super omne nomen, etiamsi Christus usq; ad mortem crucis Deo obedierit, Christi istam obedientiam non meruisse exaltationem eam, quam consecutus est.

Non, ubi est debitum, ibi est meritum.

Luc. 17. 10.

Similitudo Smiglecii examinatur.

Iam, Smiglecii ἀταξίαν imitantes, ad alia unà cum illo delabi cogimur.

cogimur. Ait, nos dicere, Christum, nisi passus & mortuus fuisset, non potuisse, ullo alio titulo, gloriam in resurrectione obtentam sibi vindicare. Et verissimum est, quod dicimus, si id addatur, postquam decretum Dei accessit. Aliàs enim non negamus, potuisse Christum absq; passione & morte, gloriam illam, quam per mortem consecutus est, consequi. Smiglecius quid ad hæc? *Manifestè*, ait, *docere sacras literas, Christum toto vitæ suæ tempore, gloriam quasi unigeniti a patre in seipso habuiße: & gloriam istam conspectam fuiße tum in monte sacro, in transfiguratione, tum in miraculo, cùm ex aqua vinum factum fuit, tum in cruce, quia Paulus Christum cruci affixum dominum gloriæ appellet. Imò Christum eam ab æterno habuiße, & Apostolis, eam, dum in terris eßet, dediße.* Sed hæc omnia nihil valent ad probandum id, quod in quæstione est. Non enim ex eo, quòd Christi gloria antea apparuit, sequitur, gloriam ei aliam dari non potuisse per resurrectionem. Fuit quidem ea gloria, gloria quasi unigeniti a patre, quam Apostoli in monte sacro viderunt: sed nullo modo comparanda cum ea, quã olim videbunt in seculo futuro. Gloriæ verò, quæ in miraculo aquæ in vinum conversæ apparuit, mentio hîc fieri nulla certè debuit. Talis enim gloria, aliis etiam Christo multò inferioribus cõtingere potuit. De verbis Pauli, antè diximus aliquoties. Christum ab æterno gloriam habuisse, valdè futile esse vel hinc cõstat, quòd ibidem, ubi, eam datam sibi esse, & se eam aliis dedisse, ait, dicatur, quòd eam a patre petierit. Vnde constat, destinatam tantùm illi ante mundum conditum, & proinde etiam in prædestinatione promissam Apostolis fuisse.

Quomodo dici possit, Christum gloriam suã absque morte consequi non potuisse.

Christi gloria, quam nũc habet, præstantior est illa, quam antea habuit.

Sed ratione etiam idem explicare conatur Smiglecius. *Quia* scilicet *ut unigenito filio Dei gloria tunc data fuerit. Cùm igitur unigenito filio Dei nihil sit majus, nihil etiam majus eße gloriâ unigeniti.* Sed facilis est responsio, quam in priori scripto etiam non semel exposuimus. Vnigenitum filium esse, maximum quidem aliquid est: sed unigenitus filius esse potest, non uno & eodem respectu. Alia enim de causa, vel aliis de causis, Christus unigenitus Dei filius fuit, cùm in terris degeret, quàm nunc, cùm in cœlis degit, ut antea non semel diximus, & in refutatione libri Smiglecii *de vero & naturali filio Dei*, iterum fusè ostendemus. Potuit igitur unigeniti filii gloria videri: nec tamen perfectissima unigeniti gloria.

Christus unigenitus Dei filius fuit diversis de causis.

Porrò quod differit Smiglecius, *Christum potuiße gloriam suam consequi sine passione*, nihil huc facit prorsus. Nos enim id etiam concedimus; sed tamen constanter vicissim contendimus, etiamsi

Christ⁹ sine morte, sed non sine beneficio Dei consequi potuisse suam exaltationem.

Christus gloriam sine passione & morte consequi potuisset: non tamen eam consecuturum fuisse, nisi Dei beneficio. Smiglecius verò eum illam non consecutum esse, sed habuisse somniat a seipso, vel natura sua divina, quia scilicet filius Dei ab æterno fuerit. Quam sententiam suam dum ita otiosè & prolixè nobis obtrudit, gnaviter quidem principium petit: interim verò non animadvertit, se suæ existimationi parum consulere, & nos in sententia nostra vehementer confirmare. Aut enim nullum Dei filiũ fuisse vel esse potuisse, ante & præter eum, quem Maria peperit, statuendum est: aut omnes s. scripturæ rejiciendæ sunt. Hæ enim a conceptione & nativitate Filii Dei mentionem ejus facere incipiunt, antea verò nullam prorsus, nisi fortè, quatenus eum futurum prænunciant, idq; valdè obscurè & aliis verbis. Itaq; Smiglecius, dum duorum titulorum in Christo meminit, propter quos gloriã suam acceperit, nempe & propter passionem, & propter filii Dei dignitatem, suum nobis commentum narrat: Sacræ verò literæ in unum ista duo redigunt, & docent nos, Filium Dei, qui est homo ille Iesus Christus, propter passionem suam, a Deo donatum esse gloriâ divinâ, vel nomine, quod est super omne nomen.

Ante Iesum ex virgine natum, nullus fuit Dei filius.

Pergo ad alia, quæ hîc otiosè inseruit Smiglecius. Per verba, *ut in nomine Iesu omne genu flectatur*, negamus, actum flectendi significari, sed, tantùm obligationẽ flectendi denotari, statuimus, contrà quàm sentit Smigl: qui per hæc verba significari contẽdit, *Christo tunc reipsa datam fuisse nominis celebritatẽ, quã antea sponte sua caruerit*. Iam si de obligatione tantùm verba illa accipienda sint, quis non videt, vanam esse Smiglecii explicationem, de isto præmio Christo pro obedientia dato? De obligatione autem tantùm sermonem esse, probamus, quòd aliàs Deus homines cogeret, quod est, religionem evertere, quæ in libera Deo serviendi voluntate consistit. Quid hîc Smiglecius opponit? *Ineptissima*, ait, *hæc est ratiocinatio. Etenim sapientia divina, quæ disponit omnia suaviter & fortiter, facit, ut & omnino res eveniant, & suaviter, id est, nulla vi libero arbitrio facta. Non enim vi, sed suavi gratiæ suæ influxu impellit hominum voluntates, ut non solùm non contra inclinationem suam, sed etiam maxima inclinatione velint Christum & agnoscere, & eidem genua flectere. Deus enim est, qui in nobis operatur velle & perficere pro bona voluntate, alioqui non suaviter, sed acerbè duriterq; agere dicendus esset, si vim voluntati afferret*. Hæc sunt ipsa Smiglecii verba, quæ ideo asscripsi, ut, quantum ponderis habeant, omnib⁹ tantò constaret manifestiùs. Conciliare studet scilicet Smiglecius,

cius,quæ naturâ ſunt contraria. Nam,qui efficit, ut aliquid neceſſariò fiat, is liberam in alio agendi voluntatem coërceat, neceſſe habet. Nam ubi libera eſt agendi voluntas,ibi contingentia eſt.Contingentiã autem & neceſſitatẽ adverſa fronte invicem pugnare,omnes eruditi confitentur. Verba Proverb., ad quæ alludere Smiglecius videtur,huc non pertinere,qui ſemel locum inſpexerit,ſponte ſua confitebitur. Aliud enim eſt,Dei ſapientiam a fine uſq;ad finem attingere fortiter, & omnia ſuaviter vel utiliter & commodè diſponere: & aliud eſt,Dei ſapientiam efficere, ut, generatim loquendo,quod naturâ ſuâ contingens eſt, & contingens Deus eſſe voluit, neceſſariò fiat. Hoc enim ſapientiæ Dei contrarium eſſe,cenſendũ eſt prorſus. Verba verò Pauli huc etiam non faciunt. Ibi enim ſermo eſt non de operatione,quæ actu fiat,ſed de tali,ad quam hominis præterea voluntas requiritur. Priùs enim,quàm Paulus iſta verba dixiſſet, *Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere pro beneplacito* (eſt enim in Græco εὐδοκία) præceperat,ut ſalutem noſtram cum metu & tremore operaremur. Iam ſi Deus ſimpliciter operaretur velle & perficere,quorſum iſta tam diligens adhortatio? Non diffitemur, poſſe Deum in rebus bonis vim facere hominibus, ut ſcilicet id fiat neceſſariò, quod vult Deus: Sed hoc rariſſimum eſſe iterum contendimus, & vix aliquando eveniſſe legimus. Et ſi factum aliquando fuit, vel ſi fiat, tunc liberum hominis arbitrium ceſſare prorſus, & novum aliquid emergens exiſtere, neceſſe eſt: nunc autem de eo ſermo eſt, quod Deus, generatim loquendo, fecit in omnibus hominibus, quale eſt iſta genuum flexio, quæ Chriſto debetur ab omnibus. Quod enim angelos attinet,in iis ſatis fuit,Dei præceptum eis innotuiſſe de Chriſto adorando.

Neceſſitas & agẽdi libertas pugnant.

Senſus verborum Proverb.

Phil: 2. 13.

De quali operatione divina Paulus agat.

℣ 12.

Libertatem volũtatis hominum Deum raro mutare.

Iam quòd dicitur alicubi, *Adorabunt eum omnes reges terræ,omnes gentes ſervient ei*, de ſola obligatione intelligendum eſſe, & contra Smiglecium pugnare,nonné res ipſa loquitur? Nam per aliquot ſecula, poſt Chriſti aſcenſionem, nullum prorſus Regem fuiſſe legimus, qui Chriſto genua flexerit: Smiglecius autem,ſtatim poſt reſurrectionem, omne genu terreſtrium Chriſto flexum fuiſſe reipſa, contendit. Succedentibus autem ſeculis, poſtquam a regibus quibuſdam Chriſti religio recepta eſt,ſemper multò plures fuêre,qui eam repudiârunt;& nunc,cùm multo plures ſunt reges,qui Chriſtum adorant, quàm unquam antea fuêre, decuplo tamen, ſi non centuplo, plures ſunt,qui ejuſdem nomen blaſphemant,vel ſaltem non adorant?Nam præter gentem Iudaicam,quæ certè non eſt minima,univerſa Turcarum,&qui Turcicam ſectantur impietatem,colluvies,longè ſuperare

Regeſtantùm obligatos fuiſſe ad adorandum Chriſtum,docetur.

videtur omnes Christianos cœtus, ut taceam eos, qui adhuc merè sunt ethnici & athei. Quod ipsemet etiam Smiglecius præsentiscens, non de singulis generum, sed de generibus singulorum id accipi oportere ait. Qua quidem in re paulò plùs sapere videtur, quàm antea: non tamen satisfacit. Investigandum enim porrò relinquitur, an ii, qui latissimè per orbem Christum adorant, id ideo faciant, quia Deus id necessariò effecerit. Quod prorsus falsum esse, præter rationem, quæ nunc agitatur, ipsa docet experientia. Vt enim aliquot post Christum seculis factum est, per varia & non inusitata media, ut imperator unus Christi nomen profiteretur: sic etiam postea idem, per eadem media, factitatum esse & hodie fieri videmus.

Reges non coactè sed liberè Christum adorasse.

Iam, cùm Smiglecius, ante resurrectionem etiam, omnes obligatos fuisse Christo genua flectere, ex eo docere iterum conatur, quòd ante resurrectionem verus Deus & Dominus fuerit, & ita tandem concludit, *aut negandum esse, Christum ante resurrectionem verum Deum fuisse, aut concedendum, omnes obligatos fuisse, ut illi genua flecterent*, jam ad id responsum est antea, Christum non fuisse perfectè Deum ante resurrectionem. Factus est enim Dominus post resurrectionem: & post resurrectionem donatum est illi nomen, quod est supra omne nomen: & post resurrectionem datum est illi judicium, & omnis potestas in cœlo & in terra. Dum verò rursus objicit, *Christum ante resurrectionem talem fuisse Deum, qui esset æqualis summo Deo, & omnia habuerit, quæ pater*, jam pariter antè non semel probatum est, Christum non absolutè Deo æqualem fuisse: & ob id ipsum, Deum perfectum esse non potuisse, quia Deo perfecto æqualis fuerit, cùm unus tantùm sit perfectus vel summus Deus; nec omnia, quæ Pater habet, universè tunc habuisse. quippe qui immortalis & minor Patre erat. Dum porrò ex eo, quòd dignus honore divino erat Christus, colligit, omnes obligatos fuisse ad honorem illi exhibendum, non attendit, non dignitatem Christi, sed voluntatem Dei potissimùm hîc spectandam esse. Hic quia, post resurrectionem demum, voluit omnes obligatos esse ad genua Christo flectenda, & pro præmio obedientiæ istam omnium genuum flexionem Christi assignavit, nemo non videt, anteaquam obedientia a Christo præstaretur, præmium istud ei dari non debuisse, sic ferente Dei immutabili decreto. Dum denique iterum ex divinitate obligationem istam colligit, & nobis contradictionem objicit, ipsemet crassam æquivocationis fallaciam committit in voce divinitatis. Vt enim summo Deo summa debetur, ut sic loquar, divinitas: sic aliis a Deo dependentibus alia debetur, eaq; vera divinitas. Ipse enim Deus eos deos vocat.

Christum post resurrectionẽ perfectè Deum factum esse.

In Christi adoratione Dei voluntas potissimum spectanda.

Inter

Inter quos,quia primus eſt,Chriſtus. (omnes enim alii dii ipſi ſubjecti ſunt,) licet ob ſimilitudinem Deus appellari poſſit,quatenus eam non naturâ habet,ſed Dei beneficio : non eſt tamen aliis ſimpliciter annumerandus, ſed divinitas ipſius par divinæ poteſtati, licet non abſolutè,cenſenda eſt. Non abſolutè par. Nam a Deo profecta eſt,& ad ſalutem humani generis tantùm ſe extendit ordinariè,& tandem in Deum recidet: Par tamen ſuo modo, quia tales ejus ſunt effectus, quales nemo omnium, qui dii appellati ſunt, edere unquam poteſt, quales ſunt, omnium corda noſſe, in animas & ſalutem hominum imperium habere,& alia. De quibus ſuprà abundè diſſeruimus.

Qualis Deus Chriſtus.

Sed argumentum etiam his omnibus addit Smiglecius tale. *Regi omnes in ſuo regno tenentur ſubjectionem & honorem exhibere. Atqui ante reſurrectionem Chriſtus fuit verè Rex omnium hominum, non deſignatus duntaxat. Ergo omnes homines obligati erant illi honorem ut regi cœleſti exhibere.* Syllogiſmum hîc appoſuit Smiglecius integrum: ſed nimis,more ſuo,vitioſum. Major enim,niſi per regem intelligatur is, qui reipſa eſt rex coronatus, captioſa eſt: Si verè de rege perfecto intelligatur, Minor prorſus falſa eſt. Probat eam Smiglecius,dum ait, *Chriſtum non ſemel regiam poteſtatem exercuiße imperando, & agnoviße ſe habere, cùm Pilato reſpondit, ſe eße regem non de hoc mundo.* At neutrum horum probat, Chriſtum fuiſſe perfectum Regem, quod eſt in quæſtione. Poteſt enim is, qui Rex deſignatus eſt, facere aliquid, & quidem non ſemel, regium vel rege dignum, ſi ſcilicet partem regiæ dignitatis vel poteſtatis habeat,quod nos de Chriſto ante reſurrectionem fatemur: Ad perfectum autem regem conſtituendum,requiritur perfecta omnibus imperandi poteſtas. Oſtendat autem Smiglecius, quidnám Chriſtus ante reſurrectionem angelis unquam vel minimum imperârit:quibus tamen nunc,ut ipſe Deus,imperat. Chriſti verò confeſſio ante Pilatum nonné ſeipſam explicat,& argumentum Smiglecii evertit? Regem enim eſſe, & tamen non de hoc mundo, eſt,non mundanum regem eſſe ſed cœleſtem. Cœleſtis autem rex is etiam eſſe poteſt, cui non omnes ſunt obligati, ſed cui futuri erant obligati genua flectere: imò aliter cœleſtis rex eſſe reipſa non poterat,niſi priùs in ſede ſua regia, quæ eſt dextera Dei, collocatus eſſet, quod tunc Chriſto nondum contigerat.

Chriſtus rex ante exaltationem, ſed non perfectè, & cur.

Chriſtus ante reſurrectionem angelis nihil imperavit.

Cùm dico, Chriſtum fuiſſe minoratum ab angelis, ideoq; Deum illorum non fuiſſe,reſpondet Smiglecius primùm, *me rurſus contradictionem implicare. Nam ſi Chriſtus ſit verus Deus, ſummus etiam ut ſit, neceſſe eße.* At hoc verò paulo antè reſponſum eſt, dum æquivocationem in vocibus *veri Dei* oſtendi, quòd ea tam uni Deo, quàm aliis

Reſponſiones Smiglecii refutantur.

aliis dependentibus competāt,licet his minùs excellenti modo,Deo autem uni, modo excellentiſſimo. Addit deinde,*Chriſtum fuiße Deo abſolutè æqualem. ergo etiam omnium Dominum.* Sed Chriſtum,*abſolutè* Deo æqualem fuiſſe,ſcriptura nuſquam dicit,& dicere non poteſt. Iam enim eſſent duo æquales Dii,quod abſurdiſſimum eſt. *Futiliſſimū* porrò *eße ait*, quòd ego Chriſtum ideo Deo æqualem eſſe abſolutè negē,quia poteſtasChriſto data ſit,*cùm æqualis poteſtas filio regis à rege dari poſſit.* Sed nec propter hoc ſolum,ęqualemDeo abſolutè eſſe, nego Chriſtum, quia ei poteſtas omnis data ſit, ſed ob alias cauſas, quas ſæpiſſimè antea & modò recenſui; nec,etiamſi propter id ſolum Chriſtum Deo æqualem eſſe, abſolutè negaſſem, aliquid a vero diſſentaneum dixiſſem. Quia enim divina poteſtas naturalis,ut ipſa Dei eſſentia, numero una eſt, nemini dari poteſt. Iam enim non eſſet numero una. Si poteſtas naturalis dari nemini poteſt,quomodo aliquis abſolutè Deo æqualis dici poteſt? Vnde etiam apparet, nullum hîc locum habere exemplum regis, qui filio regiam poteſtatem abſolutam concedat. Ea enim ita comparata eſt,ut alteri dari poſſit,ſi id ferant rerum circumſtantiæ, nempe regni conſuetudo vel libertas & alia. Deniq; ex eo,quòd Chriſtus ſit paulò minoratus ab angelis,non ſequi, eum non fuiſſe dominum angelorum,probat Smiglecius,*quòd Chriſtus etiam præ hominibus minoratus fuerit, nec tamen inde inferri liceat, quòd non fuerit Dominus hominum.* Imò, hinc inferri illud poſſe, certiſſimum eſt: nec contrarium hactenus probavit Smiglecius. Certò enim ſciat univerſus orbis Chriſtianus, quòd Dominum & ChriſtumDeus fecerit eum,quem Iudæi crucifixerunt. Quæ verò de Chriſto alicubi leguntur,quòd Dominus noſter ſit, id partim de parte, partim de prædeſtinatione dominii intelligendū eſſe, tum verba Petri jam citata,tum ipſa ratio communis dictat. Murmurat adhuc aliquid de natura mortali, quâ ab angelis minoratus fuerit: Sed quia, præter naturam mortalem vel humanam, nullam in Chriſto aliam probare poteſt Smiglecius; imò hoc ipſo, quòd natura in eo mortalis apparuit, potenter evincitur, eum naturam divinam non habuiſſe, principium petere,vel pro conceſſo ſumere Smiglecium,quod in quæſtione eſt, nunquam deſiſtam dicere.

Cur Chriſtus dominus noſter ante exaltationem dicatur.

Cùm dico, Chriſtum non fuiſſe Deum dæmonum ante reſurrectionem, quia dæmones eum tentârint, & cauſa mortis illi fuerint, reſpondet Smiglecius, *me meipſum ridendum propinare.* Cur verò? *quia* inquit, *ſequeretur, Deum etiam non eße Deum hominum, ut pote qui eum tentent.* Sed quis non videt fallaciam & luſum Smiglecii? Nos enim de

nim de tali tentatione loquimur, quâ quis ad peccandum aliquem provocat, qualis non est illâ, quâ homines Deum tentant. Ad peccatum autem aliquem provocare, qui ejusdem, qui provocat, Deus sit, prorsus absurdum est. Iam si dicat Smiglecius, Diabolum non cognovisse Christum, quòd esset Deus ejus, videat sanè, an non ridendum se propinet omnibus, qui diabolum id nescivisse dicat, quod sciri non potuit. Etenim si diabolus scivit, Christum esse illum sanctum Dei, scire etiam potuit, illum esse ipsum Deum, suum conditorem, si is fuisset. Et si hoc scivit, quomodo eum tentare ad peccandum ausus fuit? Nec enim diabolus, quantumvis malus sit & ipsa malitia, Deum suum tentasse unquam legitur. cùm certum sit, tam astutum spiritum nihil propositurum, quod frustra futurum, antea persuasum habeat. Ex quo & illud alterum verum esse patet, dæmones, si Christus Deum ipsorum fuisset, nunquam causam mortis ipsius futuros, nec porrò de ejus morte procuranda cogitaturos unquam fuisse. Nam, creaturam mortis creatoris sui caussam esse posse, blaspemum est dicere: de re autem, quam diabolus impossibilem esse novit, eum vel cogitasse, valdè absurdum est. Hoc enim nemo sanæ mentis homo facere solet, nedum diabolus.

Alio modo diabolum tentasse Christum, quàm homines Deum tentant.

Diabolus nunquã Deum tentavit.

Sed nunc ultimam hujus capitis periodum videamus. Ait Smiglecius, *se, præter hactenus enumerata argumenta, duo præcepta attulisse, alterum hominibus, alterum angelis datum, unde constet, omnes homines & angelos ante resurrectionem obligatos fuisse, Christo genu flectere; & hominibus quidem illud de cœlo prolatum: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite: angelis verò illud, Et adorent eum omnes angeli Dei.* Ad hæc ego sufficientissimè responderam in priori responsione, & vix aliquid præter illa dici potest. Docueram enim, prius, hominibus datum, non continere in se ullam adorationem & genuum flexionem: De altero angelis dato dixeram, illud quidem adorationem continere, non pertinere autem ad tempus, quod resurrectionem antecessit, & ejus rei argumenta non pauca attuleram, quæ hactenus ita firma stant, ut nec moveri loco possint. Et possem certè, jure meo, hîc sinere Smiglecium: Sed quia, sola verbosa unius & ejusdem repetitione, speravit, se suam & ecclesię suæ autoritatem, aliquo saltem modo, sartam tectam conservaturum, non est concedendum, ut sola verbositas hominem juvet: quin imò firmiter ostendendum est, præter vana verba nihil habere Smiglecium, quod ampliùs nobis opponat. Dixeram de primo, valdè dubium, imò falsum esse, an omnes, &, quod majus est, an vi hujus præcepti (hunc audite) Christum audire tenerentur. cùm hæc vox

Smiglecii semel dicta, & refutata.

non ad omnes delata sit, sed tantùm a tribus Apostolis audita fuerit; neque, per Apostolos tunc statim eam aliis omnibus annunciatam esse, verisimile sit. Smiglecius quid? *Nodum, ait, me in scirpo quærere. Hac enim ratione dubitari poße, an quæ Apostolis præcepta sunt, in rebus ad salutem pertinentibus, omnes afficere debeant, quod, eßet omnem vim præceptorum Christi tollere. Neq; enim Christum cum omnibus hominibus unquam locutum esse, sed cum solis Apostolis, in quibus omnes alios instructos eße voluit, ut testantur verba: quod vobis dico, omnibus dico.* Sed quis non videt imposturam vel saltem errorem Smiglecii, eumque duplicem. Primùm enim ea, quæ præcepta sunt Apostolis ab ipso Christo, confundit cum iis, quæ præcepta sunt Apostolis non a Christo sed a Deo, quale hoc est, de quo nunc disserimus. Facilè autem fieri potuit, ut id, quod, non a Christo sed a Deo, dicebatur tribus tantùm Apostolis, ad tempus saltem premeretur, & incognitum lateret. Vnde etiam Christus prohibuisse legitur Apostolis, ne id, quod in sacro monte audierant, tunc patefacerent, idq; eos fecisse plusquam verisimile est. Audierat etiam Ioannes Baptista tale quid in Christi baptismo: nec tamen id ab eo tunc fuisse aliis patefactum, necessariò statui potest. Deinde poterant quidem ea, quæ a Christo præcipiebanrur Apostolis, ad omnes pertinere: sed tamen non tunc temporis, cùm dicerentur, sed postea, cùm scilicet exaltatus fuit. Nunc verò de eo sermo est, quod, ad omnes ante resurrectionem Christi pertinere, creditur. Taceo illud, quòd nunquam cum omnibus hominibus sed cum solis Apostolis locutum esse Christum, ait Smiglecius. Hoc enim ita falsum est, ut meritò ejus pudere debeat Smiglecium. Nonné enim sæpenumerò legimus, Christum multis turbis præcepta dedisse, eaque talia, quæ omnium sunt potissima, ut inter alia multa testatur cap: 5. 6. & 7. Matthæi. Iam quod turbis, quæ tunc aderant, Christus præcepit, id omnibus aliis eũ præcepisse, qualescunq; tandem sint, tutò dici potest. Dum porrò etiam dicit, *licet ista vox aliis omnibus ante Christum annunciata non fuerit, omnes tamen obligatos fuiße ea lege*, errat non minùs. Vbi enim præceptum non est annunciatum, nulla esse potest obligatio illud observandi.

Præceptum Dei potuisse ad tempus premi.

Christi præcepta ad omnes ab exaltatione illius pertinuerunt.

Christũ non cum solis Apostolis sed cum omnibus interdum locutum esse.

Præceptum non obligare, nisi annunciatum.

Dixeram secundò, aliud esse, Christum audire, & Christo genua flectere. Audire enim homines tenebantur Phophetas & Apostolos, nec tamen quisquam eis genua flectit. Smiglecius quid? *Non advertit, ait, Smalcius, magnum eße inter Prophetas & Christum discrimen. Prophetas enim tenebantur audire homines, ut servos a Deo mißos: Christum*

stum verò ut filium, quare & alium honorem Prophetis habere tenebantur, quàm Christo. Sed quis iterum non videt fallaciam & dolum Smiglecii? Antea enim nudè ex phrasi ista, quòd Christum audire teneamur, concludebat, nos teneri etiam genua flectere: nunc verò ex eo, quòd Christum, ut filium Dei, audire teneamur, illud idem cõcludit. Nũ diversitas personę phrasis etiam significationem mutare potest? Certè, etiamsi de ipso Deo dictum ad nos esset, audite Deum, phrasis ista genuum flexionem in se naturâ suâ non contineret. Sed & hæc fallacia Smiglecium non tuetur. Potest enim aliquis audiri ut Dei filius, hoc est, potest cum debito honore & reverentia obedientia ei præstari, ut ipsemet Smiglecius hanc phrasin explicat, etiamsi ei genua non flectantur. Nam & Prophetæ & Apostoli ita audiebantur. Sed imponit sibi Smiglecius, qui, filium Dei & missum a Deo esse, ita disjungit, ac si utrumque de eodem dici non possit. Cùm tamen Christus ab initio prædicationis non aliter audiretur, quàm missus a Deo: filiationem autem ejus, quâ aliis pręstabat, satis longo pòst tempore demum innotuisse, idq; non omnibus promiscuè, nec iis, quibus innotuit, perfectè statim, donec resurrectio & exaltatio accessit, ex sacris literis manifestissimum est.

Phrasim, Audire aliquem, non significare adorationem.

Hoc præcepto examinato, ad alterum accedendum erat: sed Smiglecius me detinet. Priùs enim commonefaciendus mihi est, quòd astutè omiserit defensionem istorum Christi verborum, *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum*, quæ in Monstris etiam attulerat: ego verò ad rem propositam nihil prorsus ea facere docueram. Deinde innuendum est, quomodo se nunc gerat. Dixerat paulò antè, se duo præcepta attulisse, de obligatione flexionis genuum, alterum hominibus, alterum angelis datum. Alterum, hominibus scilicet datum, jam absolutum est. Cùm verò antea in Monstris loci etiam Ioan: 17. 3. *Hæc est vita æterna* &c. mentionem fecisset, ad docendum, quòd homines omnes obligati fuerint, ante resurrectionem Christo genua flectere, nunc, quasi aliud agens, illum denuo intrusit, dum sic ait: *Quo etiam modo exponendus est ille locus, quo sub amissione vitæ æternæ, omnes homines Christum etiam ante resurrectionem cognoscere & audire obstrictos fuisse declaratur Ioh:* 17. Si per hunc locum id, quod in quæstione est, tantùm declaratur, quomodo is antea in Monstris pro argumento allatus fuit? Non enim quæ declarant, ea etiam probant aliquid: Si pro argumento antea allatus fuit, cur nunc tantùm unum præceptum hominibus datum urgetur, *Hunc audite?* Non minùs enim hoc præceptum esset, licet indirectum, quàm illud. Sed, istas sive negligentias sive astutias Smiglecii, si omnes examinare

Smiglecius monetur & castigatur.

Non quæ declarant aliquid, probant id etiam.

minare vellem,tantus mihi liber conscribendus esset,quantum ipsa responsio ad ejus argumentationes & sophisticationes requirit. Ad rem accedo.

Verba Ioan: 17. ad tempus exaltationis Christi pertinere.

Dixeram,hæc Christi verba potiùs ad tempus,quod resurrectionem consecutum est, pertinere, quàm ad illud, quod eam antecessit.Cognitio enim Christi potissimùm in ejus exaltationis cognitione consistit,teste Paulo,qui,cùm cognitionem Christi optaret,statim addit per quandam declarationem, *& vim resurrectionis illius*. Smiglecius nihil hîc affert refutatione vel responsione dignum. Agnoscit enim,Christum perfectiùs cognosci debuisse vel cognitum fuisse, cognita virtute resurrectionis ejus: nihilomin⁹ tamen in ejus cognitione antea etiam vitam æternam constitutam fuisse. Quod ferè idem est,cum eo quod ego dico. Non nego enim, Christi cognitionem, etiam ante resurrectionem, necessariam fuisse ad vitam æternã consequendam;imò id tacitè affirmo,dum dico,verba Christi,de quibus nunc agimus,potiùs ad tempus,quod resurrectionem est consecutum, quàm quod eam antecessit,pertinere.Non ex cognitione autem qualicunque, sed ex perfectissima tantùm, nempe exaltationis Christi,dependet ista genuum flexio.Quia verò exaltatio Christi cognosci non potuit ante resurrectionem, manifestum est, nec, genuum flexionem ab omnibus hominibus ei deberi,cognosci potuisse.

Responsio Smiglecii infirma.

Sed nunc alterum præceptum angelis datum videamus. Id autem sic habet: *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes angeli Dei.*Hîc præceptum datum esse angelis de flexione genuum Christo debita, agnoscimus: at illud, ante Christi resurrectionem,factum esse negamus. Smiglecius ait,hoc inde constare, *quia orbis terræ absolutè positus, hunc orbem terræ designet, & verbum Introducendi, primam Christi in orbem terræ inductionem indicet.* Hæc quàm sint infirma, dici vix potest. Attuleram enim in priori responsione exempla, ubi per voces æquipollentes absolutè positas, futurus tamen orbis terræ intelligitur, ut cum Christus dicit: *Beati mites;quoniam ipsi possidebunt terram.* Et cùm autor Epistolæ ad Hebræos ait: *Ingrediens* (nempe Christus) *in mundum dicit, sacrificium & holocautomata noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Smiglecius de priori fatetur, quòd per vocem Terræ futura terra fisignificetur, quia ex omnibus circumstantiis manifestum sit, agi ibi de cœlesti mercede.Sed primùm ad rem non respondet.Nunc enim quæstio est, an vox orbis terræ vel ei æquipollens, absolutè posita, futurum orbem terræ vel futuram terram significet? Hoc verò fieri in loco

Matth: 5. 5.

Heb: 10. 5.

in loco Matth: nimis clarum eſt. Abſolutè enim tunc vox aliqua poni dicitur, cùm nulla alia vox ad illam adjicitur, quæ eam determinet. Iam ſi non abſolutè vocem tunc poni dicat Smiglecius, quando ex circumſtantiis colligi poteſt, eam eſſe ad aliquid reſtringendam, multò rectiùs id de loco Hebr. 1. dici poteſt, quàm de loco Mat. 5. Plures enim ſunt, non tantùm circumſtantiæ, ſed argumenta prorſus infallibilia, quæ non permittunt, ut vox *orbis terræ* Heb. 1. de præſenti accipiatur, de quibus paulò poſt dicemus: At Matth. 5., licet veriſſimum ſit, per vocem *Terræ* potiſſimùm futuram intelligi: tamen, ſuo etiam modo, hanc terram intelligi poſſe, vel hinc patet, quòd ferè omnes aliæ beatitudines, quæ ibi commemorantur, ita ſint comparatæ, ut partim in hoc, quanquam imperfectè, partim in futurum ſeculum cadere dici poſſint. Vnde colligi poteſt, & hanc iſtius generis eſſe. Et certè verè terram hæreditant, vel eâ fruuntur, quatenus ſcilicet eâ frui licet Chriſtianis, qui mites ſunt, hoc eſt, injuriarum obliviſcentes & de nulla vindicta cogitantes: cùm contrà ii, qui injurias ulciſci cogitant & ulciſcuntur, nec vitam æternam conſecuturi ſint, nec hujus vitæ veris voluptatibus frui poſſint. Nunquam enim vindictæ cupidus animo eſt quieto, rarò etiam vitam diuturnam vivit: At quietè & diu vivere, eſt verè terram poſſidere.

Quando vox abſolutè ponatur.

Verba Heb: 1. rectis de futu ro mundo accipi, quàm Matth: 5.

Quomodo mites hanc etiam terram poſſideant.

Sed ecce iterum nævum Smiglecii non minimum, cùm dixiſſet Chriſti verba illa, *quoniam ipſi poſſidebunt terram*, de futura terra intelligenda eſſe, quia manifeſtum ſit, ibi a Chriſto agi de mercede cœleſti, quam ſingulis beatitudinibus apponit, addit hæc verba: *Vnde & apud Marcum dicitur: Merces veſtra copioſa eſt in cœlo.* Quomodo verò addi poſſunt a Marco iſta verba, cùm Marcus ſermonem illum Chriſti nuſquam deſcribat? Si per errorem pro Luca Marcum poſitum dicat, nihil etiam dicet. Nam & Matthæus idem dicit cap. 5. quod hîc ex Luca citatur, ideoq; opus non fuiſſet dicere: *unde & apud Lucam dicitur.* Hac enim oratione indicatur, id ab eo omiſſum eſſe, cujus verba explicantur. Quanquam & hoc vitioſum eſt, quod ex iſtis verbis colligit Smigl:, verba ſcilicet, quę de terra abſolutè loquuntur, de futura terra intelligēda eſſe. Verba enim illa, *nam merces veſtra copioſa eſt in cœlo*, & apud Matthæum & apud Lucam tunc demùm inferiùs adduntur, cùm de tali officio Chriſtiano ſermo eſt, quod nulla re, quæ in hoc ſeculum cadat, compenſari poteſt. nempe cùm quis Chriſti cauſâ perſecutionē patitur, cujus pars eſſe poteſt & ſolet ipſa mortis truculentæ perpeſſio. His igitur merces iſta copioſa in cœlo promittitur: at iis, qui alia ibidem antea præcepta Chriſtianæ pietatis

Smiglecii negligentia accuſatur.

Quando mercedis in cœlo fiat mentio in verbis Chriſti, & cur.

officia præstant, ea promittuntur, quæ non tantùm cœlum, sed hanc etiam vitam terrenam suo modo respiciunt.

Ad alterum, quod pro sua sententia de loco Heb. 1. affert Smiglecius, nunc hoc tantùm dico, quia non probatur a Smiglecio, introductionem, primam in orbem terræ inductionem significare, tanquam nudam assertionem jure repudiandum esse. Quanquam rectissimè, prima ista introductio Christi in orbem terræ appellari potest. Prægnans enim vox est introductionis, & non tantùm ingressum in cœlum, sed admodum magnificum & augustum denotat, conjunctum scilicet cum quadam regia majestate, qualis est, cùm Rex in sede regia collocatur. Talē autem non fuisse istum priorem ascensum Christi in cœlos, per se clarum est. Non enim ideo tunc in cælum ascendit, ut ibi maneret & regnaret, sed post istum ascensum omnia mala & ipsam mortem perpessus est.

Cur Christi in cælos exaltatio, introductio appelletur.

Nunc, quid ad argumenta nostra, quibus probamus locum Heb: 1. 6. de futuro orbe terrarum intelligendum esse, respondeat Smiglecius, expenderemus diligenter: sed quia id a nobis præstitum est in refutatione libelli Smigleciani, *Verbum caro factum*, ubi etiam, se ea de re egisse, hîc testatur Smiglecius, nolo, ad omnia prolixè respondendo, tempus inaniter perdere. Dico primùm, autorem istius Epistolæ cap: 2. disertè orbis terræ futuræ mentionem facere, de quo se loqui ait: nusquam autem antea de orbe terræ locutus fuerat, præterquam in hoc v: 6. c. 1. Necesse est igitur, cum hîc de orbe terræ futuro locutum esse. Quæ objicit Smiglecius, quòd autor dicat, *de quo loquimur*, non, de quo locuti sumus, & quòd v: 10. c. 1. de terra præsenti locutus sit, ea in libello nominato refutavimus. Dico iterum, thesin autoris requirere, ut de re, quæ resurrectionem consecuta est, sermo sit. Agit enim de iis rebus, ob quas Christus angelis præstantior effectus est, ut v: 4. testatur. Christum autem, ante resurrectionem angelis præstantiorem effectum non fuisse, hinc constat, quòd ante resurrectionem minoratus ab Angelis fuerit. Respondet Smiglecius suo more, *distinctionem naturarum in Christo obtrudens*. Quo vix aliquid in tali disputatione dici potest ineptius. Verum est quidem, Christum hominem certo respectu superasse Angelos, quamdiu mortalis fuit: sed tamen, quia Angelis præstantior effectus est, præstantiorem eum Angelis semper fuisse, nimis falsum esse deprehenditur. Astutè autem Smiglecius ait, *non esse propositum Paulo, quomodo carnis immortalitate sit melior factus Angelis, sed quomodo divinitate sit longè præstantior omnibus Angelis.* Hoc enim falsum esse ipsa verba autoris evincunt, qui ait, Christum

Cur Heb: 1. de orbe futuro sermo sit.
ratio 1.

ratio 2.

tanto

tantò præstantiorem *effectum* esse Angelis, quantò præstantius præ illis nomen *hæreditavit*. Christum verò angelis præstantiorem, absolutè scilicet, *effectum* esse, cùm nasceretur, quod Smiglecio est, cùm verbum caro factum est, ingens est error. Verissimum autem est, omnia, quæ ibidem commemorantur, non nisi post Christi resurrectionem de Christo prædicari potuisse. Nam post resurrectionem demum Christus perfectus Dei filius & Deus effectus est: post resurrectionem demùm tanta illi potestas concessa est, ut hunc mundum spectabilem delere posit, & ad dexteram Dei illi sedere donatum est. Christum enim ab initio terram fundasse, quàm falsum sit, in refutatione libelli, *Verbum caro factum est*, abundè demonstratum est. Et sanè mirum est, hoc in dubium vocari. Quid enim apertius, quàm autorem istius Epistolæ loqui de illo Dei filio, per quem Deus nobis in his novissimis temporibus locutus est, quem omnium hæredem constituit, qui purgationem peccatorum nostrorũ per semet ipsum fecit, & in dextera Dei consedit; & de hoc dicere, quòd Angelis sit *effectus* præstantior: At is, quem isto modo describi diximus, nemo alius esse potest, præter & ante eum, quem Maria peperit. Is verò quem somniat Smiglecius, angelis præstantior *fieri* non potuit, ut pote qui semper Deus & creator angelorum fuisset: imò nec cum angelis conferri debuit absq; magna absurditate.

Christus post resurrectionem præstantior angelis effectus.

Dico tertiùm, de tali orbe terræ sermonem esse, in quem Christum introduxit, scilicet Deus. Vnde constat, eum tunc extitisse. Nam qui non est, is nec introduci aliquò potest. Respondet Smiglecius, *levem esse instantiam. Vt enim homines, cùm nascuntur, dicuntur in mundum venire. Ioan: 1. ita & Christum cùm natus est, rectè dici posse & in mundum venisse, & in mundum introductum esse.* Sed Smiglecius instantiam meam appellat, quod argumentum novum est, eamq;, quam levem appellat, manifesto errore confutare voluit. Tam enim certum est, homines, cùm nascuntur, in mundum venire, quàm certum est, Christum, cùm natus fuit, in mundum esse introductum. Ioannis autem verba converti posse & debere, ut non ad hominem sed ad Christum pertineant, de quo dicitur, quòd omnem hominem illuminavit, tunc cùm in mundum venit, fusè tum in refutatione libri, *Verbum caro factum*, tũ in homiliis nostris super ea verba docuimus.

ratio 3.

Nasci & in mundum introduci, differunt.

Eum porrò, qui introducitur, priùs esse oportere, quàm introducatur, cùm me hîc nimis acutum videri velle dixisset, sic eludit Smiglecius: *id verum forte esse, si introductio fiat per motum localem, non verò si fiat per productionem. Tunc enim produci esse introduci, licet alio respectu produci, alio introduci dicatur.* Sed frustra ipsemet argutatur, vel

vel potiùs re ficta argumentum solvit. Vnde enim constat, vocabulum Introducendi hoc loco idem esse cum voce producendi. Introductio enim passionem rei jam existentis significat: At produci de re, quæ nondum generata est, dici etiam potest. Sed deniq; Christum etiam in mundum introductum esse, ait: *Quia antequam nasceretur, extiterit novem integris mensibus in utero Virginis, ex quo per nativitatem eductus, in mundum introductus sit.* Egregia sanè evadendi ratio. Ergo, ex sententia Smiglecii, tunc demum dictum fuit, ut adorarent omnes angeli Dei Christum, cùm ex utero virginis eductus fuit, antea verò non? Nam cùm in mundum introducit primogenitum, dixit: *Et adorent eum omnes angeli Dei.* Quomodo igitur ista consistent, quòd aliàs dicit Smiglecius, Christum ab initio conceptionis Deum vidisse, & omnia suæ divinitatis idiomata cum natura humana communicasse, & dignum fuisse, qui a dextris Dei sederet? Si ab initio conceptionis ista omnia Christo competebant, non verò ab ipsius ex utero virginis eductione, cur adoratio angelorum ab introductione demum in mundum, hoc est, a nativitate ei competiit? Vel si tunc, cùm verbum (ex mente Smiglecii) caro factum est, Christo competere cœpit adoratio ab angelis, quomodo a nativitate primum? cùm tunc etiam, verbum carnem factum esse, Ecclesia Smiglecii canat, cùm Christus conceptus fuit. Ita eos intricare sese oportet, qui extra verbum Dei sapere volunt.

Introduci & produci differunt.

Smiglecii ineptia.

Dico quartùm, hîc sermonem esse de orbe terræ, in quem Christus iterum introductus est. At in hunc semel tantùm introductus est: in futurum autem semel ascendisse legitur, ut voluntatem Dei, quam nobis revelaturus erat, ibidem addisceret, iterum verò ascendit, ut eandem voluntatem Dei ad exitum perduceret, vel omnia impleret, ut Paulus loquitur. Respondet Smiglecius, *intolerandam eße nostram audaciam, in duplci Christi ascensu aßerendo, cùm in scriptura, non nisi semel, Christum ascendiße legamus, & in symbolo Apostolorum profiteamur.* Sed irrita est indignatio Smiglecii. Cùm enim legitur, Filium hominis ascendisse, ubi erat antea, tantundem valet, ac si scriptum esset, Filium hominis antea ascendisse in cœlum, in quod postea iterum ascendit. Filius enim hominis alio modo in cœlo esse non potuit, nisi per ascensionem. In Symbolo autem Apostolico id non contineri, quid mirum? Nec enim omnium mysteriorum de Christo credendorum, sed præcipuorùm tantùm ibi habetur compendium. Non profitemur etiam in isto symbolo, Christi de cœlo pro filio Dei proclamationem, vel in sacro monte transfigurationem, & alia multa: nec tamen propterea ea falsa censenda sunt.

ratio 4.

Ephes. 4. 10.

Christum in cœlū ascendisse antea etiam, quàm exaltatus fuit.

In symbolo non omnia contineri de Christo mysteria.

Iam

Iam quòd Smiglecius Christi in cœlis existentiam,unâ cum Papistis, secundùm naturam divinam intelligit, id nos quidem non latet: sed quomodo & ipsis Christi verbis, & rectæ rationi contrarium sit,tum per se patet, tum a nobis prolixè demonstratum est in refutatione libri, *verbum caro factum*,ad quem etiam appellat hîc Smiglecius.

Sed præterea, non necesse esse, ait Smiglecius, hæc verba de futuro terræ orbe intelligere, *cùm Christus iterum in hunc mundum introductus sit, cùm resurrexit, & tertiò introducendus sit, cùm veniet in mundum judicaturus*. Ego verò Smiglecium non habere regero, quod respondeat ampliùs, dum ita se gerit.Nam quis unquam audivit, istud, Christi in mundum introductionem appellari, cùm ad judicium veniet? Cùm enim introduci Christus dicitur, nempe a Deo, præsupponitur tacitè,Christum ea re eguisse, & Dei beneficio eam consecutū esse, ut,in introductione illius in hunc mundum per resurrectionem,& in futurum per exaltationem,videre est: At,cùm Christus ad judicium veniet, sponte sua veniet, a nemine introductus. Deinde quid opus erat hîc istius introductionis tertiæ (ut nunc cum Smiglecio ineptiam) meminisse, cùm de tali introductione in mundum sermo est,quâ consecutum sit Dei præceptum,de adoratione Christo ab omnibus angelis Dei præstanda, & a quo tempore Christus angelis præstantior est effectus? Hoc enim ad tertiam istam introductionem accomodari non posse,manifestum est.Iamquò minùs de altera Christi in hunc mundum per resurrectionem introductione,hæc verba sint intelligenda,ipsa verba evincunt.Nec enim dictum fuit, angelis Dei omnibus,ut eum adorent,cùm resurrexit: sed cùm in dextera Dei consedit, ut disertè testatur Petrus, his verbis: (Christus) *est in dextera Dei, subjectis sibi angelis,& dominationibus & principatibus*. Adde,quòd Christus primogenitus dici non potuerit, antequam immortalis ipsemet& Dominus immortalitatis evaderet. Hoc autem priùs factum non est,quàm cumChristus in cœlos ascendit.Istam doctorum,quos citat Smiglecius, monitionem,vocem *Iterum*, cum particula *et* non cum voce *introducit* conjungendam esse, quia ratione destituitur,possumus jure contemnere, præsertim cùm nihil absurdi in eo sit, si cum voce *introducit* conjungatur:imò egregium de Christo mysterium contineat. Quod Doctores istos ignorasse mirum non est. Præjudicio enim excœcati, literas s. legerunt plærique.

Inepta & absurda Smiglecii opinio.

Christus primogenitus ante exaltationem non fuit.

Dico quintò.Sermonem hîc esse de orbe terræ,in quem *primogenitus* sit introductus. At Christus non respectu nativitatis suæ dicitur primogenitus, sed respectu earum rerum, quæ ipsi propriè post

ratio 5. Christus quo respectu sit primogenitus.

resurrectionem competunt, nempe primogenitus omnis creaturæ, vel ex mortuis, vel ex multis fratribus. Smiglecius *nugari me*, ait, more suo. Ipse verò quid respondet? *Christus*, ait, *in sua secundùm carnem nativitate fuit primogenitus Dei absolutè, quia fuit verus Dei filius, licet non secundùm eam, quæ secundùm carnem est, nativitatem, dicatur primogenitus.* Vide, quæso, lector benevole, quid agat Smiglecius, dum me nugari asserit. Christum *primogenitum Dei* absolutè fuisse ait, in sua secundùm carnem nativitate? Vnde hoc ei constat, cùm S. literę ea de re nihil testentur, quod ego antea etiam ipsi objieceram, & paulò ante repetii. Nusquam Dei respectu Christus primogenitus appellatur: nativitatis autem Christi, *secundum carnem* mentionem facere, & Christum non secundùm eam, quæ secundùm carnem est, nativitatem, primogenitum appellari, quid, quæso, est aliud, quàm multipliciter nugari? Quasi scilicet alia sit Christi nativitas præter eam, quam ex virgine Maria habuit, & quasi aliquid de Filio Dei dici possit, ante ipsius ex Virgine nativitatem.

Christus non appellatur primogenitus Dei.

Ratio 6.

Dico sextò: de tali orbe terræ hîc sermonem esse, in quem postquam Christus introductus fuit, publicatum est, ut omnes angeli eum adorarent; hoc verò antea factum non esse, quàm Christus in cœlos ascendit: imò contraria legi, nempe quòd angelus eum confortârit, & quòd Christus, precibus se angelos a Patre obtinere potuisse, testetur. Respondet Smiglecius, *se non legisse istam publicationem post resurrectionem.* At hoc ipsum, quod nunc in manibus habemus, *Cùm iterum in orbem terræ introducit primogenitum, dicit: Et adorent eum omnes angeli*, est ista publicatio. Quam quia, ante exaltationem Christi, factam non esse docuimus hactenus, jam intelligere potest Smiglecius, de orbe terræ futuro hîc sermonem esse. Quæ porrò ego contraria huic attuleram, ea Smiglecius audacter, fictitia ista sua naturarum in Christo distinctione, eludere conatur. Quem respondendi modum injustum esse antea docuimus, & nunc iterum asserimus. Quanquam etiam admissus nihil causam Smiglecii juvat. Nam si Christus Deus erat naturâ, cur non potiùs natura ejus divina eum confortavit, quàm angelus? vel quomodo sine blasphemia dici potest, eum, qui naturâ Deus est, licet etiam homo sit, confortatione a creatura indigere? Quomodo etiam *Patrem* rogare potuit Christus, si ipsemet Deus idem, qui Pater est, erat? cur non a natura sua divina petiit, si petẽdum erat, aut accepit istas angelorum legiones, si accipiendæ erant? Stultum enim est ab alio petere, quod quis ipsemet præstare potest, vel potiùs non potest non præstare. Sed hæc alibi tractata sunt prolixiùs. Constat igitur Heb: 1. non de orbe

Adoratio Christi post resurrectionem publicata.

Christum nec ab angelo confortari, nec a Patre petere quid debuisse, si divinam naturam habuisset.

orbe terræ præsenti;sed de futuro, & introductione in eum,loqui divinum illum autorem.

Caput X.

Potestatem judicandi ante resurrectionem, Christo re ipsa datam non fuisse, ostenditur.

CALUMNIAM, quâ me,suo more,premit in hac disputatione Smiglecius,Domino Iesu judicandam relinquo.Nulla ego Christum dignitate spoliare, cupio, testis est ipse Christus: Sed Smiglecius, dum ejus absurdæ & falsæ de Christi dignitate deteguntur sententiæ,ut causa sit plausibilior,Christi dignitatem impeti,conqueritur. Sed frustra. Christus enim gloriam & dignitatem suam habet integram, eamq; talem & tantam, qualem & quantam ipsemet Smiglecius in hoc capite Christo tribui non vult, ut postea videbimus. Adde,quòd nunc non de dignitate,quæ Christo tribuenda est,sermo sit,sed de tempore, quo ea illi tribuenda est. Fatemur enim,Christum potestatem habere absolutissimam judicandi nos:sed eam illum, cùm adhuc mortalis esset, habuisse,confiteri non possumus. Christus enim probaturus rem futuram, quæ est: Pater majora (Filio) opera demonstrabit, dixit, *nam Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio*. Vnde constat, verba hæc,*dedit omne judicium*, ita accipienda esse,ac si dictum esset,Pater dabit omne judicium Filio.Alioquin ineptissima esset Christi argumentatio.Nam si tũc Christus re ipsa judicium omne datum habuisset,quid opus fuisset dicere, Patrem ipsi opera majora demonstraturum, cùm præter opus illud, quòd omne judicium esset habiturus,nullũ detur majus? Hoc autem ita se habere,patebit,si quis locum paulò penitiùs inspexerit.Docuerat Christus,nihil a se peccatum esse,quòd sabbatho hominem ęgrotum curasset,quia ipsemet Deus facti istius autor sit,qui scilicet potestatẽ miracula faciendi Christo concesserit,& ita æqualem ipsum sibi effecerit.Hoc absoluto,Christus aliis etiam operib: multò sublimioribus,quàm sunt miracula,ęqualem se Deo futurum pronunciat,dum ait: *Et majora his*(nẽpe miraculis)*demõstrabit ei opera,ut vos miremini.* Quæ verò sint ista majora opera, mox explicat duplici modo: Prior est,dum dicit: *Sicut enim Pater mortuos suscitat & vivificat, ita & filius,quos vult,vivificat:* Alter est: *Pater enim neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio,ut omnes honorent Filium,sicut honorant Patrẽ.* Nec

Calumnia Smiglecii repellitur.

Non de dignitate Christi sed de tẽpore,quo eam habuerit,disputari.

Verborum Ioan. 5. sensus eruitur.

enim necesse est, verba hæc v.22. habere pro declaratione vel probatione v.21. Sed pro probatione vel declaratione secunda thesis, quæ est: Majora his opera demonstrabit Pater Filio, ut vos miremini, censenda sunt. Sic enim voces causales, in initio duorum vel plurium versiculorum repetitæ, diversas causas unius quæstionis vel thesis reddere solent. Exempla sunt obvia non pauca iis, qui diligenter s. literas evolvunt. Vide Rom. 1. 16,17,18. & 8:1,3,5. & 14:16,17,18. Quanquam ipsa res istum sensum exigit. Verba enim Christi de *operibus*, nempe pluribus, loquuntur. Iam si sola mortuorum resuscitatio & vivificatio commemoraretur, unum tantùm id opus esset. Præterea, cùm Christus de operibus *majoribus*, sibi demonstrandis agere voluit, nullo modo omitti potuit ipsius gubernatio, quam supra populum Dei consecuturus erat, absolutissima. Hæc enim omnium operum maximum est. Hæc autem non in v.21, sed 22. continetur. Et ita opera illa majora sunt, quòd Christus, quos vellet, vivificaturus esset, in extremo scilicet die, & quòd universam potestatem in populum Dei ab eo tempore, quo in cœlos ascendit, ad finem usq; mundi habiturus esset, quòd brevissimè aliàs a nobis duobus verbis exprimitur, Christum nos nunc regendi & olim servandi potestatem habere.

Vocis *Nam*, usurpatio.

Opera majora, quæ Pater Christo demonstravit, sunt, nos regere & servare.

Hanc divinam veritatem obscurare conatur Smiglecius. Sed frustra. Quòd enim ait, *demonstrationem operum majorum non esse dationem potestatis operandi majora*, id nudè tantùm affirmat. Ego verò superiùs docui, cùm Christus dicit, Patrem opera, quæ facit, demonstrare filio, aliud nihil esse posse, quàm Patrem, filio potestatem concedere faciendi ea, quæ ipsemet faciebat. Præterea nonné ipsa verba Christi sequentia docent, per demonstrationem operum majorum, intelligi collationem potestatis faciendi opera majora? Opera enim majora Christus ait esse, vivificationem mortuorum & gubernationem absolutissimam populi divini. Hoc verò utrumq; quomodo Christus operandi potestatem habere potuit, cùm adhuc mortalis ipsemet esset? Adde, quòd quomodocunq; accipiantur Christi verba, manifestum est, Christum, tunc cùm ista diceret, perfectam omnia operandi potestatem non habuisse. Nam quomodo de eo, qui omnia præstare potest, dici sine absurditate potest, ei aliquid demonstrandum esse? Certè de Deo summo nihil tale unquam scriptum reperimus.

Demõstrationem operum majorũ, esse collationem potestatis faciendi opera majora.

Iam porrò, ut ineptè de hoc loco differere semel cœpit Smiglecius, sic multa inepta dicere pergit. Dicit enim, *cùm Christus ait, Patrem demonstraturum majora opera filio, non ea solùm intelligi, quæ die judicii demonstraturus est, sed universè, quæ in futurum demonstra-*

monstraturus erat. Quasi scilicet nos ea opera majora, quæ Pater Christo demonstraturus erat, ad diem judicii tantùm referamus, & non apertè contendamus, & ea, quæ in die judicii futura sunt, nempe vivificationem mortuorum, & ea, quæ a Christi exaltatione cœperunt, & nunc etiam durant, & usque ad diem judicii duratura sunt, nempe gubernationem populi divini, esse illa majora opera, quæ Pater filio post illud tempus, quo ista dixit, demonstraturus erat. Longè autem ineptior est Smiglecius, dum ait, *Christum tunc solùm infirmos curaße, nec ullum adhuc mortalem resuscitaße.* Vnde enim constat Smiglecio, Christum, ante illud tempus, mortuum nullum resuscitasse? Si constaret, quid hoc ad rem, dummodo constet, Christo tunc, cum ista diceret, datam fuisse potestatem mortuos resuscitandi. Iam enim hoc ipso pater illi opus istud demonstraverat. Christum verò hanc potestatem habuisse mortuos resuscitandi ad hanc vitam, vel hinc patet, quòd, ab initio prædicationis suæ, Ioanni Baptistæ renunciari jussit, non tantùm claudos ambulare & leprosos mundari, verùm etiam mortuos resuscitari: imò, Apostolis etiam a se missis eandem potestatem dedisse, legitur. Vnde patet, quàm profundè in ineptias se conjecerit Smiglecius, dum pergit disserere, *Christum non solùm judicii generalis tempore, sed & ante resurrectionem mortuos vivificaturum fuiße. Tres enim*, ait, *mortuos excitavit.* O conatum res vanas pronunciandi! Parumné enim liquet, Christum non de hac resuscitatione mortuorum agere, quâ tres (ut ait Smiglecius) resuscitavit. Certè enim loquitur de resuscitatione simul & vivificatione. Qua repetitione significare voluit talem ex mortuis resuscitationem, quàm vivificatio, hoc est, immortalitas consequatur. Sic enim vox *vivificatio* sola alibi accipitur: cum voce autem resuscitationis posita aliquid sublimius multò evidentiùs indicat. Quo sensu etiam Apostolus dixit, Christum in hoc mortuum esse, & resurrexisse, & revixisse, ut mortuis & vivis dominaretur. Et quia hæc duo differunt, & posterius priori præstantius est, Christus, de se ipso dicturus, quod de patre suo dixerat, omittit resuscitationem ex mortuis, & solius vivificationis meminit, dum ait, *ita & filius, quos vult, vivificat*, satis indicans, se per resuscitationem ex mortuis non illam, quæ aliis etiam antea contigerat per Prophetas & Apostolos, significare, sed aliam longè excellentiorem, & proinde hanc solam posuisse. Nam in majori semper includitur minus; &, qui vivificare potest, is etiam mortuos excitare potest.

Ineptè dicta a Smiglecio.

Christum ab initio prædicationis potestatem habuisse mortuos ad hanc vitam resuscitandi. Matth: 11. Matth: 10. 8.

Resuscitationem positam cum vivificatione, immortalitatem significare.

Rom: 14. 9.

Sed nondum finis est ineptiarum Smiglecii in hoc capite. Negat enim judicare esse gubernare, cùm tamen nimis notum sit, ex usu linguæ

Iudicare, est regere.

Gen: 18. 25. linguæ Hebraicæ judicium pro gubernatione accipi. Hinc de Deo ipso dicitur, quòd omnem terram judicet, hoc est, gubernet, & illi, qui qui sub V. Fœdere populum Dei gubernabant, judices appellabantur; unde liber etiam Iudicum adhuc extat; & Christus deniq; judex vivorum & mortuorum non alia de causa appellatur, quàm quòd vivis & mortuis, ut alibi dicitur, dominatur.

Act: 10. 42. Rom: 14. 9.

Examinatur dicta Smiglecii de judicio Patris.

In eo porrò sapere velle videtur Smiglecius, quòd, dum dicitur, Patrem neminem judicare, nolit Patrem a judicio excludi. Quanquã nec satis rectè modum, quo Pater judicare dici potest, explicat; nec satis idoneam causam, cur a judicio Pater excludendus non sit, affert. Nam quod ad modum attinet, ait, *Patrem judicium in forma illius hominis, nempe Christi, exercere.* Hunc verò modum nec sacræ literæ agnoscunt, nec sana permittit ratio. Nam s. literæ, Deum Patrem per Filium hominis, non in forma hominis, judicare asserunt. Patrem verò in forma hominis judicium exercere, quis unquam audivit? Causa porrò quam affert, cur Pater a judicio non excludatur, quàm sit inepta, dici vix potest. Verba enim Christi, quæ huc adducit Smiglecius, *non potest Filius a semetipso facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, primùm ad miracula tantùm, quæ Christus, mortalis existens, faciebat, pertinent. Deinde etiamsi ad omnia alia pertinerent, quæ Christus facit, non significant, Deum ab illis, quæ Christus fecit, non excludi; sed tantùm indicant, Christum ea, quæ facit, non facere propria & a se prophecta potestate, sed data sibi a Patre. Hoc enim est non a se ipso facere quicquam. Interim quemadmodum Christus potestate accepta semel miracula faciebat absq; auxilio Patris, quo scilicet subinde opus haberet, imò non secus atq; ipse Deus: sic etiam nunc, postquam omnis potestas in cœlo & in terra data illi est, omnia facere dici potest, non secus atque ipse Deus, absque ullo Patris auxilio, quod ipsi subinde suppeditetur; & proinde statuendum est; Patrem non judicare quenquam, sed omne judicium dedisse Filio, ita accipiendum esse, quòd Pater non in sua persona populum suum gubernet, sed alium præfecerit, qui ipsius loco regnet, & quia præfectus a Patre regnet, Patrem regnare dici. Apparet scilicet, quàm graviter premat Pontificios vera Christi divinitas vel divina potentia, ut nullo modo eam rectè percipere possint, excœcati illa sua de ejus natura divina opinatione.

Pater per Filium hominis regnat.

Repetitiones Smiglecii obiter refutantur.

Cur pater regnare per filium dicitur.

Hoc jam absoluto, ad alia transit Smiglecius, &, quomodo nos parem Christi divinitatem Patris divinitati non absolutè, sed secundùm quid, statuamus, differit, quia Pater eam a se ipso, filius a Patre habeat, & id, eodem prorsus modo, quo capite præcedenti, refutare cona-

re conatur, *quòd scilicet sola acceptio non minuat æqualitatem.* Addit etiam, *ex eo, quòd filius honorari debeat, sicut Pater, omnimodam paritatem cultus designari. Duplicem nihilominus in Christo potestatem distingui non negat,* (verba hęc sunt Smigsecii) *alteram increatam & divinã, alteram creatam,* & tandem, *ut hoc benè percipiunt & intelligunt fideles, ita infideles Arianos ista non capere, & abscondita esse hæc verba à cordibus eorum,* peracutè, scilicet, perorat. Sed quia hęc omnia jam antea dicta & refutata sunt non semel, non opus est dicta repetere; quia verò suorum suffragiis se tuetur Smiglecius, & nos etiam convitiatur, quos refutare non potest, jam, victum eum esse, tutòquivis concludere potest; an denique ista, quæ Smiglecius cum suis fidelibus percipit, capiamus nec ne, judicabit vel nostra vel futura ætas.

Ejusdem valoris & illud est, dum negat, si alicui puræ creaturæ Deus omnem suam potestatem judicandi communicet, illam hoc ipso fore honore divino dignam. Hoc enim, quàm falsum & blasphemum sit, tum per se patet, tum alibi suprà a nobis probatum est. Iam igitur constare putamus, cur, Christo judicium omne, cùm in terris mortalis degeret, vel potestatem judicium faciendi re ipsa datum esse, negemus.

Quæ porrò nobis affingit Smiglecius, *quòd ideò datum omne judicium Filio in terris degenti negemus, quòd tunc actus judicii, non exercuerit vel non impleverit*, ea non opus est vel meminisse. Nusquam enim ita loquimur, sed rationibus evidentissimis docemus, cur Christus potestatem illam habere non potuerit, non autem exercere. Illud verò, quòd ait, *nos Christum ideò negare perfectè Christum fuisse, dum in terris degebat, quia partes muneris sui perfectè non exercuerit vel non impleverit*, quomodo, quæso, erroris accusari potest? Tumultuatur quidem Smiglecius, & nos, si Christum ea nescivisse, quę postea per Apostolos revelavit, dicamus, blasphemos esse pronunciat: sed frustra. Nam satis est ad id, quod nos affirmamus, obtinendum, Christum id, quod ad divinę voluntatis revelationem pertinet, dum in terris degit, non implevisse, & partem muneris Prophetici per Apostolos impletam fuisse. Qua in re nihil est prorsus absurdi: imò summa in eo Dei apparet sapientia, qui quædam per Christum revelari voluerit, dum Propheta erat; quædam verò cùm jam Rex etiam re ipsa populi Dei evasisset, per legatos illius. Sed jam, hoc omisso, videamus, quomodo Smiglecius, nostram de Christi sacerdotio & regno sententiam, aggrediatur.

Sapientia Dei in revelãda sua voluntate.

Caput

Caput XI.

Christi sacrificium, nempe expiatorium, in cælis demum peractum esse, demonstratur.

CONVITIA Smiglecii, qui nostram sententiam *voces impias* appellat, non moramur. Nec enim aliter causam suam tueri potest, quàm nobis detrahendo. Trivialem etiam istam vocem, *quòd, post sexdecim a Christo secula, nemo sententiam Smiglecii oppugnârit*, spernimus jure, ob id potissimùm, quòd nullo fundamento nitatur. Quanquam, rationem & sacram scripturam omni autoritate humana superiorem esse, nemo non intelligit. Convitia nova, *quibus nos perfidos & stolidos homunciones appellat*, genio ascribimus Iesuitico. Is enim, nisi omnes contemneret & damnaret, nullus esset. Rem videamus. Negamus igitur, Christum ante ingressum in cælos, sacrificium suum, cujus causa Pontifex noster appellatur, præsertim in Epistola ad Hebr. quod expiatorium vulgò vocant, perfecisse, &, hoc nihil verius dici posse, persuasissimum habemus. Expendamus igitur, tum quomodo suam probet in hoc capite Smiglecius, tum quomodo nostram refutet in capite sequenti sententiam. Quinque igitur argumenta pro sua affert sententia. Primum est, Eph: 5. ubi sic ait Apostolus: *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*. Vbi priùs hoc præfabor, quàm aliquid respondeam. Ad ista omnia sufficientissimè tum a Socino in libro de Servatore, tum a me, in responsione ad Monstra a Smiglecio conficta, responsum esse, adeò ut vix aliquid a Smiglecio objici & a me responderi possit, quod antea dictum non sit, & proinde posse me jure meo, ad ista scripta tam Smigleciū quàm lectorem remittere: non pigebit tamen, quia res magna est, iterum eadem scribere, &, sicubi opus erit, aliquid ad ante dicta addere. Concedimus igitur, in loco Eph: 5. per verba *tradidit semetipsum*, Christi mortem intelligi, quod hîc affirmat Smiglecius. Aliàs enim libenter Doctores alii, istiusmodi locutiones, de Christi (quam vocant) incarnatione interpretantur: Sed negamus, verbis sequentibus, *oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*, explicari modum, quomodo se Christus tradiderit, quod itidem affirmat Smiglecius tantùm, & non probat ulla ratione. Tradere se ipsum, significare, in mortem se tradere, quod nos concedere ait, adductis aliquot testimoniis comprobavit: id verò, quod nos negare novit, & in quo cardo rei consistit, nudè

Argumenta Smiglecii refutantur.

1. Argum: Smigl.

Solvitur.

Per tradere seipsum, mortem significari.

nudè affirmasse, sat habuit. Vnde constat, quàm aut negligens sit Smiglecius, vel potiùs a rationibus & veritate destitutus. Quid ergo dicam amplius, quàm Smiglecium, ubi probationes opus est afferre, subterfugere, & tamen insultare aliis & premere eos ita solere, ut nullus fastus sit finis. Desperata autem probatione suę opinionis, nostram istius loci explicationem carpit, quæ est, quòd verba illa, *oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*, per appositionem (ut in scholis loquuntur) sint addita præcedentibus, & proinde, traditionis istius Christi non modus sed commendatio, censeri debeant. Cùm enim Apostolus nos hortatus esset ad dilectionem mutuam, exemplo charitatis Christi id effectum dare voluit. Charitatē verò Christi explicaturus, tum quanta ista, tum quàm chara Deo fuerit, proponit, ut ita nos ad summam charitatem etiam extimulet, & simul, quantum nobis ex ea re commodum sperandum sit, tacitè innuat. Smiglecius ait, *hunc locum luce sua nimis oculos nostros perstringere, & fucum esse, quod de sensu verborum, oblationem & hostiam Deo, addidimus, cùm ista verba a voce tradidit, regantur, nec aliud verbum sit, cum quo conjungi possint, & nisi verbo Tradidit conjungantur, nullum sensum per se factura. Sicut enim dicit Paulus, tradidit semetipsum, ita etiam dicit, tradidit oblationem & hostiam, utrumq; enim accusativum ab eodem verbo regi, eodemq; verbo subjici.* At enimverò quomodo oculos nostros perstringere potest locus iste? cùm id in eo non contineatur, quod asserit Smiglecius. Quomodo fucus id esse potest, quod, ut jam exposui, cum proposito Apostoli optimè convenit? Iam verò verba ista, *oblationem & hostiam Deo*, a verbo *tradidit* regi, non dicendum erat tantùm, sed etiam comprobandum. Possunt enim, ut docui, per se stare, & rem illam, quæ præcessit, commendare. Falsum autem est, Paulum dicere, Christum tradidisse oblationem & hostiam, ut dicit, Christum seipsum tradidisse; (in mortem) & non sine ingenti id audacia a Smiglecio Paulo affingitur. Exemplum simile extat: Phil:4.18. ubi Paulus sic ait. *accepi omnia & abunde, repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam beneplacentem Deo.* Ibi enim similiter verba ultima, *odorem suavitatis, hostiam acceptam beneplacentem Deo*, præcedentibus junguntur, per appositionis figuram. Nec enim Paulus dicere vult, se accepisse a Philippensibus odorem suavitatis vel hostiam: sed, postquam dixisset, se omnia accepisse, quæ miserant, per Epaphroditum, factum istud illorum commendat eo modo, quo sacrificia plæraq; V. T. solebant commendari, quod nimirum odor suavitatis, hostia accepta & benepla-

Per verba *Oblationem & hostiā Deo*, &c. mortem Christi commendari.

Sensus loci eph:5. indicatur.

A Smiglecii falsa explicatione defenditur.

Exemplum similis locutionis.

Exod:29.

Non rem traditam sed traditionem commendari Hebr.

cens Deo futurũ sit. Errat igitur Smiglecius, dum his verbis rem traditam commendari ait, non traditionem; nec id ulla ratione comprobari ab eo potuit. Porrò quod Christum, veram oblationem non metaphoricam, in cruce fuisse asserit, id quàm vanum sit, nemo non videt, cùm oblationem Christi in cruce non agnoscat scriptura. Non est autem dissimulandam, priusquam ad alia progrediamur, nos non negare, Christi mortem ad sacrificium ejus pertinere. Pertinet enim ita ad sacrificium Christi, ut sub V. F. mactatio pecudis, ad sacrificium per pecudem istam vel sanguinis ejus perficiendam pertinebat, quatenus scilicet præparatio quædam sacrificii erat. Sed quemadmodum ipsa mactatio pecudis non erat ipsum sacrificium. mactatio enim ante sancta sanctorum fiebat, sacrificium verò non nisi in sanctis sanctorum perfici poterat: sic etiam ipsa Christi mors sacrificium censendum non est. hæc enim in terra facta est: sacrificium autem Christi non nisi in cœlis fieri potuit. Nec enim terræ sed cœlorum typus erant sancta sanctorum legalia.

Quatenus mors Christi ad sacrificium illius pertineat.

Iam quòd Smiglecius ait, huc spectare locum Ioan: 17. 19. ubi Christus dicit: *Ego pro eis sanctifico me ipsum, ut & ipsi sint sanctificati*, mirum est, quomodo non statim ipsa Christi verba eum docuerint, quàm vitiosus sit sensus, quem verbo sanctificandi, cùm id de se Christus dicit, affingit. Nonne enim statim additur, *ut & illi sint sanctificati*. Vt autem discipuli non eo sensu dicuntur sanctificandi, quia sacrificandi sint, sed quia singulari ratione illustrandi. additur enim, *in veritate:* sic etiam statuendum est, non eo sensu dici, Christum se pro discipulis sanctificasse, quia pro eis sacrificaverit, quantumvis ut Smiglecius, suo more, ait, omnes interpretes ita exponant, sed sensus est: Pater rogo te, ut sanctifices Apostolos meos in veritate tua, hoc enim v 17: præcesserat, hoc est, singulari modo illustra mentes horum discipulorum præ omnibus aliis. Nam tale munus subituri sunt postea, quale ego nunc subeo, quod explicatur his verbis: *sicut me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum*. Porrò sicut Patrem orabat, ut eos sanctificaret in veritate: sic ait, se etiam facere quicquid possit, ut isto modo sanctificari possint, nempe se pro illis semet ipsum sanctificare, hoc est, se paratum esse mortem truculentam subire, ut illud succedat quod rogabat. Quia igitur Christus rem tantam pati non detractabat ad efficiendum, ut Apostoli in veritate sanctificarentur, æquum esse ducebat, ut Pater etiam, votis suis annuens, id largiretur, per quod Apostoli in veritate sanctificarentur. Potest igitur, vi horum verborum, Christi mors considerari, ut sacrificium aliquod, quatenus nimirum res Deo accepta fuit: nec tamen necesse

Apostoli quomodo sanctificati fuerint.

Quomodo se Christus pro Apostolis sanctificerit.

est dicere, Christi mortem esse illud sacrificium expiatorium, cujus typus erant, non quotidiana legis sacrificia, sed solum illud solenne & anniversarium, cùm sacerdos semel quotannis in sancta sanctorum cum sanguine ingrediebatur.

Alterum argumentum Smiglecii est locus Heb: 1. *Purgatione peccatorum facta sedit ad dextram majestatis in excelsis.* Vbi primùm notat Smiglecius, in græco haberi, *per semetipsum*, quod in Latino desideretur. Cur verò id notat Smiglecius, si quidem latina versio, ipsius sententiâ, superet textum græcum? Num tacitè vulgatam etiam reprehendit? Sed hoc levius est. Deinde ait, participium esse præteriti temporis ποιησάμενος. Vnde colligit, *factam ante purgationem peccatorum quàm Christus consedißet in dextera Dei*, idque aliis etiam verbis indicari, dum dicitur, Christum per proprium sanguinem introiisse semel in sancta, æterna redemtione inventa. Hanc rationem ego dilui in examinatione centum errorum, quos ex duabus prioris meæ responsionis partibus collegerat Smiglecius, ubi docui, istiusmodi aoristos, junctos cum verbis, non significare, duo successivè facta esse, sed unum & idem simul & semel factũ exprimere, ita ut idem sit, facta purgatione peccatorũ consedit, quod, consedendo ad dexterãDei, fecit purgationẽ peccatorũ. Exemplis ibi appositis nunc unum atq; alterum præterea addo. Act: 15. 9. *Nihil discrevit* (Deus) *inter nos & illos*, (hoc est, Iudæos & gentes) *fide purificatis cordibus eorum.* In græco est καθαρίσας, hoc est, non discrevit, dum purificavit. Simul enim & semel ista facta sunt. Heb: 10. 22. *Accedamus* (ad Christum) *aspersi* (ἐῤῥαντισμένοι) *corda a conscientia mala.* Hebr: 11. 24. 26. *Moses negavit dici filius filiæ Pharaonis: Majores divitias ratus* (ἡγησάμενος) *quàm Ægypti thesauros, improprium Christi.* Vnde etiam vulgatus interpretes, sensum potiùs quàm significationem verbi secutus, duos ex his locis per participium præsentis temporis convertit, purificans & æstimans. Et eodem modo etiam locus ille Heb: 9. 12. resolvendus est, & alia his similia, qualis est c. 10, 12. *Hic postquam unam pro peccatis obtulit hostiam* (προσενέγκας) *in sempiternum sedit in dextera Dei*, ut scilicet firmum maneat, Christum priùs sacrificium suum non peregisse, quàm in cœlos ingressus est. Tunc enim demum Sacerdos factus est, ut in sequenti capite demonstrabitur.

Ita re sua probata Smiglecius, satis quidem leviter, meam aggreditur responsionem, quæ est, quòd hîc locus non exprimatur, in quo facta sit a Christo peccatorum purgatio. aliunde autem constare, istum locum esse ipsos cœlos: hîc verò dici, Christum tunc purga-

2. Arg: Smigl.

Vulgata a Smiglecio deseritur.

Solvitur

Regula de Aoristis junctis cum aliis verbis.

tionem peccatorum fecisse, cùm consedit ad dexteram Dei. Quia nunc nihil aliud agat Christus, quàm quòd peccata suorum expiet. Hanc verissimam responsionem nihil penitus veri continere, ait Smiglecius, & quatuor falsa in ea esse asserit, quæ brevissimè examino. 1. *Falsum esse* ait, *locum non exprimi. Quia dicatur ante ingressum in cœlum id factum esse.* Sed hoc jam per ea quæ de natura vel significatione aoristorum diximus, refutatum est. 2. *Falsum esse* ait, *Christum se ipsum in cœlo primùm obtulisse.* Sed hoc verum esse in capite sequenti demum docebimus. Ibi enim id tractat ex professo Smiglecius. Nunc uno verbo rem expedio: In sanctis sanctorum sacrificium demum peragebatur. Sancta sanctorum typus erant cœlorum. Quamdiu igitur Christus in cœlos non est ingressus, sacrificium peragere non potuit. 3. *Falsum esse*, ait, *tunc factam esse purgationem peccatorum, quando Christus consedit ad dexteram Dei. Quia facta purgatione sederit.* Sed hoc verissimum esse, resolutio aoristi, quam antea indicavi, comprobat. 4. *Falsum esse* ait, *Christum nunc nihil agere, quàm peccata nostra expiare. Quia in cruce expiaverit, & nunc ad eam nos admittat.* Sed hoc est nugari, & quidvis pro libitu dicere. Nec enim scriptura ullius alius expiationis meminit, præter eam, quæ, Christo in cœlos ingresso, facta est, & figmentum est Smiglecii prior illa aliqua expiatio, ut ex sequentibus constabit.

Leviuscula Smiglecii rationes repelluntur.

3. Argum: Smigl.

Tertium argumentum petitur ex eo, *quòd Christus semel tantùm se sacrificârit.* Semel Christum se ipsum sacrificasse, nos quidem concedimus: sed quomodo ex eo consequatur, sacrificium in terra perfectum esse, non perspicimus. imò, contrarium hinc apparere, credimus. Smiglecius ergo sic probat suam consequentiam, *quòd loca illa, in quibus affirmatur, Christum semel se ipsum sacrificasse, non possint de cœlesti oblatione intelligi, ac proinde sacrificio in terra facto intelligi debeant.* Sed quomodo rursus probat, loca illa non posse de cœlesti oblatione intelligi? Sic: *Quòd, quæ in cœlis oblatio peragitur, non semel sit facta, sed fiat semper & in æternum. Semel autem fieri & semper fieri esse contraria.* En habes probationem Smiglecii ex ipsa falsitate conflatam. Nam quis ei cōcedet, semel fieri & semper fieri, esse contraria? Nam si quid semel fieri cœperit, & pertuò duret, quis non videt, jure dici posse, id semel factum esse vel fieri? Est enim ista perpetuò durans actio instar unius, quatenus non cessat, & non succedit alia alii. Sed est quod hîc vel non intelligit Smiglecius, vel quod eum intelligere inveterata nō permittit opinio. Agnoscit enim, eandem oblationem semel esse factam, & semper fieri in cœlo, quod nos dicimus: nec tamen id esse ait, de quo nobis nunc res sit. quia scilicet oblationem antea factam

Solvitur.

Quomodo id semel fieri dici possit, quod semper fit.

ctam esse credit, quàm Christus in cœlum ascendit: Sed hoc nunc probandum est, non asserendum. Deinde imperitè admodum docere conatur, non esse Christi oblationem actionem unam perpetuò durantem, *quia scilicet tunc tantùm Christus pro nobis interpellet, quando peccamus & postquam peccatum remissum est, ista interpellatio cesset*, abusus ad id testimonio Ioannis: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.* Quæ talis assertio Smiglecii indicio est, & Smiglecium ejus Ecclesiam prorsus non intelligere, quid sit Christi sacrificium vel interpellatio. Nec enim censendum est sacrificium vel interpellatio Christi ex eo, quod accidentariò fit cum Christi populo, quale illud est, de quo Ioannes loquitur, sed ex eo, quod perpetuò fit & futurum fuisset, etiamsi nemo illorum, qui jam Christum cognoverant, peccet, hoc est, in peccato aliquo hæreat. Satis enim est, omnes esse peccati reos ob peccata præterita: &, ut hæc deleantur, vel ne illorum causâ pœna ulla fidelibus irrogetur, Christi pro illis intercessio, hoc est, potestas absoluta cum voluntate benefaciendi & conservandi eos, efficit. Imò præter hanc partem interpellationis longè est illa præstantior, quòd Christus apud Patrem suum perpetuò curam suorum gerit, & beneficiis eos spiritualibus continenter afficit. Non minùs etiam illud imperitè dicitur: *Postquam peccata nobis remissa sunt, non opus esse Christi intercessione.* Nemini enim peccata plenè & reipsa remittuntur ante diem ultimum, in quo mors demum, quæ est peccati stipendium, & ultimus Christi hostis, abolebitur. Itaque necesse est, Christum ad illud usque tempus, potentia sibi a Patre data, tueri suos & eruere ab ira ventura. Non negatur tamen Christi intercessionem peccata etiam eorum expiare, qui ad Christũ conversi, per imbecillitatẽ adhuc in illis hærent: sed causam, cur Christus advocatus noster sit, eam esse potissimam vel ordinariam, negatur de quo plura in libro *de satisfactione Christi.*

Sacrificium Christi non tunc tantum, cùm peccamus, sed perpetuò pro nobis durat.

Effecta sacrificii Christi.

Remissio peccatorũ perfecta non datur ante diem ultimum.

Quænam peccata Christi sacrificiũ expient.

Pergo ad alia, in quibus non minus est imperitiæ atque in præcedentibus. Ait Smiglecius, *Paulum Heb: 9. 26. oblationem illam semel factam agnoscere esse cruentam.* Hoc sanè nihil dici potest magis erroneum. Audiamus ergo rationes Smiglecii. *Quia si repeteretur*, ait, *oporteret Christũ frequenter pati ab origine mundi. Ergo loquitur de ea oblatione, quæ facta est in cruce non in cælo.* Ego verò contrarium hinc colligi posse puto. Apertè enim distinguit Paulus oblationem a passione; & tantùm docet, oblationem sine passione factam non fuisse, nec fieri potuisse, quod nos fatemur. Ait iterum Smiglecius, *Paulum dicere, quòd Christus per hostiã suam semel apparuerit.* Vnde colligit, eum antea hostiam in cruce perfecisse, & postea, perfectâ illâ hostiâ, in cæ-

Explicationes Smiglecianæ loci Heb. 9. examinantur.

in cęlo apparuisse: Sed non advertit Smiglecius, verba διὰ τῆς θυσίας

Quid sit *per hostiā* apparuisse.

idē valere posse, quòd cum hostia, ut 1. *Ioan:* 5. 6. semel dicitur, Christum venisse per aquam & sanguinem, & mox ibidem ita explicatur, quòd in, hoc est, cum aqua & sanguine venerit. Verba sunt: *Hic est qui venit* δι' ὕδατος καὶ αἵματος, *Iesus Christus. Non in aqua & sanguine. In* autem sæpissime *cum* significare notius est, quàm ut probari opus sit. Ait tertiùm, *Paulum dicere, Christum semel debuiße offerri, ut hominibus statutum est semel mori, post hoc autem judicium.* Quod verum est: sed explicatio Smiglecii falsissima est, dum oblationem Christi ad tollenda multorum peccata per mortem factam esse asserit: imò oblationem per mortem explicat, quod autor iste non facit. Is enim, ut mortem semel obeundam hominibus, & deinde judicium commemorat: sic Christi hostiam pro peccatis, & adventum illius de cœlo, istis duabus rebus opponit. Quod verò ista oblatio sit Christi mors, nec dicit, nec ex iis, quæ dicit, colligi potest: imò contrarium

Oblationē Christi pro ingressu in cœlum accipi.

colligitur. Vt enim apparitio Christi, quam secundò futuram ait autor iste sine peccato expectantibus, ad salutem, de exitu e cœlo intelligenda est: ita etiam oblatio Christi semel facta, ad multorum peccata tollenda, de introitu in cœlum jure accipi potest & debet. Nulla enim inter mortem & reditum e cœlo comparatio est, qualis est inter introitum in cœlum & reditum e cœlo. Et respexit proculdubio autor ille ad id, quod in lege fiebat per sacerdotē. Is enim non moriebatur, sed ingrediebatur in sancta sanctorum, ad expianda peccata, & deinde iterum ex illis redibat sine peccato ad populum.

Iam quæ porrò narrat Smiglecius, *quomodo non sint contraria sed subalterna, offerre se ad mortem, & seipsum per mortem jam oblatum Deo repræsentare & offerre,* ea admitti a nobis non posse, ipsemet Smiglecius, ut puto, confitebitur, quamdiu non docetur, Chri-

Fallacia Smigl.

stum sacrificium suum peregisse, quando mortuus est. Quanquam verba Smiglecii nimis etiam sunt captiosa. Pro eo enim, quod dicere debebat, Christum moriendo vel in cruce sacrificium suum peregisse (hoc enim est, quod nos negamus) dicit, Christum se ad mortem obtulisse, ut ita subalterna ea facere posset, quæ revera sunt opposita. nempe in cruce sacrificium peregisse, & idem in cœlo peragere.

Ad mortem se offerre, & moriendo sacrificium perficere, differunt.

Aliud est, Christum se ad mortem obtulisse: aliud, eum moriendo sacrificium peregisse. Non nescio etiam, quòd probationes vel media, quæ vocant, interdum ratione tantùm differant a quęstione vel thesi, quod hîc addit Smiglecius: sed, passionem & oblationem ratione tantùm differre docendum erat, vel saltem notum fuisse, passionem

& obla-

& oblationem re ipsa non differre. Quod quia hactenus præstitum non est, nec præstari porrò potest, firma stat exceptio nostra.

Sed nunc videamus, quid dicat Smiglecius, cùm mortem Christi præparationem tantùm ad sacrificium esse affirmamus, non ipsum sacrificium, quemadmodum etiam in lege mactatio pecudis, cujus deinde sanguis in sancta sanctorum inferendus erat, non erat ipsum sacrificium, sed tantùm præparatio ad illud. Primùm ait, *si essentia sacrificii non statuatur in mactatione, sed in interpellatione pro nobis, posse repeti illam cœlestem oblationem non repetita oblatione, imò de facto toties repeti, quoties repetitur interpellatio pro nobis.* Sed jam antea ostentum est, quantus sit error Smiglecii, qui interpellationem Christi repeti posse sentiat, cùm semel facta perpetuò duret; &, rectissimè argumentari autorem Epistolæ ad Hebræos, constabit, si consideretur, ad sacrificii iterationem necessariò etiam requiri passionis iterationem. Quia sine mactatione vel passione sacrificium existere nequeat. Deinde ait Smiglecius, *mortem Christi sacrificium fuisse & præparationem ad illam oblationem cœlestem*, idque probat sacrificio legali, in quo vitulus & hircus, qui mactabatur ante sancta sanctorum & quorum sanguis inferebatur in sancta sanctorum, verè fuerit sacrificium immolatum pro peccato, Levit: 16, 27. Sed fallitur Smiglecius vehementer, dum credit, vitulum illum & hircum emissarium sacrificium ipsum fuisse: fallit etiam impudenter, dum id Levit: 16. 27 haberi ait, cujus rei antea etiam Smiglecium monueram. Fortasse deceptus est versione vulgata. Hæc enim habet: *Vitulum autem & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in sanctuarium, ut expiatio compleretur, asportabunt foras castra* &c. Sed vitiosam esse hanc versionem, vel saltem non eum esse verborum istorum, *qui pro peccato fuerant immolati*, sensum, quasi verè ante illationem sanguinis illorum sacrificium fuerint, poterant verba mox sequentia docere Smiglecium, ubi dicitur, *sanguinem illorum referendum fuisse in sanctuarium, ut expiatio compleretur.* Nam si sacrificium antea perfectum fuisset, quàm sanguis illatus fuit in sanctuarium, non fuisset opus, eo fine sanguinem illorum inferri, ut expiatio compleretur. Vbi enim est verum & perfectum sacrificium, ibi necessariò etiam est expiatio. Verba autem, quæ in vulgata leguntur. *Vitulum autem & hircum qui pro peccato fuerant immolati*, sic habent ex Hebræo textu: *Iuvencum autem, qui est peccato, & hircū, qui est pro peccato, quorum sanguis illatus est ad expiandum sanctuarium, efferat foras extra castra* &c. Vnde constat, iuvencum illum & hircum fuisse quidem pro peccatis, hoc est, ad sacrificium pro peccatis destinatos, sed nondum immolatos.

Error Smiglecii.

Locus Levit: 16. sensus eruitur.

tos. Hoc enim factum non est priùs, quàm sanguis illorum in sanctuarium inferretur. Et tantùm abest, ut verum sacrificium fuerint juvencus & hircus, ut ad sacrificiũ non pertinuerint. Asportati enim foras extra castra & combusti fuerunt: Sanguis verò solus illorum ad sacrificium pertinebat. Cum hoc verò sanguine nihil Aaron fecit ante ingressum in sanctuarium, quod expiationis alicujus iudicium esset. Vnde constat, multùm defuisse sanguini illi vel vitulo & hirco ad rationem sacrificii, ante ingressum in sanctuarium: imò id defuisse, quod sacrificium verè constituit, & tantùm præparationem ad sacrificium fuisse istam pecudum mactationem & sanguinis illarum effusionem. Imponit autem Smiglecius sibi & aliis, dum ex eo, quòd mactatio animalis in aliis sacrificiis legalibus, extra illud solenne & anniversarium, pro sacrificio habetur, colligit, mactationem etiam istius pecudis, quæ semel in anno fiebat, sacrificium esse. Nec enim necesse erat, in aliis vulgaribus & quotidianis sacrificiis id fieri, quod in isto solenni & anniversario fiebat. Poterant alia sacrificia esse vera sacrificia, propter istam mactationem pecudis, quanquam & hoc vix concedi potest: at hoc solenne & anniversarium nullo modo per ipsam mactationem pecudis confici poterat, sed necesse omninò erat, ut sanguis illius in sanctuarium inferretur, & expiatio ita perficeretur.

Non vitulus vel hircus, sed sanguis illorum tantùm ad sacrificiũ pertinebat.

Differentia aliorum sacrificiorũ legalium ab anniversario.

4. Argum: Smigl.

Quartum argumentum Smiglecius ex figura agni Paschalis petit, sed ita obscurè & intricatè, ut vix intelligi queat. Summa est: *Agnus ille Paschalis tunc, cùm occideretur, seu in ipsa occisione, immolatus & sacrificatus dicebatur, Ergo etiam Christus in ipsa occasione immolatus est & sacrificatus. Quia agnus ille fuit typus Christi.* At ego & in antecedente & in consequentia vitium esse dico. In antecedenti enim id affirmatur, quod ad rem nihil facit. Nunc enim sermo est de immolatione, quam peccatorum expiatio consequatur, & quæ ejus impetrandæ causâ instituta fuerat: At agnus Paschalis non in eum finem institutus erat; sed tantùm immolabatur vel mactabatur potiùs, ad celebrandam divini numinis, in liberatione populi Israëlitici ex Ægypto præstitam, beneficentiam. Consequentia verò ideo inepta est, quia non constat, Christum Agnum Dei appellari, respectu istius agni paschalis. Christus enim agnus Dei dicitur, quia peccata mundi tollat. At paschalis iste agnus, ut jam diximus, non in eum finem mactabatur, sed in longè alium. Iam quod Paulus ait. *Pascha nostrum immolatus est Christus*, nihil etiam huc facit. Nec enim Paulus dicit, Christum tunc fuisse immolatum, cùm est mortuus, sed tantùm immolatum.

Solvitur.

Mactatio agni legalis differebat a sacrificio expiatorio.

Christus quo respectu Agnus Dei appelletur.

1. Cor: 5. 7.

molatum esse Christum ait, ut olim pascha legale, temporis, quando id factum sit, nullam mentionem faciens: imò ex loco Pauli firmiter colligi potest, eum, per immolationem Christi, intelligere ejus per mortem in cælum ingressum & ibidem habitationem. Argutans enim suo modo, colligit ex eo, quòd Christus immolatus est, nos non debere ampliùs dies profestos vivere, sed festos dies agere, & azymis etiam vesci non pane fermentato, hoc est, nos debere, ut ipsemet addit, abjecta vita priori impia, pietati nos dedere, quemadmodum olim sub lege, mactato isto agno Paschali, dies festi agendi, & azymis utendum erat. Vt igitur, durante isto festo, per septiduum cogebatur populus festos dies agere & azymis vesci: sic etiam nunc, quia cœpit Christi oblatio & durat perpetuò, necesse est nos, valedicto pristino vivendi generi, novum nobis perpetuò ducendum proponere. Atque ita verissimum est, solum sacrificium illud solenne & anniversarium legale, typum fuisse sacrificii Christi, de quo nobis res est, hoc est expiatorii.

Quid Paulus per immolationem Christi intelligat.

Quod dum Smiglecius non intelligit, quin imò alia etiam sacrificia legalia figuras sacrificii fuisse, ostendere conatur illis Apostoli verbis, *Omnia enim in figura contingebant illis*, non possum non mirari ejus, viri alioquin docti, ignorantiam simul & dolum. Quid enim, quæso, hæc verba valent ad probandum, alia etiam sacrificia typos sacrificii Christi fuisse? Paulus enim de iis rebus, quas ibi commemorat, dicit, ea omnia in figura contigisse patribus: Smiglecius verò omnia, nempe quæ nunc fiunt, in figura illis olim contigisse affirmat: Et, ut dolus lateat, verba Pauli mutavit, omissa voce *Hæc*. Quæ verò sint ista omnia, ex initio capitis illius constat, nempe beneficia patribus olim a Deo exhibita, peccata item illorum, & pœnas a Deo illis irrogatas, ex quibus omnibus nos etiam, qui Christi populus sumus, vult addiscere, parum esse beneficiis a Deo nos affectos esse; quin imò nos etiam, si peccemus, punitum iri, ut mox sequentia verba docent: *Scripta sunt autem ad nostram correptionem, in quos fines seculorum devenerunt*. Non omnia igitur, quæ nunc fiunt, olim in figura contigerunt patribus, ut audacter dicit Smiglecius: sed omnia, quæ illis acciderunt, in figura acciderunt, respectu scilicet nostri.

Ingens Smiglecii error.

Sensus loci 1. Cor 10. indicatur.

Quod verò meminit præterea Smiglecius sacrificii Pontificis legalis, & typum sacrificii Christi fuisse asserit, id iterum nihil probat. Nam sacrificium Pontificis legale, cum sacrificio isto solenni, quod pro populo fiebat, ita conjunctum erat, ut divelli ab eo nullo modo posset. Nihil igitur mirum est, typũ extitisse etiã suo modo sacrificii

Cur sacrificium Pontificis legale typus fuerit sacrificii Christi.

Christi, in quo ista duo, quæ in Lege diversa erant, concurrunt. Christus enim & sacerdos ipse est, & sacrificium, quia se ipsum offert Deo, qua de re alibi diximus. Iam dum Smiglecius opinionem suã iterum hîc asscribit, *Christum sacrificium in cruce factum, intulisse in cœlum, & illud tanquam factum in terra obtulisse & offerre Patri pro nobis, & cum auctione quadam, nempe, & a nobis*, hoc est, sacerdotibus Pontificiis, *offerri velle in terris ritu Melchisedechiano*, quomodo id affanias non appellem? cùm nihil futilius in omni Theologia esse possit hac opinione. Christum in terra sacrificium perfecisse quomodo falsum sit, vidimus hactenus: sacrificium factum in terra Christum Patri obtulisse *& ita bis*, ut Smiglecius dicere non erubescit, *sanguinem suum obtulisse*, nonné opinio est ab omni verisimilitudine alienissima? Christus enim non sanguinem suum sed se ipsum Deo obtulit, & posteaquam cœpit sacrificium illius, sanguinem habere desiit. Offerri deniq; Christum in terris velle a sacerdotibus, ô quanta est ignorantia & arrogantia. Solus enim Christus & sacerdos est & sacrificium, hoc est, absq; allegoriis loquendo: Christus est, qui in cœlos ascendit, ibi perpetuò cum Patre suo vivit, data sibi potestate curam populi sui gerit, geretq; donec eum ad eandem secum beatitatem perducet. Ad hoc Christi sacrificium quid pertineant miseri homunciones, peccatis etiam onusti? Non Christum offerre, Smiglecii vel aliorum ejus asseclarum est partium: sed Christo, qui sese pro nobis offert, & nostræ salutis perpetuam curam gerit, cõfidere & per eum ad Deum accedere, hoc ejus & omnium est officium.

Erronea Smigl. de Sacrificio Christi opinationes.

Christus non sanguinem suũ Deo obtulit, sed se ipsum.

Sacrificii Christi natura propriis verbis explicatur

Officium Smiglecii & omniũ.

Sed terret me Smiglecius, dum ista affirmo, autoritate omnium sanctissimorum Patrum, & sapientissimorum Theologorum, totiusq; orbis Christiani, & ait, *cum ratione insanire oportere eum, qui tales duces non sequatur*. Hoc ego unum esse ex modis scriptionis Smiglecianæ, in responsione ad Monstra, in præfatione mea ad lectorem, dixeram, quòd scilicet subinde, cùm arguméta eum deficiunt, ad humanã nos autoritatẽ releget. Quam dum detrectamus, ægrè id fert Smiglecius, nec tamen nos teneri illi nos submittere, nisi hominum mancipia qui Christi populus sumus, fieri velimus, ipsemet Smiglecius intelligit. Dicam iterum tria verba: Patres Ecclesiæ Romanæ fuisse sanctissimos, audacter dicitur. Nemo enim id judicare potest aut debet ante Christi adventũ, teste Paulo. Doctos eos & multiplici eruditione pręclaros fuisse, dici debet: pios etiam fuisse dici potest, sed ita eos extollere, ut sanctissimos appellemus, de quorum nævis ipsimet historici, qui laudes eorum canunt, meminerunt, hominum est aut parum res considerantium, aut ideo tantopere alios extollentium, quia a suis sint

Smiglecius ad hominum autoritatẽ provocat.

Sobrium de Patribus judicium.

1. Cor. 4. 5.

is sint

is sint partibus. Hos omnes ita sensisse, ut sentit Smigl:, dubium esse vel ex eo constat, quòd Evangelici, qui diversum prorsus in multis a Pontificiis sentiunt, patres istos a se stare contendũt. Et certè, si quis rem paulò attentiùs cõsideret, tam ab Evangelicis stare patres, quàm a Pontificiis intelliget. Vnde rursus is, cui Deus oculos mentis aperuit, perspicere potest, non esse tantùm tribuendum patribus istis, quantum eis tribuit Smiglecius, ut pote ex quorum libris adversæ invicem opiniones demonstrari possint. Patres Pontificii etiam non sunt omnes Patres Ecclesiastici, imò historici Pontificii testantur, extitisse non paucos præter Pontificios, qui non pauca volumina, eaq; talia, quæ rerum divinarum plenissima fuerunt, conscripserint. Quos, ut in aliis a Pontificiis (vel potiùs Homousianis) tunc dissidebant, sic etiam, in hoc dogmate monstroso cum illis non conspirasse, dici posset, si autoritatem humanam autoritati humanæ opponere, aliquid valeret in rebus sacris. Idem etiam de Theologis sapientissimis dictum esto, idq; multò magis, quòd Theologi a Smiglecio cẽseantur non illi, qui in omnibus controversiis ex sacris literis sapere voluerint aut velint, sed qui Pseudophilosophiâ intricati, ad ejus irrationalia axiomata universam Theologiam per vim revocare non dubitaverint, & quorũ Theologia scholastica si examinaretur, nec Theologica appareret, nec Philosophica, ut pote quæ novis quasi principiis, quæ doctrina Apostolica & antiquior Philosophia nescivit, tota nititur. Orbis autem Christianus vix nominari debuit. Is enim mancipium est eorũ, qui ipsi exemplar esse debebant: Et quia propitiis illis frui nequit, nisi ad nutum eorum omnia faciat, mavult cum pace simulare fidem, quàm cum perpetuo odio & periculo verè aliquid credere.

Patrum inconstantia.

Extra Pontificios Patres, alios etiam fuisse.

Theologis scholasticis minus tribuendũ, quàm Patribus.

Vulgi in divinis nulla ratio.

Sed nunc quintum argumentum Smiglecii expendamus, quod ratione concludit, *Christo in cruce morienti pro nobis nihil omnino de esse, quod ad rationem sacrificii spectet. Verè igitur in cruce sacrificium dici debere.* Antecedentis probationem affert talem: *Quia cùm animalia in sacrificium Deo offerrentur per solam mactationem ea sacrificii ratio perficiebatur: Et Abrahamus filium obtulisse dicitur, quando eum occidere volebat.* Sed ad prius jam ante responsum est, & demonstratum, falsum esse, quod mactatio sola pecudis ad sacrificium expiatorium suffecerit, sed præterea opus fuisse, ut sanguis mactatæ pecudis in sancta sanctorum inferretur. Vnde etiam ad posterius responsio jam patet. Diversitas enim sacrificii diversitatem etiam actionum infert. Sacrificium, quod Abrahamus, filium immolando, facturus erat, non est simile ejus, quod Christus nostri causâ facit: sed ad ea sacrificia, quæ nos sponte nostra Deo offerre tenemur, pertinet. Vt scilicet, quem-

5. Argumentum Smiglecii.

Solvitur.]

Sacrificium Abrahami nõ cum Christi sacrificio, sed nostris sacrificiis comparandum.

madmodum Abrahamus, Deo jubente, filiũ etiam immolare paratus erat, nos etiam, Deo sic jubente, parati simus omnia nostra, vel corpora nostra (ut Apostolus loquitur) sistere Deo hostiam, & illius causâ impendere & prodigere. Et hactenus argumenta Smiglecii vidimus, de quibus dum iterum ait, *stupidum vel truncum eße oportere, qui ea vel non intelligat, vel non admittat*, iterum etiam, pauca a me dici adversùs illa, ferat. Intelligi fortassis a quovis non prorsus bardo possunt: sed stupidum vel truncum eum oportere esse, qui ea non admittat, nescio, cur dicere ausit Smiglecius. Facile enim fieri posset, ut aliquis idcirco ea non admittat, quia optimè intelligat, ea vera esse nullo modo posse. Is autem nec stupidus esset, nec truncus.

Cur argumenta Smiglecii nõ admittamus.

Caput XII.

Defenduntur argumenta nostrorum, adversus sacrificium Christi in cruce, quod Smiglecius statuit.

ARGUMENTUM nostrum primum est. Sacerdos legalis, non nisi in sancta sanctorum ingressus, sacrificium illud annuarium perfecit. Ergo nec Christus, ante ingressum in cœlum, sacrificium sui ipsius peregit. Equidem hoc unicum argumentum sufficere puto ad totam hanc controversiam decidendam: & nihil affert Smiglecius, quod vel levissimè movere robur illius possit. Ait, quidem, animum sibi in re desperata addens, *nos hoc ipso gladio jugulandos eße*. Sed novimus istas fraudes. Quid ergo dicit? *Si quidem*, ait, *vitulus & hircus pro peccato immolati sint, antequam sanguis illorum in sancta sanctorum inferretur*, quod nos falsissimum esse dicimus. Sed qua tandem fretus ratione id dicit? Versiculum 27 ex Levit:19 ascripsit. Sed quanta sit hæc ignorantia & audacia Smiglecii, in cap: præcedenti prolixè ostensum est. Pudeat igitur Smiglecium, quòd me impudentẽ appellet, qui ea negem, quæ vulgata ipsius versio habet, in textu autem revera non habetur. En quomodo in fumum abierit ista gloriabunda Smiglecii responsio. Iam verò non est, quod ad sequentia non pauca Smiglecii quicquam respondeamus. Primùm enim, quod contendit Smiglecius, *mactationem pecudis ante sanctuarium plurimùm pertinuiße ad oblationem in sancta sanctorum*, concedi potest sobrio sensu. cùm certum sit, sine præcedente mactatione sacrificium in sanctis sanctorum fieri non potuisse ullo modo, & hoc etiam sensu a nobis conceditur, Christi mortem ad sacrificium ejus pertinere: Sed ad rem nihil facit. Non enim, an ad sacrificium Christi

Ignorantia Smiglecii.

Ad rem nõ pertinentia loquitur Smiglecius.

Christi mors illius pertineat, sed an ipsa mors ipsum sit sacrificium, perpetuò quæritur. Deinde verò, quòd concesso eo, quòd pertineat mactatio ad oblationem vel sacrificium, colligit, pertinere eam non tantùm ut præparationem, sed etiam ut sacrificium, id nimium esse jam antea ostensum est. Nusquam enim scriptura dicit, sacrificium illud annuarium peractum esse, cùm pecus mactabatur, sed tunc peractum fuit, cùm sanguis illius in sancta sanctorum inferebatur. Illud etiam prorsus nihil est, cum ait *verba Lev: 16, 27. ut expiatio compleretur, non ita accipienda eße, ac si ante sanctuarium non fuißet perfectum verum sacrificium, sed quòd perfectio quædam major & complementum illi additum sit in sanctuario, cùm illud quod jam erat factum, Deo præsentabatur & offerebatur ut factum.* Nam nihil sacrificio perfecto accedere posse, ipsa communis ratio testatur. Sunt enim contradictoria, perfectum esse & perfectum fieri. Vnde constat, verba illa ita omnino accipienda esse, quòd præparatio quædam per istam mactationem ad sacrificium facta sit, ipsum verò sacrificium tunc completum, quando sanguis in sancta sanctorum illatus fuit. Sed præterea sibi imponit Smiglecius versione sua vulgata. Pro eo enim, quòd illa habet, *ut expiatio compleretur*, habet textus Hæbraicus (ut etiam antea ex Vatablo docui) *Iuvencum autem, qui pro peccato, & hircum qui pro peccato, quorum sanguis illatus est ad expiandum sanctuarium, efferat foras extra castra & igne comburat.* Vbi nulla completionis sacrificii in sanctuario prorsus mentio habetur. Itaque prorsus explodenda est ista duplex oblationis consideratio. Quasi scilicet altera ante sanctuarium, altera in sanctuario sit facta: & firmiter tenendum, quemadmodum ad sacrificium præparatio facta est tantùm ante sanctuarium, ipsum verò sacrificium in sanctis sanctorum perfectum: sic etiam in cruce præparationem tantùm ad sacrificium Christi factam, ipsum verò ejus sacrificium in cœlo perfectum fuisse.

Mors Christi ad sacrificium pertinet, sed non est ipsum sacrificiũ.

Ante præsentatiõnem in sanctuario, non erat sacrificium.

An deniq; ulla sit in eo immodestia, quòd commentum Smiglecii, quod hîc iterum, sine omni causa, iterat, in quo contendit, *Christum se ipsum reliquiße nobis in terra sub specie vini & panis*, blasphemam matæologiam appellari, omnibus cordatis judicandum relinquo. Nam quæ major blasphemia, quid a vera Theologia alienius vel cogitari potest, quàm, homines mortales & peccatis onustos, Christum Deo quotidiè offerre, dum vino & pani sonum verborum Christi nudum adhibent. Sed ecce rem istam monstrosam probare nititur Smiglecius loco Heb: 13, ubi dicitur: *Habemus altare, ex quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo serviunt.* Vnde colligit Smiglecius

Blasphema Smiglecii sententia detegitur.

Sententia Smiglecii de loco Heb: 13. examinatur.

gle:, Christianos habere altare, ex quo edere non liceat illis, qui legi veteri serviunt, licere autem comedere Christianis, & proinde comedere eos in terra carnem & sanguinem Christi, sub specie panis & vini. An non hæc sit crassa in Theologo ignorantia, jam judicent alii, quia me sententiam ferre non vult Smiglecius. Primùm, unde constat, vocem altaris esse propriè accipiendam, quod exigit interpretatio Smiglecii? Cùm nemo nesciat, totam hanc Epistolam esse allegoricam, & in ea, quæ sub lege olim fiebant, explicari. Vnde etiam apparet, per vocem altaris Synechdochicè simul & Metonymicè significari cultum universum Christianum: Deinde quod gravius est, quis docuit Smiglecium, per eos, qui tabernaculo deserviunt, significari eos, qui veteri legi deserviunt? Cùm multò verisimilius imò necesse sit, per eos intelligi Christianos. Porrò cùm *autor* dicit, eos qui tabernaculo deserviunt, non habere potestatem comedendi ex altari, per quod probari vult, nobis, qui Christi sumus, & quorum figura erant ii, qui olim tabernaculo deserviebant, nunc non esse cultum divinum collocandum in escis, Smiglecius planè contrarium asserit, nobis qui Christiani sumus, licitum esse comedere de altari. Quæ ipsa oratio, licitum scilicet esse comedere de altari prodit causæ Smiglecianæ vitiositatem. Nam quomodo de eo, quòd Christus suis præcepit, qualis est ista comestio, quæ fit in cœna Domini, dici potest, nobis licere de eo comedere. Quod enim præcipitur, id facere tenemur prorsus. Tandem quomodo id, quod de sola comestione dictum est, pertrahi potest ad eam ceremoniam, in qua, ut ipsemet Smiglecius fatetur, comedendum est ac bibendum. Taceo nunc, quòd ipsemet Smiglecius toties panis & vini, adeoque corporis & sanguinis mentionem faciat & facere cogatur, ut scilicet ritus sacrificandi Melchisedechianus ex illius mente, observari videatur: interim, cùm ad ipsam cœnam Domini ventum est, solius tantùm comestionis omissa bibitione, quoad universam Ecclesiam, meminit. Sed de his omnibus tum Volkelius in utroque suo libello, Nodo Gordio & ejus defensioni opposito, tum nostri in libris, jampridem & recens adversùs ipsum etiam Smiglecium editis, prolixè tractant.

Per altare significari cultũ Christianorum.

Per eos qui tabernaculo serviunt, Christianos intelligi.

De præcepto dici non posse, licere nobis id facere.

Quod ad locum attinet Heb: 13. non possum non ob rei præstantiam insignem, licet obscurè propositam, uno atque altero verbo denuo sensum ejus hîc adscribere. Dehortaturus divinus ille autor Hebræos, ne a Christo ad legis ceremonias deficerent, v: 8. constantem perennitatem Christi doctrinæ asserit, dum ait: *Iesus Christus heri & hodie idem, & in secula.* Deinde præstantiam cultus Evangelici, & inutilitatem istius cultus, qui in escis consistit, qualis magna ex parte erat le-

Sensus loci verus struitur.

rat legalis, ostendit his verbis: *Bonum enim est, gratiâ stabiliri cor, non escis, ex quibus nihil adjumenti retulerunt, qui* (in illis) *ambulârunt.* Tum istam totam rem exponit & probat iterum allegoricè, dum dicit: Perinde se habere cultum nostrum Christianum, ut olim se habebat status illorum, qui tabernaculo deserviebant, cùm tale sacrificium immolabatur, in quo sanguis mactatæ pecudis in sancta sanctorum inferebatur. Tunc enim status illorum, qui tabernaculo deserviebant, erat talis, ut, etiamsi alioquin de altari & victimarum illarum carnibus, quæ offerebantur, vescerentur; imò ad sacrificium perfectum comestio illa victimarum pertinebat: tunc tamen non liceret quicquam illis comedere de oblatis victimis, sed corpora istarum victimarum extra castra cremari oportuit: sic etiam nunc Christiani, quorum figura erant illi, qui tabernaculo olim deserviebant, in eo statu sunt, ut non liceat eis de altari vesci, hoc est, cultum externum in cibis positum sectari, quia tale sacrificium peragatur, in quo per sanguinem suum Pontifex, hoc est Christus, in sancta sanctorum ingressus sit. Denique hanc eandem rem nova quadam, non minus tamen figurata ratione, comprobat. Docet enim, sub ipsa lege adumbratum fuisse, cultum divinum perficiendum esse citra & extra ritus illos legales, qui per castra significabantur, siquidem extra castra perfici oportuit cremationem corporum istorum animalium, sine qua sacrificium perfectum esse non potuit. Docet etiam id ipsum per id adumbratum fuisse, quòd ea pars sacrificii nostri, sine qua id esse non potuit, nempe mors Christi, extra urbem facta sit, cùm tamen intra urbem (cui castra respondent) transigenda fuisset. Et hæc pii & cordati lectoris judicio commissa sunto.

Quæ porrò Smiglecius disserit, nescio adversùs quos, de alio sensu verborum, Heb. 13. *Habemus altare*, &c. non opus est nec examinare nec refutare. Cùm non minùs falsa sint atque illa, quæ Smiglecius de isto loco sentit. Nusquam enim legitur, crucem altare appellari, ut nec altaris Eucharistiæ fit mentio.

Secundum locum, qui est Heb. 2, 17. ex quo probamus, Christum in cœlis demum factum esse sacerdotem, sic repellit Smiglecius, *quòd Paulus non dicat, Christum debuiße per omnia fratribus assimilari, ut Pontifex fieret absolutè, sed ut misericors fieret & fidelis pontifex. Aliud autem eße pontificem fieri absolutè, aliud fieri misericordem.* Sed ista repulsio infirma est. Verba enim autoris ita accipi possunt, quòd Christus ideo per omnia fratribus sit assimilatus, ut & Pontifex fieret, & Pontifex misericors & fidelis, non verò quod antea Pontifex fuerit, antequam moreretur, postea verò factus sit per passionē misericors.

Christus semel & Pontifex, & misericors Pontifex factus est.

Nam

Nam pontificem esse, est, esse misericordem & fidelem in iis, quæ ad Deum, & ob id ipsum Christus pontifex noster appellatur, quia sit Rex non tantùm potens sed etiam valdè clemens & benignus. Miror autem, Smiglecium talem in verbis autoris illius sensum admittere. Nam aliàs credit & docet, verba illa, quòd Christus fratribus sit assimilatus, ut etiam omnia alia præcedentia, de ejus incarnatione esse accipienda. Vnde consequeretur, Christum vel tunc vel saltem ob id factum esse Pontificem misericordem & fidelem, quia carnem humanam assumserit, quæ rursus nimis putida esset fabula.

Smiglecius premitur.

Ad tertium locum, qui est Heb:4.14. respondet Smiglecius, *tantùm in eo dici, Pontificem nostrum cælos penetraße, non autem, eum antea Pontificem non fuiße, quàm in cælos penetraret.* Sed ipsa res loquitur, hæc verba ita dici ab autore, ut quæ ad essentiam Pontificis constituendam pertinent, indicent; adeoq; docent, Christum antea Pontificem non fuisse, quàm cælos penetraret. Quemadmodum etiam sacrificium perficere non poterat legalis Pontifex, antequam penetraret (ut sic loquar) illud velum, quo sanctum sanctorum tegebatur. Porrò si, quod Smiglecius vult, ita verba accipienda sint, Christum in cælis quoque munere Pontificio fungi, sequeretur, eum bis se ipsum sacrificasse, cùm tamen disertè dicatur, eum semel tantùm seipsum sacrificasse, idque in sanctis sanctorum. Alibi enim ista oblatio, cujus figura erat ista anniversaria, fieri non poterat. Iam quæ Smiglecius iterat, quòd scriptura dicat, Christum peracto in cruce sacrificio, purgatione peccatorum ante facta & redemtione inventa, cælos penetrasse, ea quàm partim sint falsa, partim fallacia, copiosè in capite præcedenti dictum est. Cujus valoris & illud est, quod ait, *Pontificem legalem ante sanctuarium peregiße sacrificium, & postea in sancta sanctorum ingreßum eße.* Hoc enim nusquam legitur, & ipsi naturæ sacrificii repugnat.

Penetratio cælorum, essentiã Pontificis designat.

Eodem ferè modo respondet etiam ad locum quartum, qui est Heb:7.26. sed & eodem modo refutari debet, autorem scilicet non dicere, quid ei, qui antea fuerit Pontifex, acciderit: sed docere, quid ad Pontificem constituendum requiratur necessariò. Quod vel ex eo patet, quod ibidem dicitur, *decuiße ut Pontifex noster eßet sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus,* quemadmodum diciiur, decuisse, ut esset excelsior cælis factum. Iam ut Christus nullo modo Pontifex esse potuit re ipsa, priusquam sanctus, innocens, impollutus, hoc est, immortalis evaderet, & a peccatoribus segregaretur, hoc est, ex hoc mundo commigraret: sic etiam pontifex re ipsa esse non potuit, antequam cælis excelsior fieret. Tam enim hæc, quàm illa, quæ

Heb.7. essentiam etiam Pontificis describi.

quæ paulò ante in eodem versiculo autor iste commemorat, ad essentiam (ut sic loquar) Pontificis constituendam requiruntur. Quod verò pontifex legalis ante pontifex reipsa fuerit, quàm in sancta sanctorum ingrederetur, id efficere non posse, ut Christus etiam antea fuerit Pontifex re ipsa, quàm in cælos ascenderet, & hîc similitudinem claudicare, vel ex eo constat, quòd in lege sacrificium & sacerdos diversa erant. Hîc autem sub N. T. Christus ipse & sacerdos est & sacrificium. Quia igitur simul se ponunt relata, necesse est, Christum Pontificem priùs non esse factum, quàm cùm sacrificium suum peregit. Hoc autem eum non peregisse, nisi in cælis, quorum typus erant Sancta sanctorum, ipsa luce clarius est.

Cur Christus nō fuerit ante Pontifex, quàm sacrificaret, ut legalis Pontifex.

Quintus locus est ille Heb: 8. *Si super terram sacerdos esset, nec sacerdos esset.* Quo quid clarius, quid disertius? Smiglecius tamen audacter hoc etiam rete perrumpere tentat, & dicit, verba sic accipienda esse: *Si tantùm in tera esset sacerdos, non esset sacerdos.* Sed hæc additio temeraria est & illicita: nec ulla ratione probari potest, talem hiatum in verbis his inveniri. Videamus, quibus ductus rationibus nostram sententiam, quæ ipsis autoris illius verbis nititur, repudiet, & suã supponat. *Non asserit,* ait, *Paulus, eum qui super terram est sacerdos, non esse sacerdotem, cùm hoc & contradictionem implicet, & contrarium mox asseratur a Paulo, nempe non defuisse legales sacerdotes, qui super terram offerrent munera, eosque fuisse verè sacerdotes.* Sed verba & mentem autoris mutat Smiglecius. Nec enim dicit autor simpliciter, eum non fore sacerdotem, qui super terram sit sacerdos, quod si faceret, contradictio implicaretur, & contrarius sibi esset autor ille: sed negat, Christum verum fore sacerdotem, si super terram sit. Paulò ante enim docuerat v 1. summam eorum, quæ c. 7. prolixè disseruerat, repetens, nos talem habere Pontificem, qui consedit in dextera throni maiestatis in cœlis, qui sit sanctorum minister & tabernaculi veri, quod fixit Dominus & non homo, hoc est, ad sacerdotium Christi constituendum necessariò requiri, ut locum, in quo sacrificium peragi debuit, ingrederetur, quod est cœlum. Et hoc iterum declaraturus addit: *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. Vnde & necesse* (est) *habere aliquid & hunc* (Christum) *quod offerat,* & iterum hoc probaturus, ait, *si quidem enim esset super terram, nec utique esset sacerdos.* Vnde constat, nullam esse in verbis illis contradictionem, siquidem non de eo, qui est sacerdos, dicatur, eum non fore sacerdotem, si esset super terram, sed de eo, qui in cœlis Pontifex esse debuit, dicitur, eum in terris non futurum Pontificem. Nec quicquam huic contrarium ibidem ab autore dicitur, cùm ait,

Locus Heb: 8. terminatur.

Verus sensus loci asseritur.

fuisse sacerdotes offerentes munera secundùm legem. Hi enim alius generis vel ordinis erant, qui sacrificare non nisi in terris poterant.

Smiglecii sensus refutatur.

Suam autem sententiam supponit Smiglecius, hac ratione fretus: *Quia talis sacerdos in legali Pontifice figurabatur, qui non solùm ante sanctuarium, sed & in ipso sanctuario pōtificis munere fungeretur.* Sed, hoc falsissimum esse, antea docuimus. Tantùm enim in sanctuario legalis Pontifex, qui Christum adumbrabat, sacrificium peragere poterat: alibi verò, hoc est, ante sanctuarium, minimè. Ibi enim tantùm ad sacrificium præparationem faciebat. Judicet ergo cordatus lector, quomodo, dum nulla probabili ratione locum hunc evitare posset Smiglecius, audaci commento & additamento vocis, *Tantùm*, ejus sensum corumpere non dubitaverit, & hinc, quid de toto hoc negotio statuendum sit, addiscat.

Sextus locus non minùs insignis est, Heb: 10.5. *Ideò ingrediens in mundum dicit: Sacrificium & holocautomata noluisti, corpus autem adaptasti mihi. Tunc dixi. Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Hunc locum pertinaciter de mundo præsenti intelligit Smigl:, nulla fretus ratione alia, quàm quòd vox *mundi* absolutè ponatur. Hoc verò quàm sit vanum, cap: præcedenti docuimus. Nostras porrò rationes, quibus docemus, futurum mundum hîc denotari, partim omittit. tātùm enim duas refutat, cùm ego quatuor attulissem, quas videat lector, si velit, in priori nostra responsione cap: 12, fol: 120, partim ineptissimè solvit. Nam cùm ego dico, hic sermonem esse de tali mundo, in quem Christus ingrediens, sacrificia legis sustulerit, & suum sacrificium substituerit, & proinde non de hoc mundo præsenti. in hunc enim ingrediens nihil fecit Christus, sed in cœlum ingrediens istud divinum opus aggressus est, respondet Smiglecius, *Christum non dicere. Ecce venio ut statim me sacrificem, sed venio paratus ad sacrificandum juxta voluntatem tuam Deus, sive statim, sive quando opus fuerit.* Sed non animadvertit, rem eódem recidere, & hæc ipsa verba: *Ecce venio*, exigere, ut Christus, in futurum mundum ingrediens, ista dixerit. Quomodo enim de eo, qui nascitur, tale quid prædicari potest, *Ecce venio*, cùm hæc non sint nisi jam nati, imò ad faciendum aliquid apti verba, qualem Christum fuisse, cùm nasceretur, nemo, nisi mentis inops, affirmare potest. Valdè autem ridiculus est Smiglecius, dum hanc suam istorum verborum sententiā declarat aliis scripturæ locis, nempe *quòd, etiamsi dicatur, Christum ad hoc venisse in mundum, ut testimonium perhiberet veritati, vel ut peccatores servaret, non statim ac venit in hunc mundum, id fecisse.* Rem enim incertam per incertam probat, cùm certum sit, Chri-

Locus Heb: 10. a commentis Smiglecii vindicatur

Quid sit In mundum venire.

sit, Christum statim ac in muddum venit, testimonium re ipsa veritati perhibuisse & peccatores servasse: Sed non intelligit Smiglecius, quid sit in mundum venire. Id autem non est nasci, (ut suprà etiam docuimus) sed munus aliquod obire, vel cum munere aliquo se se hominibus patefacere.

Iterum cùm dico, sermonem esse hîc de tali mundo, in quem, cùm Christus ingressus est, Deus illi corpus aptavit, vel perfectum reddidit, respondet, *non de alia perfectione sermonem esse, quàm de ea, quæ ad finem oblationis erat necessaria, nempe quòd Deus corpus verum & perfectum omnibus sensibus Christo dederit, in quo pati & mori, & ita per mortem illud Patri offerre potuerit.* At hoc quid futilius? Quæ enim in eo perfectio est, si homo corpus habeat mortale & perfectũ omnibus sensibus? Talia corpora nascuntur quotidie infinita, nec erat, cur hoc Christus tantoperè prædicaret. Vox autem κατηρτίσω singularem quandam corporis perfectionem significat, quæ nulla alia fuit, quàm ista Christi mortalis & humilis corporis in immortale & gloriosum commutatio, quæ tunc accidit, cum Christus in cœlum ingressus fuit. Quomodo & quãdo Christi corpus perfectum fuerit.

Porrò cùm dico, ad rationem primam tollendam de ista promptitudine Christi ad sacrificandum, in sacrificio Christi, nullum, propriè loquendo, locum esse voluntati ipsius, sed tantùm Dei, qui Christum ad id salutis nostræ causâ extollere voluerit, ait Smiglecius, *se me non posse ferre*, et ea occasione, verbosè disserit de charitate Christi, quam in morte pro nobis obeunda exhibuit. Quæ omnia ne attingere quidem opus est. Non nescimus enim, Christum sponte sua se pro nobis in mortem tradidisse: sed istam in mortem traditionem, quæ sponte a Christo facta est, esse istud sacrificium Christi expiatorium, de quo in Epistola ad Hebr: disseritur, docendum erat Smiglecio. Aliàs cavillationis insignis reus erit: imò dici potest, eum vix id, quod ego dico, intellexisse, quod tamen & verissimum est, & dignum consideratione. Cætera dicta sunt in examinatione centum errorũ.

Asscribam autem hîc denuò brevissimis verbis ea argumenta, quæ Smiglecius suo more omisit. Vnum est, quod hîc sermo sit de mundo, in quem Christus ingressus est. Vnde constat, eum tunc extitisse, cùm in mundum ingrederetur. Actiones enim non sunt nisi suppositorum. Quia verò Christus cùm nasceretur, in hunc mundum ingressus non est. nam in mundo nasci cœpit, jam liquet de alio mundo sermonem hîc esse. Alterum est, quòd hîc de tali mundo sermo sit, in quem, cùm Christus ingressus est, corpus tantùm (σῶμα) *Argumenta à Smigl: omissa repetuntur.*

Deus illi aptavit: At cùm Christus, secundùm Smiglecii sententiam, in hunc mundum venit vel natus est, nec Deus illi quicquam aptavit, sed ipse Christus carnem assumsit; nec corpus, sed animam; & deniq; corpus, non tam aptavisset quàm creavisset Deus.

Locus Gen: explicatur.

Perfunctoriè etiam meminit Smiglecius ritus sacrificii Melchisedeciani ex verbis Genesis: *Melchisedecus proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei.* Vnde colligit, Christum etiam panem & vinum sacrificare, per sacerdotes Pontificios, scilicet. Sed quia hîc illud non tractat, sed ad refutationem dissolutionis Nodi Gordii lectorem remittit, videat sanè tum ipse, tum lector, quid ad ea Volkelius responderit. Ego verò dico, a viris linguæ Hebraicæ peritissimis ostensum esse, vocabulum, quod per vocem, protulit, conversum est, nunquam significare *offerre*. Deinde dico, verba, quæ, pro ratione afferri, ait Smiglecius, non necessariò rationis vim habere. Tantùm enim pro narratione, quis iste, qui rex semel appellatur, fuerit, haberi possunt, & ita converti, ut Vatablus etiam convertit: *Melchisedech rex Salem protulit vinum & panem, & hic sacerdos erat Dei altissimi.* Tam autem sacerdos panem & vinum proferre potuit, quàm Rex, qnatenus tam illum quàm hunc munificum esse decuit.

Locum Heb: 5. ad rem nihil facere.

Porrò, ob ritum sacrificandi, Christum sacerdotem esse secundùm ordinem Melchisedeci sic una ratione ostendit Smiglecius: *quòd similitudo sacerdotis præcipua sit in ritu & ratione sacrificii, teste Paulo, qui ait, omnem Pontificem constitui, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* At, quæ Smiglecius ex c: 5. ad Heb: affert, ea, de solis pontificibus legalibus intelligenda esse, ipse textus & ratio suadet. Quomodo igitur ad eum etiam detorquentur, qui diverso a Pontificibus legalibus modo Pontifex erat? Deinde esto, Melchisedecum etiam dona & munera pro peccatis obtulisse, ratione muneris sui, num inde sequitur, eum panem & vinum sacrificasse vel obtulisse; & in eo ejus cum Christo vel Christi cum illo similitudinem constitisse aut consistere? Itaq; non est de nihilo, quod autor Epistolæ ad Hebr:, tam prolixè disserens de ista similitudine Melchisedeci cum Christo, nullam prorsus mentionem facit istius ritus; & justè inde colligitur, non pertinuisse istam similitudinem ad sacerdotium Christi.

At inquit Smiglecius, occurrens huic nostræ objectioni, *Paulum id præcavisse, dum dixit, multa sibi esse de Melchisedecho dicenda, & quidem ininterpretabilia. Vnde constet, eum non omnia esse persecutum quæ de Melchisedecho dici debebant.* Ego verò dico, hoc fortasse aliquid valiturum, si vel nihil, vel pauca quædam de Melchisedeco disseruisset

ruiſſet autor ille: Iam verò, quia tam prolixus eſt in deſcribendo ſacerdotio Melchiſedeci, quatenus Chriſtum figurabat. nam & cap: quinto & ſexto mentionem ejus facit, & caput integrum ſeptimum tractatione iſtius conſumit, & ea dicit, quibus vix aliquid amplius dici poterat, prorſus ineptum eſt, ſtatuere, eum rem tanti momenti, qualem eam eſſe cenſet Smiglecius, & qualis, ſi ita ſe res haberet, ut ſentit cum ſuis Smiglecius, proculdubio eſſet, omiſiſſe. Cur enim non hoc potiùs, quàm alia leviora expreſſiſſet? Valdè autem decipitur Smiglecius, dum credit, autorem illud aliquid dicere de Melchiſedeco voluiſſe, nec tamen dixiſſe. Verba enim ejus ita ſunt concepta, ut ſenſus ſit, eum prorſus dicturũ non pauca de Melchiſedeco & difficilia tamen interpretatu, quia ſcilicet ſegnes facti eſſent auribus, ii ad quos ſcribebat. Sic enim ait: *De quo* (nempe quòd Chriſtus factus ſit Pontifex ſecundùm ordinem Melchiſedeci, de hac re, inquam, non autem de Melchiſedeco) *multus nobis ſermo* (ſcilicet habendus eſt) *& ininterpretabilis ad dicendum* vel potiùs difficilis ad explicandum (eſt enim in Græco, *καὶ δυσερμήνευτος λέγειν*) *quoniam ſegnes facti eſtes auribus.*

Smiglecii ſenſus loci Heb: 5. refutatur.

Sensus loci Heb: 5. verus oſtenditur.

Optat denique Smiglecius, ut ex his verbis, quando Melchiſedecus deſcribitur ſine patre, ſine matre, nec initium dierum nec vitę finem habens, agnoſcam Chriſti perſonæ dignitatem, nempe eum eſſe ab æterno & in æternum: ſed fruſtra. Nimis enim ſtupidum eum eſſe oporteret, qui, cùm audit, iſta de alio etiam quàm de Chriſto dici, Chriſtum hinc Deum ab æterno eſſe colligeret. Hac enim ratione alium etiam Deum ab æterno eſſe colligendum illi eſſet, quod eſt abſurdiſſimum. Præterea ipſa res loquitur, certo iſta reſpectu accipienda eſſe, nempe ratione ſacerdotii, cujus reſpectu ut Melchiſedecus, ſic etiam Chriſtus, nec initium dierum nec vitæ finem habuit, quatenus neuter nec deceſſorem in munere ſuo nec ſucceſſorem habuit. Negat, prius de Chriſto dici poſſe, Smiglecius, *quia ante ſe legales ſacerdotes habuerit.* Sed quàm inſulsè, expendat ipſemet. Licet enim ante Chriſtum legales ſacerdotes fuerint: Chriſtus tamen in nullius locum ſucceſſit. Nec enim de tribu tali oriundus fuit, ad quem ſacerdotium pertineret, ut ait autor Epl. ad Hebr. c. 7. explicans iſtud, quod ab initio dixerat, eum ſine patre & ſine matre fuiſſe, ſine genealogia, nec initium dierum nec vitę finem habere, quæ omnia unum & idem ſunt: *Si conſummatio,* ait, *per Leviticum ſacerdotium erat, quid adhuc opus ſecundùm ordinem Melchiſedeci alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaron dici* &c. Et iterum v. 13. *In quem enim dicuntur*

Cur ex verbis *ſine patre ſine matre* ęternitas non poſſit colligi.

Verba iſta certo reſpectu accipienda.

v. 21.

hæc, tribus alterius particeps est, de qua nullus attendit alteri. Manifestum enim est, quòd ex Iuda ortus est Dominus noster, in quam tribum nihil de sacerdotio Moses locutus est. Iam dum iterum ait Smiglecius, *hac ratione idem etiam convenire Aaroni & aliis, qui primi illius ordinis & ritus sacerdotes fuere, neque tamen propterea initium dierum non habuisse dici*, longè est ineptior. Primùm enim ita loquitur, ac si non pauci primi ordinis illius & ritus sacerdotes vel fuerint vel esse potuerint, cùm tamen solus Aaron primus fuerit. Deinde ex eo, quòd ita de illis scriptura non dicat, colligit non sine errore, ita de illis dici non potuisse. Deniq; illud dici debuisse, injustè postulat. Tunc enim demum huic locutioni, tanquam rei singulari, sermo est, cùm ante sacerdotium extitit vetus, & deinde novo modo aliquis sacerdos evadit extra illum ordinem. Quod in Aarone locum non habere, jam puto omnibus constare. Valeant igitur, quæ de Christi natura divina ex his verbis iterum tacitè colligit, & nobis obtrudit Smiglecius.

Objectiuncula Smiglecii repellitur.

Caput XIII.

Christum impropriè Sacerdotem appellari, defenditur.

Calumnia Smiglecii.

HIc miror primùm, Smiglecium ab ista cavillatione, ne dicam calumnia, abstinere nõ potuisse, qui, cùm nos dicimus, Christum sacerdotem appellari impropriè, contrarium ostensurus, dicat, *Christum non tantùm propriè sed etiam verè esse sacerdotem*, quasi scilicet nos etiam dicamus, Christum non esse verè sacerdotem, & quasi id verè aliquid non sit, quod impropriè describitur. Cùm nulla sit inter verum & metaphoricum oppositio justa. Vero enim opponitur falsum: Metaphoricum autem non est falsum, sed tam verum est, quàm proprium. Quis enim ferret, exempli causâ, eum, qui, cùm Christus impropriè dicitur Lux, non verè eum lucem esse, dicere auderet? Cùm verè Christus sit lux, licet impropriè. Quod enim lux, propriè accepta, est hominibus in tenebris carnalibus, id Christus est hominibus in tenebris spiritualibus. Et hoc unicum rectè observatum sufficienter detegere potest, quantâ nos injuriâ Smiglecius afficiat, qui ideo impietatem nobis impingat. Monueram hujus rei antea etiam Smiglecium, ne ita facilè blasphemias & impietates hominibus objiceret, sed ut inter errores distingueret, & eos tantùm pro blasphemis & impiis haberet, qui vel universam fidem in Christum, vel partem ejus, quam vocant, essentialem, necessa-

Id etiam verũ est, quod impropriè describitur.

Smiglecius non vult moneri.

necessariò tollunt, vel contemtus præceptorum Christi causa esse possunt: sed, quantum video, parum profeci. Itaq; monitione ista repetita, & addito hoc, quòd non Christi & Apostolici spiritus sit, facilè aliquem damnare, breviter ea perpendamus, quæ Smiglecius hîc affectatè quodammodo adversùs nos disserit.

Impium igitur multis modis esse ait, quòd affirmamus, Christum Pontificem appellari impropriè, *Quia & Christum summa Pontificis dignitate & honore privet, & Deum summo, qui ei per sacrificium debetur, cultu, & religionem suo fructu, nempe sacrificio.* Sed, hæc omnia vana esse, quis non videt? Confitemur ore & animo, Christum esse nostrum Pontificem verum: Christum autem Pontificem verum confiteri, & Christum summa Pontificis dignitate privare, contraria sunt. Iam si per id cultus Deo tribuitur, cultus ille sartus tectus est. Religio autem sacrificio carere non potest, siquidem est verus Pontifex. Imposuit scilicet sibi, vel aliis potiùs, Smiglecius, dum, quemadmodum, si quis diceret, Christum non esse verum Pontificem, ista omnia mala consequerentur, credit, eadem etiam mala consequi, si quis dicat, Christum non propriè appellari Pontificem. Cùm tamen non minùs maneat Christi dignitas, & cultus Dei, & religio, etiamsi Christus impropriè ita appelletur: imò vera Christi gloria vilesceret, & religio exiguum fructum haberet, si Christus propriè esset Pontifex. Nam qui propriè pontifex est, eum ab alio dependere oportet, & potestate propria facere nihil potest, quod de Christo dicere, est, tantùm non negare, eum esse Christum, imò est, negare prorsus. Et si Christus propriè aliquid offerret vel semet ipsum, id nihil tale præstare nobis posset, quale illud est, quod ex Christi sacrificio impropriè accepto habemus. Christi enim apud Patrem æterna præsentia, juncta cum summa potestate, efficit, ut omnia nostra peccata expientur perpetuùm, quod nulla alia res præstare ullo modo posset.

Nullum ex eo incommodum oriri, si Christus dicatur impropriè sacerdos esse.

Incommodū esse, si Christus propriè Pontifex esse diceretur.

Probasse se, deinde *asserit* Smiglecius, *ex locis scripturæ, Christum in cruce obtulisse sacrificium, quod quia verum sit, Christum etiam verum & propriè dictum sacrificium obtulisse, & propriè sacerdotem esse.* Sed nullus est sacræ scripturæ locus, qui doceat, Christum in cruce sacrificium peregisse, ut antea docuimus; et etiamsi tandem alicubi id scriptum extaret, id ipsum tamen non propriè dictū esset. Quemadmodum etiam, omnia alia bona opera tum Christi tum populi illius, sacrificia & victimæ dici possunt, sed non propriè.

Smiglecius non docet, Christum propriè Sacerdotem appellari.

Tertiò dicit, *omnia, quæ ad propriè dictum Pontificem constituendum pertinent, quæ cap: 5. Hebr: commemorantur, in Christo reperiri, ideoque propriè sacerdotem esse Christum:* Sed hæc omnia

tantùm

tantùm docent, Christum verum esse Pontificem, quod nos confitemur: propriè autem illum Pontificem appellari, non evincunt. Quomodo enim propriè is sacerdos est, qui se ipsum offert, cùm natura rei, propriè loquendo requirat, ut alius sit sacerdos, alius id quod ab eo offertur?

Ejusdem momenti est, quod quarto loco affert ex c. 8. 3. Epistolæ ad Hebræos. Istud enim totum, ut etiam ipsemet Smiglecius infert, & aliquoties id repetit, tantùm evincit, Christum verè esse Pontificem, non autem, Christum propriè Pontificem esse, vel propriam esse locutionem, dum Christus sacerdos appellatur.

Nec illud, quod quinto loco affert Smiglecius, hactenus allatis est robustius. Vt enim concedimus, Christum, quia est sacerdos secundùm ordinem Melchisedeci, sacerdotem esse: ita negamus perpetuò, vocem Pontificis ita competere propriè Christo, ut olim competebat Melchisedeco. Is enim non se ipsum in cœlis Deo offerebat: sed aliud quid extra se hîc in terris Deo immolabat. Simili modo & illud repellendum est, *quòd quia Christus sit præstantior Pontifex legalibus, propriè Pontifex dictus esse statuitur.* Ostensum enim antea a nobis fuit, posse rem, impropriè aliquo nomine dictam, præstantiorem esse eâ, quæ propriè ita appellatur. Vt Deus redemtor dicitur, impropriè certe, & tamen omnibus redemtoribus, propriissimè sic dictis, præstantior est. Quod eludere quidem voluit Smiglecius, dum ait: *Quis enim nesciat, posse rem figuratam aliunde habere majorem perfectionem, sed non ut tali nomine significatur?* Nam ex eo quod metaphorico aliquo nomine significatur. *vera res illius perfectione caret, ac proinde ex ea parte non potest dici perfectior.* Sed hoc totum fuco plenum, & quandam obscuritatem esse, quivis intelligens cognoscet. Si res figuratè descripta, potest esse præstantior aliis, quæ propriè eodem modo describuntur, jam veram esse nostram responsionem apparet, quâ argumentum Smiglecii, ductum a Christi præstantia, ad ostendendum, eum propriè sic dictum esse, refutamus. Quod verò addit, *sed non ut tali ratione significatur*, illud nihil momenti in se habet, & fortassis ipse Smiglecius vix intellexit, quid diceret. Nam & nos de Christo idem dicere possumus, quod vox Pontificis impropriè ei competat, sed non ut tali ratione significatur. Non enim ut tali nomine significatur, Christus, considerandus est: sed id, quod vox ista, impropriè accepta in se continet necessariò, quod res est & perfectissima & propriissima.

Rem impropriè dictam, præstare posse propriè sic dictæ.

Illud autem prorsus falsum est, *ex eo, quod metaphoricè aliquo nomine res significatur, vera illius rei perfectione carere.* Deus enim qui

nim, qui metaphoricè non redemisse dicitur, nulla vera redemtionis perfectione caret. Iam quid hoc est, quod ait Smiglecius, *sic Deus nos dicitur redemiße, quia in redemtione liberatio contineatur, quæ verè & perfectißimè Deo conveniat?* Hac enim ratione ego etiam de Christo dicere possum, Christum Pontificem appelari, quia in isto Pontificatu cura nostri & salus contineatur, quæ verè & perfectissimè Christo convenit. Non potest scilicet quicquam invenire Smiglecius, quod eum in hac perdita causa vel tantillum juvet, aut aliquas ei suppetias ferat. Verum igitur manet, quod ab initio capitis etiam dixi, Christum impropriè quidem dici Pontificem, esse tamen revera vel verum Pontificem. Quia scilicet vera effecta producit nobis Pontificatus illius, ut olim Pontificatus legalis populo Dei. Is enim efficiebat, ut populo Dei peccata condonarentur. Hoc idem etiam Christus facit, licet alio modo, longè perfectiori, Christus, alio verò, Pontifex legalis.

Vellicat etiam rationes meas Smiglecius, sed valdè infirmiter. Dico primùm, ex eo constare, sacerdotium Christi impropriè accipiendum esse, quòd reliqui Apostoli talibus locutionibus nunquam sint usi, etiamsi, munus hoc Christi eos descripsisse, confitendum sit. Respondet Smiglecius, *poße eandem rem secundùm diversas rationes propriis verbis a diversis describi, neq; neceße eße, si non eodem verbo describatur, impropriè describi.* Sed rem non satis expendit, vel certè non intellexit. Non enim quæritur, an eadem res, secundùm diversas rationes, propriis verbis a diversis, describi possit; &, an necesse sit, si non eodem verbo describatur, impropriè eam describi: Sed, an non ex eo, si unus scriptor rem aliquam planè aliis verbis describat, atq; alii plures, qui eandem rem describentes, verbis aliis utuntur, jure colligi possit, si quidem verba unius non correspondeant cum aliorũ plurium verbis, istius unius verba secundùm aliorum plurium verba intelligenda esse; &, quia plurium verba propria sint, illius unius verba impropriè accipienda esse. Certè ratio testatur, unius verba impropria, secundùm aliorum plurium verba propria, accipienda. Quia igitur reliqui Apostoli, cùm describunt Christi munus Pontificium, dicunt, illum Ecclesiæ suæ curam gerere, eam fovere, caput esse Ecclesiæ, eruere suos ab ira ventura, & his similia, satis constare videtur, unius autoris Epistolæ ad Hebræos verba, quibus Christum Pontificem esse ait, & pro nobis interpellare, & alia, ita esse interpretanda, ut cum istis clarissimis verbis aliorum Apostolorum prorsus conveniant: Et quia cum illis convenire non possunt, si propriè accipiantur. nam caput esse Ecclesiæ, Ecclesiam fovere, eam eripere ab ira fu-

Cur verba, quibus Christi sacerdotium describitur, in epistola ad Hebr: impropriè sint accipienda.

tura,& pro eadem interpellare vel orare propriè,contraria sunt,consequens est,tales locutiones figuratas esse.

Iam quod secundo loco ait Smiglecius, *si iidem scriptores Christū tanquam Pontificem considerassent, vel de eo locuti fuißent, nō aliis verbis procul dubio usi fuißent, quàm & quibus utitur autor Epistolæ ad Hebræos*,vanum esse pariter ex ante dictis constat. Quomodo enim Apostoli Christum prædicantes, vel de muneribus ejus scribentes, rei tam insignis obliti fuissent,sine qua Christi cognitio prorsus manca, imò nulla esset. Nam finge,nos nescire,Christum nunc curam nostri gerere,&omnes peccatorumpœnas perpetuò a nobis avertere,quod est, peccata expiare,nonné, Christum jure nescire, dici possemus?

Omnes Apostoli de Christi sacerdotio scripserūt.

Rationem meam secundam fingit talem Smiglecius. Ea quæ sacerdos legalis olim faciebat, propriè Christo competere non possunt.Est igitur idcircò impropriè sacerdos.Sed parùm rectè mentem vel rationem meam explicat. Sic enim infero. Ergo Christo vox sacerdotis legalis impropriè tribuitur. De hoc enim & non de quovis sacerdote sermo est. Itaq; responsio ipsius prorsus inepta est,ut pote quæ de sacerdote absolutè considerato loquatur. Nec ego ita hebes sum, qui non intelligam, potuisse aliquem propriè sacerdotem esse, etiamsi non fuerit legalis sacerdos:sed,si quis respectu legalis pontificis, pontifex appelletur,& tamen id ei non competat,quod necessariò in legali pontifice requirebatur, an jure dicere possim, illi vocem istam improriè tribui,judicent omnes eruditi.Quo sensu paulò ante ipsemet Smiglecius concedebat, Deo non competere vocem redimere, propriè, quia emtio nostri propriè ei non competat.

Christus sacerdos appellatus, impropriè sic appellatur.

Tertiam rationem meam facit Smiglecius, quod secundæ probatio estvel declaratio.Quia scilicetChrist⁹ pro nobis non interpellet propriè, non esse etiam propriè pontificem, qualis erat legalis. Smiglecius *negat, actione interpellandi apud Deum totum sacerdotale munus Christi comprehendi, quia etiam antea sacrificium in terris Christus peregerit, & postea demùm cœlum petierit*, idque exemplo legalis pontificis comprobat, de quo ait, *quòd immolatum ante sacrificium in sancta sanctorum intulerit, offerens illud Deo.* Sed quàm hæc sint aliena a veritate, antea docuimus. Christus in terris sacrificium suum expiatorium non peregit, nec peragere potuit. In cælis enim tantùm locus fuit sacrificio: sed in terris id,quod ad sacrificium illud necessariò pertinebat,præparavit tantùm.

Quartam similiter rationem meam fecit Smiglecius, quæ pariter secundę confirmatio est & tertiæ declaratio, quæ est, cur Christus pro nobis propriè non interpellet, hoc est, quicquam roget, & est,sum-

est, summa & divina Christi potestas. Respondet Smiglecius, *non solum Paulum*, hoc est, autorem epistolæ ad Hebræos, *sed & alias scripturas testari, Christum propriè pro nobis interpellare*. Quomodo verò? *quia testantur eum interpellare, ut Pontifex legalis pro populo interpellabat*. Sed hoc nunc in quæstione est, & a me negatur. Quomodo igitur ad rem decidendam afferri potest? Videat benevolus lector, in quas angustias hæc nostra sententia Smiglecium conjecerit, dum ita ineptè disputat. Quod etiam ex sequentibus similiter apparebit. Adducit enim secundò loco locum. 1:Ioan.2. ubi dicitur: *si quis peccaverit* (vel potiùs, peccet) *advocatum habemus apud Patrem Iesum Christũ justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Quasi scilicet hoc in quæstione sit, an Christus sit noster advocatus, & non potiùs, an sit advocatus talis, qui oret Deum. Vmbra probationis valdè inepta est, dum ait, *Christum interpellare propitiando Patrem, id est, propitium nobis reddendo*. Hæc enim sententia Smiglecii est, non doctrina Ioannis, qui tantùm dicit, Christum esse propitiationem pro peccatis. Propitiationem autem pro peccatis esse, non significare Deum propitium alicui reddere, vel ex eo constat, quòd Ioannes non minùs pro totius mundi peccatis Christum propitiationem esse ait, (quæ verba non sine arte omisit Smiglecius) quàm pro nostris, hoc est, pro fidelium peccatis. Quis verò est, qui non videat, absurdissimum esse, Christum ita esse propitiationem pro peccatis totius mundi, ut toti mundo Deum propitium re ipsa reddat. Quanquam per se etiam absurdum est, Christum propitium alicui reddere Deum Patrem, cùm Pater is sit, qui propitiationem proposuerit Christum, ut alibi Paulus loquitur. Est igitur Christus, (ut hoc uno verbo addatur) propitiatio pro peccatis nostris. Quia Deus per Christum omnibus hominibus propitium se ostenderit, & hodie etiam ostendat, dummodo homines peccare cessent, & ad Deum convertantur. Quo sensu etiam operculum arcæ in V. T. propitiatio appellatur. Quia scilicet Deus in isto operculo, propitium sese populo suo, certis signis exhibere solebat.

Advocatum esse apud Deũ, & Deum orare, differunt.

Propitiationem pro peccatis esse, non esse Deũ propitium reddere.

Christus cur propitiatio. Rom: 3.25.

Producit tertiò locum Ioan.14,16. ubi Christus ait: *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*. Vbi non tam erat docendũ, Christum loqui de tempore, quo apud Patrem futurus erat, quàm, verba, *et ego rogabo Patrem* propriè accipienda esse. Semper enim eadem ratio nostra, quòd Christus est absolutissimus Dominus noster, non permittit, ut propriè oret. Vim hujus rationis nostræ intuens Smiglecius, aliter eam declinare non potuit, quàm dicendo, sicut nõ *repugnat, Christum esse Patri subjectum potestate, ita nec postulationem repugnare potestati*. Sed nos negamus, Christum nunc esse subjec-

Cur Christ⁹ nunc propriè orare dici nequeat.

subjectum absolutè Patri potestate. Disertè enim Paulus ait, tempus fore, quando & ipse Filius subjicietur ei, qui illi omnia subjecit. Et mira est Smiglecii inconstantia, ne dicam quid gravius, qui hîc contendat, nos dicere, Christum Patri semper esse subjectum: in altero verò libro sub finem, in novis erroribus, numero. 2. pro errore nostro venditet, quòd dicamus, Christum Patri nunc non esse subjectum. Caput autem Christi Deum esse dici potest jure, quia omnem potestatem a Deo habeat Christus, quantumvis nunc in usu illius a Deo non dependeat.

Quo sensu Deus sit Christi caput.

Iam dum addit Smiglecius, *Catholicos ista sic conciliare, quòd secundùm naturam divinam faciat omnia ut pater, secundùm humanam autem roget*, prodit, qualis sit Theologia pontificia. Quæ scilicet nihil in S. literis intelligere vel explicare possit, nisi talia statuat principia, quæ illi, hoc est, Theologiæ Pontificiæ tantùm sint principia, non verò talia, quę omnes etiam adversarii admittere coguntur. Talia autem debere esse principia, quæ nemo sanæ mentis negare possit, jam pridem per id comprobatum est: Adversus negantē principia non est disputandū. Quantò rectiùs igitur faciunt nostri cætus, qui, agnita Christi divina potestate, quam disertissimè sacrę literæ testantur, quæ huic repugnare videntur, impropriè accipienda, docent? Huc etiam pertinet doctrina Doctorum pontificiorum, *qui Christum, non abjecto illo rogandi modo, quo in terris utebatur, Deum rogare docent, sed eo, quo dominis quoque orare convenit.* Sic scilicet error errorem parit. Scriptura de simplici rogatione loquitur, quæ est, cùm quis re aliqua egens, alium rogat, istum modum, quo domini solent orare, prorsus ignorans. Et utut soleant orare etiam interdum domini, tamen domini absoluti neminem orare possunt. ita ut in quamcunque se formam convertat Smiglecius, si Christus orat aliquem, propriè Dominus absolutus dici nequeat: Imò sic tacitè Christus Dominus absolutus esse negatur, dum tanto conatu demonstratur, Christum pro nobis, propriè loquendo, rogare. Et sanè miserabilis est ista naturarum unio in cælo. Ab initio conceptionis omnia poterat natura humana, quæ divina: nunc verò exaltata etiam, & in dextra Dei collocata, tamen rogat aliquid.

Defectus Theologiæ unde agnoscendus.

Absolutum Dominum non orare

Quam denique quintam rationem meam facit Smiglecius, ea similiter probatio tantùm est præcedentis, per testimonium Christi, qui ait, Patrem neminem judicare, sed dedisse omne judicium Filio. Hîc me dupliciter errare ait Smiglecius. Primùm, *quòd vocem judicandi, non tantùm ad diem judicii, sed ad omnia quæ Christus facere potest, extendam.* At quomodo hîc error ullus esse potest, cùm ipsæ

Christum nunc etiam judicare.

ipsa vox *Iudicandi* pro gubernatione accipiatur? Christus autem non tunc tantùm gubernabit, cùm ad judicium veniet, imò tunc Patri regnum suum tradet, sed etiam antea ab eo tempore, quo in cœlum ascendit, perfectissimè populum suum gubernavit. Adde, quòd de tali judicio ibi sermo est, quod causa cultus divini in Christo futurum sit. Nisi igitur dicere velimus, hactenus Christo honorem eum tribui non debuisse, qui Patri tribuitur, agnoscendum est, judicium illud ad totum tempus pertinere, quo Christus in cœlis existens populo suo præfuit. Iam videat Smiglecius, quàm verè dixerit, *nec vocis significationem id pati, nec ullam loci illius circumstantiam talem expositionem requirere.* Videat etiam, quomodo sibi constet Smiglecius. Supra enim id ipsum dixerat disertè, quod hîc errorem appellat. Dicit enim, *per opera, quæ Pater Christo demonstraturus erat, non ea solùm intelligi, quæ die judicii demonstraturus est, sed universè, quæ in futurum demonstraturus erat.* Alterum errorem facit, quòd judicem, Patrem ita dedisse omne judicium filio, ut se ipsum a judicio excluserit. Sed idem prorsus tractaverat superiùs in cap: 10. Smiglecius. Quorsum igitur ista otiosa repetitio? Non dico, Patrem se a judicio exclusisse simpliciter. nam qui per alium regnat, is etiam regnare, jure dici potest: sed tamen non in sua persona Deum regnare, & eatenus se a judicio quodammodo exclusisse, nimis certum est, siquidem Christus dixit, Patrem neminem judicare, sed omne judicium dedisse filio. Modus autem conciliationis horum verborum cum sententia Smiglecii valdè est jejunus, quia Christus dicit, se non posse a se facere quicquam, nisi videat Patrem facientem. Hoc enim de illo tantùm tempore, quo Christus miracula faciebat in terra, accipiendum est: & si de omni tempore accipiatur, nihil ad rem facit. In his enim verbis tantùm indicatur, Christum nihil potestate, quam ex se ipso habuerit, vel naturali fecisse: non verò exprimitur, quomodo post datam sibi potestatem aliquid fecerit, de quo nunc sermo est. Potest autem aliquis nihil ex se ipso facere, & tamen id quod facit, ita facere, ut neminem habeat secum simul in sua persona facientem, saltem in certis rebus & ad certum tempus. Atq; ex his quæ hactenus disputata sunt, agnoscet quivis intelligens & cordatus, quanta in ignorantia Smiglecius versetur, qui contra apertissima f. literarum testimonia & rationes ex illis desumtas, Christi sacrificium in terra peractum fuisse credit, & hodie Christum propriè aliquid sacrificare ob id fortassis solùm contendit, ne Pontificii sacerdotes, qui hactenus ob id, quòd Deum Deo offerant, creatores se sui creatoris esse somniârunt, tanta dignitate, & simul etiam ex ea manantibus terrenis commodis, priventur.

Smiglecius sibi contrarius.

Quomodo Pater non regnare dicatur.

Iejuna Smiglecii verborum Christi conciliatio.

Caput XIIII.

De Regia Christi potestate erronea Smiglecii sententia ostenditur.

Hîc primùm non video, cur de differentia Domini & Regis tam anxiè disserat. Cùm certum sit, hæc duo in Christo coincidere, & unum idemq; esse. Deinde frigidissimè ostenditur, Christum ante resurrectionem Regem re ipsa fuisse. Tantum enim afferuntur loca, in quibus Christus recens natus vel ante mortem, Rex, vel Iudæorum rex appellatur: nos verò id non tantùm concedimus, sed etiam quodammodo contendimus, dum dicimus, eum designatione vel ex parte regem fuisse. Nec enim novum est, in s. literis Reges eos appellari, qui ad regnum licèt futurum destinati sunt, ut in Davide videre est, qui septennium integrum Rex fuit sine regno, & in hac re Christi typus èxtitit, nedum ut ii, qui jam Regni partem habent, reges appellari non possint. Itaque nihil facit Smigleci⁹, dum talia loca affert scripturæ, in quibus dicitur, Christum fuisse regem ante resurrectionem, nisi doceat, eum talem & tantum Regem fuisse, qualis & quantus nunc est, nempe cœlestis & æternus. Quod aliquem asserere mirum esset, nisi constaret, Deum pro ingratitudine populi Christiani mittere debuisse efficaciam erroris, ut homines mendacio crederent. Quomodo enim is cœlestis, & æternus esse Rex potest, qui in terris degens, nullam in cœlo potestatem habuit, & ipsemet morte truculenta perempt⁹ fuit, adeoq; prorsus esse ad temp⁹ desiit? Gloria etiam regni, quam Apostolis in transfiguratione exhibuit Christus, longè alia est ab eo, quod nunc habet Christus. Tunc enim mortalis Christus erat, cùm istud regnum suum exhiberet: At nunc immortalis est, ut ipse Deus. Non necesse est autem eum Regem re ipsa esse & perfectè, qui unctus dicitur, cùm præter Reges Prophetæ etiam ungi soliti sint; & unctus is etiam dici possit, qui Rex infallibiter futurus est, & qui partem regni obtinet.

Christus ante resurrectioné quomodo Rex fuerit.

Iam, quæ de Christi perfecta potestate ante resurrectionem in omnes homines, angelos, & dæmones, iterum hîc inseruit Smiglecius, ea nolo nec tangere quidem ampliùs. Suprà enim non semel in hoc eodem libro ea dicta sunt uberrimè. Novimus, differre regiam potestatem ab actu regnandi: sed, ut actum regnandi in Christo defuisse concedit Smiglecius, ante resurrectionem, sic nos, ipsam potestatem regnandi defuisse, docemus. Non ergo disserat Smiglecius de differen-

Smigl: otiosè repetit antea dicta.

differentia Regiæ potestatis & actus regnandi: sed illam in Christo fuisse ante resurrectionem doceat.

Affirmat quidem, suo more, Smiglecius, nos ex eo, quia Christus actu non regnaverit ante resurrectionem, colligere, eum etiam potestatem regnandi non habuisse: sed ineptè. Nec enim nos sumus, qui quicquam hîc doceamus: sed Smiglecius est, qui affirmat, Christum non minùs tunc, quàm post resurrectionem, potestate regia præditum fuisse. Nos verò tantùm excipimus, &, si quando aliquid ad probationem negationis nostræ afferimus, id præter officium nostrum facimus, eruendæ veritatis gratiâ. *Ineptia Smigl.*

Iam, dum dicit, verba Pauli, *in hoc Christus mortuus est & resurrexit, & revixit*, (quæ ultima verba vulgatam sequens omisit Smiglecius) *ut & mortuis & vivis dominetur*, de actu dominandi solo intelligenda esse quis concedet? Nam si antea potestatem habuit dominandi, quid opus erat in eum finem mori, resurgere & reviviscere, ut dominaretur? Parumné constat, Apostolum dicere velle, ideo Christum & mortuum & resuscitatum & vivificatum esse, ut potestatem haberet tam in mortuos quàm vivos? Istud figmentum, quòd Christo novo titulo datum sit regnum, jure repudiam[us], quia scilicet sine petitione ejus, quod est in principio vel in quæstione, dici non potest. Sumitur enim tacitè, illũ antea Regem perfectè fuisse, quàm resurgeret, ut antea abundè ostensum est. Rom:14. 9. Sensus verborum Rom:14.

Alterum meum errorem facit, *quòd non admittam distinctionem regni Christi in terrenum & cœleste*: Sed errorem vel potiùs fallaciam suam ipsemet non animadvertit. Etiamsi enim Christus alio modo regnet in cœlis, alio in terra: non est tamen diversum regnum, sed modus regnandi tantùm diversus. Eadem enim potestate, quâ angelis imperat, imperat etiam hominibus. Et hinc est, quod Christi regnum potestate in cœlo & in terra determinatur. Imò necessariò conjuncti sunt isti duo regnandi modi, ita ut unum regnum constituant. Nam si Christus in cœlo regnum non haberet, non posset etiam regnum suum in terra administrare. Ad regnum enim super homines administrandum in primis necesse est, ut Christus omnibus angelis imperet. Non Christi regnum diversum est, sed modus regni diversus.

Tertium errorem facit, *quòd negem, de regno Christi post finem mundi futuro, quicquam legi*: & tamen ipsemet concedit, Christum non ea ratione regnaturum perpetuò, quo nunc regnat: Quid igitur opus est contentione? Pauli verò verba, dum ait Christum traditurum regnum suum Deo & Patri, & filium etiam ipsum subjectũ futurũ ei, qui ipsi omnia subjecit, ut Deus sit omnia in omnib[us], ita clarè Christi regni rationem mutandã.

hanc-

hanc nostram sententiam comprobant, ut nulla explicatione obfuscari queant. Qua de re scripsimus plura in refutatione Thesium de S. Trinitate, ubi D. Schopperus Doctorum Pontificiorum super hæc verba commentarios afferebat.

Christum post finem mundi nullius memorem futurum, quo sensu dicatur.

Quartum (quintum habet Smiglecius) errorem facit, *quòd dixerim, Christum post finem mundi nullius ampliùs futurum memorem.* Sed quis non videt cavillum? Memorem enim esse alicujus, est beneficium alicui conferre. Quo sensu rogabat latro Christum, ut sui memor esset, cùm venturus esset in regno suo. Iam cùm Christus in solio suo collocabit fideles suos, & illi unâ cum illo regnabunt, quomodo beneficium ampliùs illis conferre poterit? Hinc est, quòd dicitur, fideles in vita futura nec esurituros nec sitituros, quia scilicet perfectissima beatitate, ad quam nihil accedere amplius possit, donandi sint. Quòd verò tacitè etiam sumit Smiglecius, Christū ante adventum suum memorem esse fidelium, idque probat verbis Christi latronem sic alloquentis: *Hodie mecum eris in Paradiso*, ad id suprà responsum est, & alibi etiam. Nempe nec latronem petiisse, ut Christus sui memor esset, cùm in regnum suum venturus esset, sed cùm in regno suo venturus esset. Hoc autem fiet demum in die judicii: nec Christum promisisse, eum futurum secum eo die in Paradiso re ipsâ. Nam nec ipse Christus eo die in Paradiso fuit aut esse potuit, cum secundùm Theologiam Smiglecii in infernum descenderit. Christi autem verba ita accipi possunt, quòd non tempus, quando latro in Paradiso futurus expresserit. hoc enim latro jam sciebat, & verbis suis in nuerat: cùm veneris in regno tuo (nam sic habent verba Græca) sed certitudinem ejus, quod petebat & sperabat latro, indicaverit, dum ait: *Dico tibi hodie, mecum eris in paradiso.* De quo etiam alibi & suprà plura scripsimus, ubi etiam exempla istius locutionis in hunc sensum addidimus.

Quintum (sextum habet Smiglecius) errorem meum facit Smiglecius, *quòd negem, Christum duplici titulo regni sui possessionem adiisse.* Ipse verò sic illud probat. *Christus duplici titulo fuit Rex. Fuit enim Rex & ante & post resurrectionem. Ergo etiam duplici titulo regni sui possessionem adiit.* Iam dum probandum sibi videbat, Christum ante resurrectionem etiam regem fuisse, eò recurrit, ut dicat, *Christum Dei Filium natum fuisse. Filium autem esse hæredem, teste Paulo.* At hìc aliud nihil est quàm æquivocatio in vocibus.

Sensus verborum Pauli Rom. 8.

Nam ut Rex Christus non fuit re ipsa, nisi post resurrectionem: sic etiam filius Dei perfectè non fuit, nisi post resurrectionem. Pauli autem verba, *si filii, hæredes etiam*, vel de perfecta filiatione accipienda

sunt

ſunt, vel vox *hæredis* non minùs de prædeſtinatione hæreditatis accipienda eſt, quàm vox Filii. Vt enim filius, ſic etiam hæres aliquis eſſe poteſt in prædeſtinatione, idque ex Pauli verbis ſatis manifeſtè apparet. Mox enim addit, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Nemo autem nunc vel hæres Dei, vel cohæres Chriſti eſſe poteſt. Vnde etiam additur id futurum, *ſi modò compatiamur*.

Caput XV.

Ignorantiam rei alicujus Chriſto in terris degenti tribuere, blaſphemum non eſſe, demonſtratur.

TELUM potentiſſimum, adverſus fictitiam in Chriſto divinam naturam, habere nos ex eo gloriamur, quòd Chriſtus ipſemet de ſe affirmârit, ſe diem judicii neſciviſſe, idque cũ additione, quòd nemo illum ſciverit, niſi ſolus Pater. Hoc an ad minuendam veram Chriſti gloriam afferamus, ut objicit Smiglecius, judicabit judex noſter ipſe Dn. Ieſus: interim Smiglecius ipſe ad argumentum reſpondeat. Quàm verò durum ſit ad id reſpondere, experti ſunt jam non ſemel Ieſuitæ, & hæc ipſa Smiglecii refutatio documento eſt. Nihil enim directè ad argumentum hoc reſpondere poſſunt unquam, ſed ſemper tergiverſationibus utuntur, & ea dicunt, quæ recipi nullo modo poſſunt. Dicunt plærumq; Chriſtum, quà hominem, neſciviſſe diem judicii. Dum hoc dicunt, nonnè tacitè ſumunt, Chriſtum præter hominem aliud quid, nempe Deum, fuiſſe? Nam ubi unum tantùm in aliquo conſideratur, non eſt locus diſtinctioni. Sed quomodo hoc pro reſponſione afferri poteſt, quod per argumentum noſtrum impugnatur? Argumentum enim noſtrũ directè petit iſtam diſtinctionem, dum concludit, Chriſtus non fuit naturâ Deus, vel non habuit divinam naturam. Hoc dum ego principii petitionem appello, indignatur Smiglecius, et ait, *inferre quidem concluſionem adverſarium, niſi ex principiis conceſſis non poſſe: at retundere adverſarii tela reſpondentem etiam ex principiis ab illo non conceſſis poſſe, quamdiu ab adverſario non expugnantur.* Ego verò omnium cordatorum lectorum judicium appello, an principia ea dicenda ſint, quæ tantùm uni parti principia ſunt, & non utriq;. Certè ratio contrarium omnino ſuadet, quæ principia id eſſe dicit, quod naturaliter quodammodo hominibus innatum eſt, vel in unaquaq; arte & facultate ita notum, ut nullo modo in dubium vocari poſſit. Qualia ſunt in negotio religionis ſolæ ſacræ literæ. In his quia diſtinctio iſta prorſus non

Margin notes: Fruſtra ad diſtinctionem naturarum confugere Smiglecium. — Quænam ſit principiorum natura.

sus non continetur, nec quo ad verba nec quoad sensum (quanquam quoad verba eam contineri in illis necesse esset, si ista doctrina de de duabus in Christo naturis ad salutem esset necessaria, ut sentit Smiglecius) quomodo, quæso, principium Theologiæ vel religionis appellari jure potest? Præterea cùm ipsemet Smiglecius fateatur, tamdiu ex principiis retundi posse adversarium, quamdiu ea non expugnentur, nonné manifestè patet, tamdiu saltem retusionem istam differendam esse, quandiu oppugnantur, & nondum constat, ea expugnari non posse, adeoq; principium tunc saltem peti, cùm id, quod argumentis oppugnatur, pro solutione argumentorum affertur. Hæc prima velitatio semper nos victores facit, Dei gratiâ.

Dolus Smiglecii detegitur.

Smiglecius astutulus, omisso hoc argumento, urgentem me introducit, *Christum non quocunque modo asseruisse, se diem judicii ignorare, sed cùm ea additione, quòd eum solus Pater noverit.* Sed priùs erat expediendum, quomodo is Deus naturâ esse possit, qui aliquid ignoret, deinde verò demum alia, quæ argumentum nostrum firmant, petenda. Hoc dum omittitur, non aperto marte nobiscum certari, sed dolosè rem agi conquerimur apud eruditos. Sed tamen sequamur Smiglecium. Is igitur, isto modo proposita & aucta nostra argumentatione, sic ait: *Agnoscimus additionem: at hoc ipsum quærimus, quomodo Pater solus dicatur noße diem judicii, absolutè ne, ut nullus alius, præter ipsum noverit, an quodam loquendi modo?* Quid opus est quæstione, si Christus ipse dicat, solum Patrem scire diem judicii? Nonné enim manifesta erit contradictio, si per modum loquendi quis dicere velit, patrem non solum scivisse diem judicii? Loquendi modos admittendos novimus: sed usitatos & tales, qui vim scripturæ non inferant, & mendacii Christum non arguant, qualis hic est. Sed age videamus, quomodo istum suum loquendi modum coloret Smiglecius. Locum alium affert Act: 1. 7. ubi sic Christus dixit: *Non est vestrum, noße tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, & ait, *quia dies judicii est ex illis momentis, quæ Pater posuit in sua potestate, ideo solius Patris hoc est proprium secretum, quia ab ejus determinatione dependet, & ad hoc indicandum, solus Pater dicitur illud scire.*

Christum absolutè dixisse, solum Patrem scire dié judicii.

Smiglecius se intricat.

Sed dum se expedire vult Smiglecius, magis se intricat & difficultatem auget. Tam enim ex hoc Actorum loco, quàm ex altero Marci docere possumus, Christum nescivisse momentum illud de die judicii. Quomodo igitur locus æquè controversus alterius explicatio esse potest? Si pater in propria potestate posuit tempus judicii, ita ut solus illud noverit, certè invicto modo sequitur, neminem alium istud scivisse, nec ipsum filium. Solum enim aliquem aliquid scire, &

aliquem

aliquem alium, contradictoria sunt; & proinde Christum non habuisse naturam divinam. Hæc enim omnia scit ut pater, cùm idem sit apud Smiglecium, scientia Dei & essentia. Quanquam non omnino similes sunt isti duo loci. Non enim cum tanta determinatione dicitur Act:1., neminem neque angelos, neque filium, sed solum patrem scire ista tempora instaurationis regni Israëlis, quemadmodum Mar: 13, disertè ista omnia adduntur. Præterea non attendere videtur Smiglecius, se hac explicatione semetipsum jugulare, dum ait, *in Patris solius potestate fuiße, determinare diem judicii, & ideo dici, solum patrem illum sciviße*. Quomodo enim unus & idem Deus sunt, Christus & Pater, si solus pater determinat diem judicii, & si a solius patris potestate pendet, ut id fiat? Potuitné Smiglecius aliquid confingere aptius ad docendum, quod nos affirmamus, dum, quomodo id, quod nos affirmamus, subtiliter evertat, aliquid confingit?

Differentia locorum Act:1. & Mar:13.

Smigl: seipsum refutat.

Iam quod de modo loquendi usitatissimo dicit Smiglecius, *quòd, qui interrogātur de rebus, quæ ad eos ex officio non pertinent, sed ad alios, quibus id incumbit, vel in quorum potestate est, ut res illa fiat, respondere soleant, se nescire, etiamsi revera sciant*, id pro exemplo adduci non debuit, triplici de causa. Primùm enim quæritur, an isti homines rectè se gerant, dum ita ad interrogata respondent nec né? Nam si eos malè se gerere, constet, ratio testatur, non esse hoc ad Christi verba accōmodandum, nisi velimus, Christum homines, in rebus reprehensione dignis, imitatum fuisse, quod quantumvis longè sit absurdissimum, tamen hîc affingere oportet Christo Smiglecium. Deinde loquendi modi admitti quidem interdum possunt & debent: sed id tunc demum concedendum est, cùm ipsa locutio per se aliquid absurdum contentura sit, nisi modus loquendi admittatur. Quod omnes Theologos confessuros, nihil dubito. Quæ verò hîc est absurditas, si dicatur, Iesum Christum, quamdiu in terris fuit, ignorasse aliquid, quod ad munus ejus, quod tunc gerebat, minimè pertinebat, & sine cujus scientia poterat salutem æternam, cujus afferendæ causâ in mundum missus fuerat, annunciare & confirmare? Deponat modò Smiglecius præjudicatam de Christi existentia, antequàm nasceretur, opinionem, &, rem esse planissimam, deprehendet. Quia verò hanc suam sententiam mordicus defendit, ideo ad verba scripturæ clarissima loquendi modos confingere oportet, & deserere suos Patres, quorum nonnullos simpliciter ista verba intellexisse, infrà etiam ex Irenæo docebimus. Deniq; utut loquendi modo quis dicere posset, se nescire aliquid, quod tamen sciat, nullus tamen lo-

Modus loquendi a Smiglecio confictus refutatur.

Quando loquendi modi admittendi.

Modum loquendi in loco Marci nõ admittendum.

quendi modus patitur, ut quis, remotis omnibus aliis, qui id scire poterant, unum aliquem solum id scire dicat, quod alii etiam sciunt: & ita firmum stat, istam tam exactam Christi negationem, quòd nemo nec ex hominibus nec ex angelis, adeoque nec ipse Filius sciat, & huic oppositam affirmatione, quòd solus Pater illud sciat, efficere, quòd solus Pater absolutè illud tunc temporis sciverit.

Sed loquendi modo misso, Smiglecius, exemplo ex scripturis deprompto idem demonstrare se posse ait. Illud autem est, quod Christus discipulis petentibus sessionẽ a dextris & a sinistris in regno ipsius, *Sedere*, inquit, *ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Hoc autem simili loquendi modo explicandum esse, docet, quia Christus alibi dicat: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, & alibi se ovibus suis vitam dare fateatur.* At hoc exemplum iterum duplici de causa ad rem nihil facit. Primùm enim non constat, an Christus dixerit, non esse suum dare, ut quis sedeat ad dexteram vel ad sinistram suam. Nihil enim opponitur in verbis Christi sequentibus, illis prioribus, *non est meum*, hoc est, non indicatur alius, qui id dare possit, quod ad sensum talem, qualem hîc Smiglecius eruit, eruendum necessarium esset. Sensus autem esse videtur, esse quidem Christi dare istam sessionem, sed non esse illius, ut eam illis det, qui id ab eo tunc petebant. Quasi scilicet petitio alicujus efficere possit, ut tantam apud Christum dignitatem consequatur, ut isti Apostoli somniabant, sed illis, quibus id a Patre paratum sit. Qui verò illi sint, Christus tunc non explicavit, satis habens indicasse, aliud quid singulare præter solam petitionem & matris intercessionem ad id obtinendum requiri. Deinde concesso eo, quòd verba Christi isto modo, quo vult Smiglecius, accipi possint, hæc ipsa verba magis constringunt etiam Smiglecium, dum scilicet docent, Christum tunc non habuisse in sua potestate id, quod ab eo petebatur, sed in solius Patris potestate positũ fuisse. Quæ verò ad contrarium probandum loca afferuntur, facilè conciliari cum illo possunt, si consideretur, aliud esse disponere alicui regnum, ut Pater Christo disposuerat, & dare, ut aliquis sedeat ad dexteram vel ad sinistram. Hoc enim summæ & primæ cujusdam post Christum dignitatis descriptio est: istud verò solum immortalitatis beneficium continet. Adde, quòd Christus se regnum disponere, & vitam æternam dare suis dicere potuerit, tum quia certò id promittere tunc potuit, rei istius licentiam primùm ab ipso Patre adeptus, tum quia novit, se post suam resurrectionem & exaltationem potentiam illam re ipsa consecuturum, ut disponere regnum, quibus vellet,

Errores Smiglecii circa locum Matth: 20.

Sensus loci eruitur.

Disponere regnum, & dare ut sedeat a dextera aliquis, differunt.

vellet, & dare ovibus vitam æternam, posset. Iam igitur constat,nec exloquendi modo nec ex scripturis probari potuisse,solum aliquem id scire dici posse,quod alii etiam sciunt.

Videmus quomodo se gerat amplius Smiglecius,*Si quis*,ait,*opponat, ad filium pertinuiße scire diem judicii, cùm ipse eßet constitutus judex vivorum & mortuorum*, (& ad marginem asscripsit, *veritas impugnatur variè & similiter propugnatur*) *respondeo, non pertinuiße id ad illum scire, nisi ex determinatione Patris. Ipse enim Pater posuit id in sua potestate. Quare primò & per se id pertinuit ad Patrem scire, & ex consequenti verum est,eo modo solum Patrem sciviße.*Ita scilicet premit hoc argumentum Smiglecium,ut eorum etiam,quæ antea dixerat,semel oblitus, sibimet contradicat. In Monstris enim dixerat: *Dicitur quidem,modo quodam loquendi,nescire Christus, quâ homo, diem judicii, non quod revera nesciret: scivit enim & prædixit ejus signa, idq; ad officium Christi maximè spectabat, cùm fuerit constitutus judex vivorum & mortuorum.* Vnde constat, illum ex eo, quòd Christus constitutus fuerit judex vivorum & mortuorum, colligere, Christum tunc scivisse diem judicii: nunc autem id negat, dum dicit, non pertinuisse id ad illum scire,nisi ex determinatione Patris,& hac ratione veritatem impugnari innuit. Nam si ex determinatione Patris id ad illum pertinuit, quomodo id ex eo alibi colligitur, quod fuerit constitutus judex vivorum & mortuorum? Ista verò illatio duplex, *quare primò & per se id pertinuerit ad Patrem scire,ac ex consequenti verum sit, eo modo solum Patrem sciviße*, quanti facienda sit, tum ex his, tum ex superiùs dictis puto constiturum. Commenta scilicet sunt Smiglecii, eaque talia, quæ nulla probabilitate nituntur, & sententiam Smiglecii destruunt. Cùm enim ex determinatione Patris sciat aliquid Filius, ita ut solus id Pater sciat, reciprocè autem dici nequeat, patrem aliquid scire ex determinatione Filii,ita ut solus id Filius sciat,parumné constat, quanta sit inter utrumq; differentia, & nullo modo verum esse, quòd unius sint essentiæ?

Smiglecius intricatus.

Pag:76.

Calumniæ me accusat porrò Smiglecius, quòd dixerim, illum, vulgarem exceptionem, Christum secũdùm humanam naturam nescivisse,omisisse,&, supercilio elato, fastuq; incalescens, *homini hæretico & perfrictæ frontis calumniam non imputari ad peccatum*, sententiosè,scilicet,pronunciat. Sed certè Smigl: vocabulo calumniæ abusus est. Is enim calumniatur verè, qui aliquẽ enorme aliquid vel indignũ fecisse vel dixisse sciens volẽs affirmat,quod tamen non fecit nec dixit:At ego nihil tale in Smiglecium commisi,dum dico,illum aliquid omisisse.

Quid sit calumnia.

omisisse. Poterat enim fieri,ut id per errorem de illo sentirem,de calumnia autem ne cogitarem quidem. Iudicent, quibus amica magis veritas quàm Smiglecius,& simul,an ita debachari in parem ipsi licuerit, expendant. Deinde verò, nunc etiam idem sentio, nec tamen calumniari Smiglecium cogito, illum, scilicet, ad locum istum explicandum non attulisse antea istam naturarum in Christo distinctionem, & hactenus non attulisse etiam in hoc altero scripto, nisi obiter. Quorsum enim opus esset fictione istorum loquendi modorum & isto tanto conatu, quo demonstrare vult, Patrem *solum* diem judicii scivisse,si Christus eum scivit secundùm divinam naturam?Prævidit scilicet nunc Smiglecius, determinationem Patris solius non admittere, ut Filius etiam includatur, & ita alio stratagemate usus est, quod tamen quale sit,& quomodo ei successerit,jam vidimus.

Iam quæ de Radziminii disputatione ante annos 24. Lublini habita disserit,ingenium etiam Smiglecii produnt. Tantùm scilicet suis tribuit, ut non superfit, quod aliis etiam tribuatur. Adducit testes, quotquot tunc disputationis fuerant auditores. Si suos,quid mirum? si alios,certè fallitur. Nam si rem benè successisse vidissent Radziminio,cur ad eum non transiissent? Num nos quenquam vi retinere in officio,vel promissis terrenis,ut vos, possumus? At illi ipsi, qui tunc interfuerunt, plærique hodie vivunt, & mori mallent, quàm istam, quam tunc tam potenter defendit sententiam Radziminius, sectari: quidam autem illorum, qui jam obdormierunt, quid de ista disputatione & modo disputandi vestro,non dicam quali,saltem Christianę religionis professoribus indigno, senserint, novimus omnes, & ego etiam, qui illud ex ore unius Moderatorum, amici mei olim summi, audivi, testari possum. Similis est hæc gloriatio illi alteri, quæ extat in libello Smiglecii adversus Volkelium edito, ubi etiam ausus est dicere, duodecim, nobiles post disputationem Neogrodensem in Lithvania habitam, a nobis ad se defecisse, quod falsissimum esse, tam certum est,quàm quod certissimum. Si hæc nobis adhuc viventibus de nobis præsentibus sparguntur, quid nobis mortuis futurum sit, & quid nobis absentibus hodie fiat, facile est colligere. Disputatio etiam Lublinensis impressa aliud omnino docet,quàm quod vos jactatis. Si falsò eam a nostris prodiisse causeris, idem etiam de vestra nos dicere non indignè feres. Tantum enim esse nostris conscientiæ, quantum vestris, cur non credam,nihil prorsus est. Egregiam porrò laudem suorum canit Smiglecius, *qui,nisi & loci religione, & suorum hortatu prohibiti fuißent, vix manus a nobis abstinuißent.* Itané vim etiam inferre licet illis, & vitâ fortassis privare, quos in errore

Gloriatio Smiglecii vana.

Smiglecii gloriatio vana.

tore versari credas,& non potiùs eorum misereri decet? Vestri verò, si id prohibuerunt, non religione adducti id fecerunt, sat scio. Aderant enim tunc non pauci,non nostrę religionis,quibus fortassis manus inferre nec valdè tutum fuisset, nec ob autoritatem præsidentium ullo modo licebat. De filio Dei dici posse,ait Smiglecius, eum nescivisse diem judicii,*quia secundùm humanam naturam id nescierit.* Sed,præterquam quòd nullus est Dei filius,præter eum,qui humanam naturam habuit,nihil etiam valet ista distinctio. Nulla enim figura dari potest, in qua id, quod unius naturæ est, alteri separatim tribuatur. Quemadmodum etiam in homine non potest dici de anima,quod corporis est proprium, etiamsi ita sit conjuncta corpori omnia,ut ex utroq;homo constet. Vnde apparet,firmam esse istam nostram rationem,quòd ea, quæ secundùm unam naturam vera sunt, eamq; potiorem,non possint absolutè negari de persona,quantumvis eam Smiglecius verbositate sua obscurare voluerit: & porrò,si Christus secundùm naturam divinam diem judicii scivit, dicere nullo modo potuisse absolutè, se eundem nescivisse, etiamsi secundùm naturam humanam eum nescivisset,quemadmodum nemo dicere potest absolutè, hominem non intelligere,quia corpus ejus non intelligat. Satis enim est, animam illius intelligere.

Quod unius naturæ est, alteri separatim tribui nequit.

Quæ uni naturæ competunt de toto negari nō possunt.

Exempla verò, instantiæ loco a Smiglecio allata, vim axiomatis non infringunt. Etenim quid aliud est,esse immortale & incorruptibile, quàm non esse mortale & corruptibile? Vnde cùm dicitur, de homine negari, quòd sit immortalis & incorruptibilis, negatio hæc æquipollet affirmationi. Non esse enim immortalem & incorruptibilem,est,esse mortalem & corruptibilem. Proinde non potest dici, quidpiam hîc de persona hominis negari,quod ei secundùm aliquam conveniat naturam. Quanquam non est silentio prætereundum, exemplum de materia, a Smiglecio afferri non debuisse. Is enim cum suis Theologis credit,Deum ex nihilo creasse omnia,& in D. Moscorovium, qui sententiā contrariam non usquequaq; falsam esse ex aliorum sensu asserit,non sinè fulmine hæresis invehitur.Hinc etiam astutulus Smiglecius,pro suo &Theologorum suorum tergo Philosophorum tergum obvertit,ut scilicet hi loco illorum vapulent.

Instantiæ Smiglecii repelluntur.

Smiglecii astutia

Porrò cùm se probasse crederet Smigl:,quonám loquendi modo dici possit, solum Patrem scivisse diem judicii, etiamsi & alii sciverint, nunc, absolutè dici non posse, Christum nescivisse diem judicii tam divinæ quàm humanæ naturæ respectu, probare conatur, idque per se manifestum esse ait. Quæ quomodo cum superioribns cohæreant, in quibus disertè dictum est,quod etiam infrà repetitur, Christum

Smiglecius contraria loquitur.

ſtum ſecundùm humanam naturam diem illum neſciviſſe, judicent cordati lectores. Ego verò ineptum eſſe ajo Smiglecium, qui nihil ferè dicat, quod ipſum probatione non egeat. Sic enim loquitur: *Nam quod ad divinam attinet, ea ſi admittatur, eadem eſt in Patre & Filio, ac proinde eadem eſt utriusque ſcientia.* Iam ſi iſta natura non admittatur, quid dixit Smiglecius? Nihil. Quomodo verò natura divina in Chriſto admitteretur, quæ hac diſputatione perpetuò & ſola impugnatur? Locus ille, *omnia quæ Pater habet, mea ſunt,* quia, ut ſuprà docuimus, non univerſaliter, ſed generaliter de omnibus, quæ ad ſalutem pertinent, accipi poteſt, nihil ad ſcientiam diei judicii includendam facit. Hæc enim, ut non ad ſalutem neceſſaria, ſic etiam abeſſe à munere Chriſti prophetico potuit.

Quòd ad humanam naturam attinet, dicit Smiglecius, idem repetendo, quod in Monſtris dixerat, *ex eo conſtare, Chriſtum ſciviſſe diem judicii, quia plenus fuerit gratiæ & veritatis, & quia non ad menſuram datus ei fuerit Spiritus.* Sed quia, quàm futilia ſint iſta ad probandum, in Chriſto ſcientiam fuiſſe diei judicii, prolixè antea docuimus, & ipſa verba per ſe talem ſenſum reſpuunt, nihil nunc ampliùs addo. Rationem, quam hic novam addit Smiglecius, tantùm digito oſtendam, quæ eſt: *Nemini, ait, dubium eſt, ad officium Chriſti pertinuiſſe ea omnia cognoſcere, quæ per illum efficienda erant, cum omnibus operum circumſtantiis. Quod ſi aliæ circumſtantiæ & ſigna diei judicii eum non latuerunt, quomodo hora & tempus judicii latuiſſet?* Iam igitur, ut concedimus, ad officium Chriſti pertinuiſſe ea omnia cognoſcere, quæ per eum efficienda erant: ita negamus, ad officium ejus pertinuiſſe, omnia ea cognoſcere cum omnibus illorum circumſtantiis. Nec ulla hujus rei additur a Smiglecio probatio. Chriſti verò aſſertio multò apud nos validior eſt, quàm hujusmodi frigidæ collectiones. Iam cùm concedit Smiglecius, poſſe aliquem rem aliquam futuram, & modum, quo futura eſt, cognitum habere; interim verò tempus definitè neſcire, nonne argumenti ipſius vis corruit, quæ in eo ſita erat, quòd, ſi aliæ circumſtantiæ non latuerunt Chriſtum, quomodo hora & tempus latuiſſent? Dum verò addit, *hoc in iis ſe concedere, qui non totam ſimul ſcientiam habent, ſed eam per partes acquirunt: Chriſtum verò ſtatim omnem ſcientiam ad officium ſuum pertinentem habuiſſe,* nonné pueriliter nugatur. Hoc enim pro probatione affert, quod probandũ ſibi ſumſit. Iam dum ex eo, quòd Chriſtus judex fuerit conſtitutus vivorum & mortuorum, colligebat Smiglecius, eum etiam ſciviſſe diem judicii, & ego reſponderam, judicem eum etiam cũſtitutum eſſe poſſe, qui neſciat horam judicii; & pręterea Chriſtũ tunc cùm iſta diceret,

Smiglecius vanus & mutabilis.

diceret, nondum fuisse judicem constitutum vivorum & mortuorũ teste Paulo, qui sic ait: *In hoc Christus mortuus est & resurrexit, & revixit*, (quæ verba ultima Smiglecius omisit iterum, vulgatam imitatus, quæ tamen in græcis codicibus habentur omnibus) *ut eßet vivorum ac mortuorum Dominus*, duos me crassos errores involvere ait Smiglecius. Quosnam verò? Alter est, quòd *Ioh: 5. Christus aßerat, ante resurrectionem datam sibi potestatem judicium faciendi, & vitam habendi in semet ipso, ut quos vellet vivificare poßet.* Primùm negligentiam Smiglecii accuso, qui verba Christi diversa ita misceat. Nam illa verba Christi, qnibus testatur, se vitam habere in semet ipso, non sunt collocata cum illis, ut quos vellet, vivificare posset, nec collocari cum illis possunt, & nullo modo ad rem, de qua sermo est, faciunt. Posse enim aliquem vitam in semet ipso habere, ut ipse Deus, nec tamen potestatem habere aliquem vivificandi, vel hinc patet, quòd omnes fideles olim vitam in semet ipsis habituri sint, teste Paulo, qui ait, eos futuros spiritus vivificantes, & gestaturos imaginem cœlestis Adami, non tamen potestatem habituri sunt aliquem vivificandi. Deinde, ante resurrectionem Christum quidem ista dixisse fateor: sed an ante resurrectionem re ipsa ista data illi fuerint quæ ibi commemorantur, in quæstione versatur. Contrarium quia suprà abundè a nobis demonstratum est, repetitione ejusdem hîc supersedeo. Probat iterum, Christum ante resurrectionem fuisse dominum vivorum & mortuorum. Vivorum, quia Dominus illorum appellatus sit. Mortuorum, quia quosdam ex mortuis resuscitaverit. Sed infirma est ista probatio. Licet enim Dominus vivorum Christus dici potuerit, tamen nec omnium fuit Dominus, nec eorum, quorum fuit, perfectus fuit Dominus, ut suprà docuimus: Mortuorum verò, nedum omnium, & perfectus, sed nec unius quidem Dominus dici potuit. Mortuorum enim Dominum esse, non est, potestatem habere eum ex morte tantùm resuscitandi. Alioquin & Prophetæ & Apostoli Domini mortuorum fuissent: sed imperium habere decernendi de illis quod velis, nempe vel ad gloriam æternam resuscitandi, vel æternis eosdem pœnis adiudicandi, quod nemini unquam concessum fuit, præter quam soli Iesu Christo, idque tunc & ideo, quando & quia Deo ad mortẽ usque crucis obediens fuit. Sententia autem Smiglecii, quam super verba Pauli ascripsit aliud nihil est, quàm pertinax ejus quod in quæstione est, asseveratio. Nempe Christum, qui antea dominari potuisset, dominari autem noluerit, vel ob alias causas dominatus non sit, tunc perfectè & in universo mundo dominari cœpisse, & dominatum suum extendere. Nam si hoc verum esset, quid opus esset i-

Negligentia Smiglecii.

Non omnia, quæ ante resurrectionẽ dicta a Christo fuere, data illi fuisse reipsa.

Christus Dominus vivorum & mortuorum post exaltationem.

sta disputatione? Præterea falsum etiam est prorsus. Nam Christi dominium in vivos & mortuos non in eo consistit, quòd re ipsa dominium extendat, sed quòd tantam potestatem habeat dominium suum extendendi. Nec enim ab eo tempore, quo Christus resurrexit, ullam in mortuos potestatem extendit, sed in adventu demum suo eam exeret. Ita scilicet omnia sunt aliter accipienda, quæ Smiglecius de Christi potestate sentit. Cùm in terris degeret Christus, non universam potestatem, sed partem ejus habebat, perfectæ autem destinatus erat immutabiliter: Postquam exaltatus est, potentiam habet omnia faciendi, re ipsa autem eandem non exercet universam. In nullum enim ex mortuis potestatem suam re ipsa Christus extendit hactenus: sed in solos vivos. Extendet autem tunc, cùm ultimum hostem mortem abolebit.

Ineptiæ Smiglecii indicantur.

Alterum errorem facit, quod ad officium Christi negem pertinuisse, scire diem & horam judicii. Sed vix de ista re loqui in præcedenti pagina cessaverat Smiglecius. Quorsum igitur denuò hîc eam repetit absq; omni necessitate? Et certè non apparet, quomodo iste error deduci possit ex eo, quòd nego, Christum ante resurrectionem fuisse judicem constitutum vivorum & mortuorum. Sed nimis molestus essem lectori, & dimidium libri alterius conficiendum mihi esset, si ista parum ad rem & neglectim dicta Smiglecii examinare vellem. Quale & hoc est, dum ait: *Me tandem oppugnare aggredi, illam verborum Christi interpretationem, quam multi SS. Patres sequuntur, & ipse in Monstris indicaverit.* Hæc enim verba supponunt, me antea aliquid aliud oppugnasse circa hæc verba, cùm tamen nihil oppugnarim nec oppugnare potuerim. Smiglecius enim in Monstris, quæ ego oppugno, nihil aliud attulerat, quàm istā Patrum suorum interpretationem: Hujus autē, quam in hoc scripto attulit Smiglecius explicationis, ne meminerat quidem. Ibi enim tantùm ea verba habentur: *Non quòd revera nesciret* &c. *sed quòd propter secreti rationem ad dicendum & manifestandum nesciret.* Expendant, qui veritatem amant, quomodo se vir, alioquin doctus & perspicax, gerat, & quid de istis responsionibus sentiendum sit, judicent.

Smiglecius inconstans.

Iam dum Smiglecius hanc interpretationem SS. Patrum esse dicit, tacitè videtur innuere, se eam non prorsus approbare vel sectari: dum verò addit, multorum patrum eam esse sententiam, rursus indicat, alios aliter verba Christi interpretatos esse, quomodo igitur, quod nec ipsi Smiglecio satis probatur, qui tamen patrum autoritati nihil non tribuit, & in quo patres non convenerunt omnes, pro certa interpretatione habere tenemur? Certè Irenæus, antiquissimus scriptor,

ſcriptor, alium ſe ſenſum ſecutum eſſe ſatis manifeſtè teſtatur, (quæ verba etiam in examinatione centum errorum aſſcripſeram) nempe Chriſtum abſolutè neſciviſſe diem judicii. Vult enim Irenæus, ut & nos non erubeſcamus, ea, quæ ſunt in quæſtionibus majora ſecundùm nos, reſervare Deo, ut Chriſtus non erubuit ſcientiam diei illius referre ad Patrem. Certè verba iſta, *non erubuit filius Dei*, ſatis apertè docent, eum ſenſiſſe, Chriſtum merè ignoraſſe. Nam dum quis aliquid novit, etiamſi dicat ſe id neſcire, non eſt opus ut erubeſcat. Ignorantia enim mera erubeſcentiæ iſtius cauſa eſſe poteſt. Sed præterea quàm ſit inepta Patrum iſta interpretatio, quantumvis antea ſufficienter in refutatione Monſtrorum oſtenderim, hîc iterum ab importuno Smiglecio oſtendere cogor. *Neſcire, ait, rectè is dicitur aliquid, qui ita ſcit, ut aliis id non dicat vel manifeſtet, & ita ſe habet, & habere debet, ac ſi neſciret.* Indignantur Pontificii, quando iſtiusmodi Patrum ipſorum interpretationes tanquam pueriles contemnimus: quomodo verò ipſimet non agnoſcunt iſtos in patribus ſuis nævos, & corrigunt potiùs, quàm ut defendant? Quis unquam audivit talem explicationem? Neſcire aliquid, eſſe ita ſcire, ut aliis id non manifeſtet. Nonné ſi hæc explicatio admittenda ſit, probandum priùs eſſet, Chriſtum iſtum diem ſciviſſe, & cauſam fuiſſe, cur Deus noluerit, ut eum revelaret. Quæ certè nemo unquam oſtendet, ex ſacris literis. Modum verò hunc loquendi non uſum ſolùm probare, ſed etiam moraies philoſophos atque adeo graves Theologos, ſanctosq; patres recipere, quàm partim falſum, partim inſufficiens ſit, ſuprà in hoc capite oſtendimus. Nunc hoc addo: Patrum autoritatem hîc nō tanti eſſe faciendam, ut aliquid veritati adverſum admittamus. Hi enim plærique præjudicatam de Chriſti eſſentia opinionem ad lectionem ſacrarum literarum afferentes, tales interpretationes excogitare coacti ſunt, quæ iſti præjudicatæ opinioni non repugnarent.

Chriſtum abſolutè ignoraſſe diem judicii, ſenſiſſe Irenæum.

Importunus porrò eſt Smiglecius, dum phraſin impropriam, qua Deus dicit de impiis, *Neſcio vos*, huic, de qua nunc ſermo eſt, ſimilem eſſe contendit. Quid enim aliquem non noſſe, hoc eſt, non approbare, cum eo cōmune habet, quod quis aliquid ignorat? Cùm iſta phraſis prior ſcientiam neceſſariò præſupponat. Nam quomodo aliquid poſſum non approbare, quod ignoro?

Inepta Smiglecii inſtantia.

Sed ecce iterum expendatur Smiglecii lapſus vel intricatio. Ait: Impertinens eſſe quod objiciam, etiam Patrem neſcire impios, &, quid hinc deducam, affingit, & quomodo diſſimili ratione Patri competat impios noſſe, diſſerit. Ego verò nihil tale unquam objeci, nec objicere potui. Nam cùm Smiglecius in Monſtris dixerat, eo ſenſu de

Christo dici, quòd nescierit diem judicii, quo Deus etiam dicitur non nosse homines impios: ego ostensurus phrasium istarum dissimilitudinem, dico tantùm, non nosse impios etiam ad Christum pertinere & ad Angelos, ut pote qui omnes non probent impios suo modo. Quomodo igitur hæc, quæ hîc a Smiglecio dicuntur, huc faciant, ipsemet Smiglecius secum expendat.

Format denuò interrogationem meo nomine, quare tam accuratè determinetur una tantùm persona, & respondet id, quod suprà dixerat, quia ista persona hoc sciat absq; ulla secreti obligatione. Sic quidem facilè respondetur, sed an rectè & legitimè, vel saltem cum aliqua veritatis & rationis deniq; specie, ex iis, quæ suprà diximus, constare putamus.

Cùm dico, si vox *nescit*, quando de Christo accipitur, significat, *nescit ob secreti rationem*, idem etiam de Angelis dici debere, quod nesciant ob secreti rationem, cùm tamen sciverint, quia æquè dicitur de Angelis, quod nesciverint, ut de Christo. Respondet Smiglecius, *id non sequi. Quia non eodem modo nec eadē de causa nesciant angeli, ut Christus. Angelos enim absolutè nescire, quia id illis a Patre revelatum non sit. Christum verò scire absolutè, cui omnia data sint a Patre* &c. Sed hæc responsio nodum non solvit. Nam verba *Nemo scit*, quæ postea explicantur per ea, *neq; angeli qui in cælis, neq; filius*, nimis clara sunt, & demonstrant, prorsus eadem ratione prædicari istam ignorantiam tam de angelis quàm de Christo. Quæ verò Smiglecius ad differentiam ignorantiæ in angelis & hominibus affert, ea ipsissima sunt petitio principii, imò manifesta contradictio. Christus enim ait, se nescivisse: explicatio Smiglecii dicit, Deum illi omnia revelasse.

Smigl: responsio infirma.

Cùm deniq; dico: si nescire, quando de Christo prædicatur, est nescire ad manifestandum, scire, quando de Patre prædicatur, erit scire ad manifestandum, atq; ita sequi, Patrem diem illum judicii alicui manifestare, Et si eum alii manifestat, ridiculum fore, imò contradictorium, illum solum scire. Respondet Smiglecius, *Patrem scire ad manifestandum, & manifestare re ipsa Filio. Manifestando verò Filio, absolutè quidem non solum scire, quod tamen ad secreti rationem attinet, solum scire, quia solus absq; secreti obligatione sciat.* &c. Sic scilicet uno flatu, ut gloriatur, difflavit hanc contradictionē Smigle:. Sed quis nō videt, hunc illius flatum esse vanissimum? Explicationē enim verborum quærit, quæ absq; ulla explicatione intelligi possunt, eamq; talem, quę nullo simili S. literarum loco fulciri queat, ut scilicet is dicatur aliquid nescire, qui sciat ita, ut alteri non manifestet. Vnde deinde constat quid de hac controversia sentiendū sit, & quomodo De⁹, ne in

Gloriatio Smiglecii irrita.

istum

istum errorem, in quem Smiglecius incidit, nempe Christum esse Deum illum summum, incideremus, ut aliis, sic etiam hoc testimonio, præcaverit. Nihil enim unquam afferri potest ab adversariis, quantũvis perspicacibus & artis sophisticæ peritissimis, quod hujus testimonii lucem obscurare possit, ut hæc cum Smiglecio concertatio, & aliæ etiam de eodem loco nostrorum adversus Smiglecium & alios disputationes satis superq; docere possunt.

Omittit Smiglecius hîc aliqua, quorum eum fortassis pudet. Quis enim ferret eum, qui id quòd Christus crevit in sapientia., explicare vellet per id, quod Deus induat fortitudinem, quod tamen in Monstris fecerat Smiglecius? Quis item ex eo, quòd Christus plenus fuerit gratia & veritate, colligere jure potest, Christum omnia scivisse. Cùm gratia & veritas soliditatem tantùm eorum, quæ Christus prædicavit, contineant? Quis denique ex eo, quòd spiritus Christo datus fuit absque mensura, (ut nunc concedam de Christo istum locum accipiendum, quod tamen falsum esse suprà ostendi) vitiosè colligi non videt, istam omniscientiam? Cùm ibi de iis tantùm rebus sermo sit, quæ Christus annunciavit in Evangelio. Opponitur enim aliis, & præsertim iis, quas Ioannes Baptista annunciavit. Dixerat etiam Christum *omnia* Dei verba loqui, etiamsi Ioannes id non dixisset. Dixerat denique ex eo colligi, Christum scivisse diem judicii, quia scriptum sit, eum omnia nosse. Hoc verò quàm sit infirmum, a nobis ostensum fuerat eo, quod idem de aliis etiam fidelibus legatur. Iam tu vide lector, quo fine Smiglecius, qui aliàs ad nauseam usque verbosus est, & unam eandemque rem decies fortasse iterat in hoc scripto, hîc ita compendiosus esse voluerit. *Smiglecius absurdè dicta omittit.*

Caput XVI.

Christi ad dexteram Dei sessionem, Divinitatem Christi esse ostenditur.

IN hoc capite iterum mira se prodit Smiglecii astutia. Nam nec ea, quæ antea scripserat defendit, nec mea refutat omnia, & inverso ordine tractat omnia, ut lectori imponat. Si hoc impetrare a lectore possem, ut cap: 15. Monstrorum & nostram ad illud responsionem cum hac illius scriptione secunda conferret, experiretur procul dubio, jam antea ea dicta esse, quæ hanc controversiam, quid sit sessio a dextris Dei, dirimere omnino possent: Smiglecium verò tantum id agere, ut multa denuò scripsisse prædicetur. Sed jam *Smiglecius eadem repetit.*

devoranda est ista crambe. Expediam me autem brevissimè.

Titulum capitis fecerat antea talem Smiglecius: *De sessione Christi ad dexteram Patris, & suprema dignitate post resurrectionem obtenta.* Hîc ego animadverteram, Smiglecium semet ipsum refutare. Nã si obtenta est post resurrectionem summa dignitas, quomodo ante resurrectionem Christus eam habere potuit? Smiglecius ait, *me ludere, eum enim qui aliquid ad disputandum proponit, neutram patrem determinare sed determinandam proponere.* Mihi verò Smiglecius me eludere velle videtur, dum errorem agnoscere non vult. Nam qui adversus aliquem disputat, non adversarii sed suam sententiam ponere debet. Iam quia non dignitatem summam, sed summum tantùm honorem Christum consecutum esse credit Smiglecius, quid opus erat in titulo capitis ponere, quod pro re falsissima habet?

Smiglecius impatiens admonitionis.

Deinde quæro, cur Smiglecius non defendit suam opinionem, quòd sessio ad dexteram Dei sit honor consequens divinitatem? Hoc enim ei prorsus incumbebat, præsertim cùm ipsa res loquatur, ideò Christo deberi honorem, quia a dextris Dei sedeat, & ita sessionem a dextris causam esse honoris. Locum honoratiorem, qui per sessionem ad dextram Dei denotatur, negat esse divinitatem ipsam. At quomodo id probat? ineptè, ut solet. *Quia locus honoratior non sit ipsa dignitas sedentis, sed quid ratione dignitatis vel officii publici conveniens.* Sed hoc est nudè tantùm affirmare aliquid, idq; quod per se falsum esse constat. Nam nihil est, quod majorem alicujus dignitatem evincat, quàm si sedeat a dextera alicujus Monarchæ, idque perpetuò, quam deinde non potest non consequi honor debitus. Et certè ipse locus, unde phrasis ista desumta est, sensum hunc nostrum verissimum esse docet. Nam cum Deus dixit Christo: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos scabellum pedum tuorum*, non id dixit, Accipe honorem tibi debitum, sed regna unà mecum & mei loco, donec omnes inimicos tibi subiicias. Per Christum enim Deus inimicos ejus illi subjiciet. Adde cùm Paulus causas afferens, quarè nemo electos accusare possit, hanc etiam recenset, quia Christus sit in dextera Dei, sanè non hoc dicere voluit, quia Christus sit honorẽ consecutus divinum; (Hoc enim nihil ad efficiendum id, quod Paulus concludere volebat, pertinet. nec enim ex eo, quòd Christus honore dignus est summo, sequitur, nos damnatum non iri :) sed id dixit, Christo contigisse summam dignitatem & potentiam, quà nos servare possit, quâ junctâ cum eo, quòd nos etiam servare velit, quod per interpellationem mox ibidem additam exprimitur, necessariò sequitur, neminem posse Christi electos condemnare. Sed quid ego in re tam manife-

Sessionẽ ad dexteram Dei, esse illius potestatem divinam.

Rom. 8.

manifesta probanda occupor? Ipsemet Smiglecius parum sibi constans hoc ipsum confessus est, vel saltem semetipsum mirificè intricavit, dum dicit, *sessionem Christi ad dexteram Patris esse parem cum Patre majestatem.* Nam vocem majestatis accipi pro ipsa dignitate posse, in confesso est. Quid enim aliud Paulus dicere voluit, cùm ait: per Christum creatas esse Majestates, quam per eum creatas esse dignitates istas angelicas, quatenùs scilicet reformatæ per eum fuerunt? Conjungit enim istas Maiestates cum thronis, & potestatibus, & dominatibus, quæ certè non honores sunt consequentes dignitatem, sed ipsa dignitas angelica. Vnde constat, quia Christo post resurrectionem data est summa dignitas, eum ante resurrectionem non fuisse re ipsa illa præditum.

Smigl: sibi non constat.

Majestas quid.

Iam dum dignitatem sedendi ad dexteram Dei, quam Christus ante resurrectionem habuerit, probat ex eo, quòd Deo æqualis fuerit, indignus sim qui amplius audiar aut legar, si non semel sed crebrò dicta toties iterare velim. Contrarium enim semper ex eo colligetur, cùm Deus sibimet ipsi æqualis esse nequeat, & qui Deo æqualis est, simul etiam certo modo inæqualis eo ipso dicitur esse Deo, cùm omnimoda & perfecta æqualitas cum Deo necessariò duas personas divinas, adeoque duos Deos introducat. Tot enim essentias divinas esse necesse est, quot sunt divinæ personæ. Itaque semper necesse est dicere, Christū non prorsus fuisse aut esse æqualē Deo, nisi in crassissimum de dualitate vel pluralitate summorum Deorum, errorem incidere velimus. Et proinde, quia non prorsus & absolutè fuit aut est Christus æqualis Deo Patri, æqualitatem illam, quæ in Christo in terris adhuc degente extitit, aliud nihil fuisse, quàm ejus cum Deo tum in factis, tum in honore ei tributo similitudinem. Nunc verò ideò æqualem Christum Deo esse, quia ea facere possit, & ea illi debeantur, quæ soli Deo competunt.

Æqualitas cum Deo, inæqualitatem certo modo ponit.

Nec porrò, si Dei consilium & decretum spectetur, Christus eam dignitatem habuit aut habere potuit, ut a dextera Dei sederet, priusquam ex mortuis resuscitatus in cœlos exaltaretur. Vocem græcam ἴσος propriè æqualem significare, non negavi unquam: similem tamen etiam significare posse contendi; quod verum esse testabuntur lexica linguæ Græcæ. Quod etiam de voce ἴσα, inde deducta, quam Smiglecius adverbium vocat, affirmo.

Porrò cum sapientiæ Dei contrarium esse dicerem, Christum semper adeóque in cunis vagientem ad dextram Dei sedere potuisse, indi-

se, indignabundus Smiglecius (nam frustum me hominis vilissimi hîc appellat) *non ex mole corporis dignitatem Christi metiendam esse ait, & testimonio Esaiæ, in quo de puero nobis nato dicitur, quòd principatus sit super humerum ejus, & quod nomen ejus vocabitur, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, puerum etiam dignum fuisse docere nititur, qui ad dextram Dei, cùm puer esset, sederet.* Sed ista indignatio & convitium ex ea profectum animum hominis prodit. Certè si sapientiæ, quæ in omnibus Dei actionibus apparet, ratio sit habenda, ipse sensus communis testatur, Christum, ut non nisi adultus docere Evangelium potuit, sic nec nisi adultum eam dignitatem, quâ nunc fruitur, consecutum esse, nisi Deum frustrà aliquid facere velimus. Ad utrumque enim ista Christi corporis constitutio requirebatur, quæ capax esset, tum perfectæ sapientiæ, tum perfectæ potentiæ. Hanc verò Deus in Christo inesse noluit, accedente ætate, ut suprà docuimus. Quæ verò Esaias de puero recens nato & nobis dato affirmat, ea de ipso, non quatenus natus est, sed de eo qui puer natus antea fuit, intelligenda esse, ipsa res loquitur. Omnes enim tituli eatenus puero isti tribuuntur, quatenus divinam voluntatem nobis annunciavit, confirmavit, & ejusdem effectum in semet ipso nobis ostendit. Qua de re pereleganter etiam, ut solet, Vatablus scribit, in hunc modum: *Principatus erit super humero ejus. Matth: 28. Data est mihi potestas &c. Admirabilem intellige ob nativitatem* (quanquam ex nostro sensu non ob solâ) *ex virgine: consiliarium, ob doctrinam: Deum, ob miracula: fortem, ob calamitates quas feret: patrem æternitatis, quòd perpetuò victuri sint credentes in eum: patrem pacis, quod futurus sit autor pacis internæ.*

Quando Christus ad dexteram Dei sedere debuerit.

Vatabli de loco Esa: sententia.

Sed iterum convicia jactat Smiglecius. Nam me blasphemum & plus quàm impiè sceleratum fore affirmat, si dicam, Christum designatione tantùm Deum ante resurrectionem fuisse. Ego verò millies jam dixi. Christum Deum ante resurrectionem fuisse re ipsa & designatione. Re ipsa, quia partem divinitatis, quam nunc habet integram, habuit: Designatione, quia non tantam, quantam nunc habet, habuerit, ideoq; etiam sessio ad dextram Dei, ei priùs non competierit, quàm universam divinitatem, quam scilicet consequi potuit, consecutus est. Ista verò convitia impotentis animi indicia lectori judicanda relinquo.

Istud etiam quàm falsum sit non repeto, quòd Christus Deus summus ideò sit, quia ad dexteram Dei sedere jussus sit. Pro nobis enim ratio loquitur & sacra scriptura. Smiglecius autem dum ait, nihil

hil Deo par esse posse, quod Deus non sit, suo more, magnas nugas nugatur,& seipsum intricat. Nec enim nos Christum Deo parem esse absolutè dicimus, nec quisquam dicere potest, nisi duos Deos introducere velit. Quod facit Smiglecius, & ita Christi religionem, quâ nihil sapientius, pro anili fabula omnibus ridendam propinat. Nihil autem proficit, dum Christi præ angelis præstantiam ex illis verbis: *Sede a dextris meis*, iterum ostendit. Potest enim Christus angelis esse præstantior, nec tamen Deo par esse absolutè, ut nos unâ cum scriptura confitemur.

Nemo Deo par absolutè.

Summum Deum ad dextram Dei collocari posse, contra quàm nos sentimus, asserit, *si Deus ille summus sit etiam homo, ut Catholici credunt*. Sed nec Deus summus homo esse potest ullo modo, nisi Deus summus esse desinat; nec etiamsi tandem tanta absurditas in Deum caderet, opus esset, illum summumDeum ab alio, nempe a Patre, ad dexteram Dei collocari. Ipsemet enim sponte sua tandem a dextera Dei consideret, a qua ad tempus (si ita Deo placet) abstinuisset. Sed pudet me istarum nugarum.

Ineptia Smiglecii.

Inscitiam appellat, quòd datis duobus absolutè paribus, dentur duo Dii: ipse verò qualem prodat scientiam, expendat lector. Eò enim tandem illi deveniendum est, ut eo modo duos æquales prorsus esse velit, ut duo corpora unam numero quantitatem habere possunt. Hoc verò quis Philosophorum unquam dixit, aut quis sanæ mentis concedet?

Absurda Smiglecii dicta.

Cùm denique dico, personam divinam non posse non semper sedere addexteram Dei, ideoque opus non fuisse, ut ei aliquando diceretur, *Sede a dextra Dei*, respondet suo more Smiglecius: *Si de persona divina secundùm se sit sermo, eam necesse fuisse semper esse apud Deum, & ad dextram Dei non solùm ante resurrectionem, sed etiam ab æterno. In principio erat verbum & verbum erat apud Deum: At si de persona ratione humanæ naturæ sit sermo, sic Christum non nisi post suum in cœlum ascensum sedisse ad dexteram Dei dici.* Vide quæso, lector benevole, vitiositatem causæ Smiglecianæ. Nunc ista natura divina a nobis impugnatur, dum docemus, tempus fuisse quando Christus ad dexteram Dei non sedit. quia sedere in ea cœpit, tunc cùm ei dictum fuit, *Sede a dextris meis*: Smiglecius verò affirmatione istius naturæ divinæ, ac si res in vado esset, argumentum solvit. Si hoc non est principium petere, vel id, quod in quæstione est, pro concesso sumere, vel aliquid etiam ineptiùs, equidem, quid principium petere vel ineptire sit, non dispicio.

Principiũ crassè petit Smiglecius.

Quanta præterea Smiglecii est audacia, qui, cùm probandum illi esset,

In principio apud Deum esse, & ab æterno ad dexteram Dei sedere, differunt.

li esset, Christum ab æterno sedisse ad dexteram Dei, tantùm ea verba affert, quibus dicitur, eum in principio apud Deum fuisse. Quasi scilicet idem sit in principio esse,& ab æterno; & apud Deum esse, & in dextera Dei sedere.Cùm tamen in principio esse,contrarium sit ejus, esse ab æterno. Apud Deum verò esse aliquem posse, qui idem non sedeat a dextra illius, ipsa res loquitur. Omnes enim angeli sunt & omnes fideles erunt apud Deum, nec tamen vel illi vel hi ad dexteram Dei sedent aut sessuri sunt.

Caput XVII.

Nihil indignè nos de Christi divinitate sentire, ostenditur.

HOc caput Smiglecii, omnium quoad verba brevissimum, quoad cavillos & calumnias, omnium verè est longissimũ. Adversus quod multa scribi potuissent, nisi id jam antea a nobis in priori responsione ad Monstra: prolixiùs autem in refutatione libelli c.10., *Verbum caro factũ*, in quo magno cum conatu eadẽ Smiglecius, quæ hîc convitia evomit, præstitum esset. Videat lector benignus utrumque locum, & me, qui hîc nihil respondeam amplipliùs, excusatum habebit. Smiglecii autem scribendi modum unà mecum mirabitur, & tandem agnoscet, illum tantùm otiosam repetitionem ejusdem, rei pro refutatione nostrorum scriptorum, venditare.

Christũ esse verum Deum.

Christum Deum verum non esse, ex nostra sententia sequi, ingens & evidens calumnia est. Nam quicunq; veram habet divinitatem, licèt non ex se ipso aut naturâ, is verus Deus est. Et hæc vera causa est, cur aliquis Deus dicatur. Ratiunculæ verò Smiglecii ne hilum quidem valent. Vt enim (& hæc prima est) verum est, eum qui naturam divinam habet, Deum verum esse: sic falsissimum est, eum solum verum Deum esse, qui naturam divinam habeat. Deinde ex eo,quòd Deus verus unus esse dicitur (& hoc secũda est,) non sequi, unum esse absolutè,sed comparatè vel respectivè,quia tantùm unus sit ex se ipso, vel hinc constat, quòd ut solus verus, sic solus sapiens, beatus & immortalis dicitur, cùm tamen alii etiam beati sint, sapientes& immortales.. Deniq; (& hæc tertia est ratiuncula) non tollit participatio veritatem divinitatis.Nam &alii,qui participatione Dii sunt, veri Dii sunt, licèt Christo longè inferiores.

Porrò falsum est, Christum esse Deum metaphoricum. Analogiam

giam enim hic agnoscendam esse inter Deum & Christum, alibi docuimus. In analogia autem necesse est utriq; istorum, inter quos est analogia, istud propriè competere, cujus respectu analogiam inter eos esse dicitur. Vt, exempli gratiâ, quis dixerit, Pharaonem propriè, & Iosephum impropriè gubernatorem Ægypti fuisse. Vterque enim propriè gubernabat: Sed Pharaoni secundùm excellentiam, Iosepho ex gratiâ Pharaonis ista gubernatio competebat; Vel, si filius regis unà cum rege Patre gubernet, quis, nisi mentis inops diceret, patrem propriè, filium metaphoricè regere; vel, ut res adhuc rectiùs explicetur, si filius in regno peculiari, sibi a Patre tradito, regnaret, nonne uterque propriè regnaret? Et sic se res habet in Christi persona. Is enim & cum Patre regnat, & regnum illud divinum, quod ad homines & eorum salutem quocunque modo spectat, (quod Christus innuere visus est, dum non ait, Pater nihil judicat, sed Pater neminem judicat) solus absolutè administrat. Angelos & homines veros Deos dicendos esse, quantumvis neget Smiglecius, verum manet nihilominus: Smiglecii verò ignorantia, qui, quod Paulus de veris Diis dicit, de Idolis gentium accipit, indies magis magisque innotescet omnibus.

Christus est Deus per analogiã.

Quæ fiunt per analogiam, propriè fiunt.

Verè autem dicitur a nobis, per istam exaltationem Christi, quâ Deus naturâ esse fingitur, imminui gloriam Dei Patris. Nam si Christus id, quod est, a seipso est, nulla hinc gloria Deo Patri accedit, & tamen Paulus dicit: Deum ideo super exaltasse Christum, ut omnis lingua confiteatur, quòd Dominus (est) Iesus Christus, in gloriam Patris. Iam quæ narrat nobis Smiglecius de gloria Patris, *quòd talem ac tantum Filium genuerit, qui sit ei per omnia similis*, Primùm illud occino, quod in libro de Baptismo fatetur & defendit Smiglecius, Falsum esse, quòd Deus filium genuerit. Nam adhuc gignitur, & æternùm gignetur. Quomodo verò ex eo, quod nondum perfectum est, gloria vera oriri potest. Deinde dico, gloriam Patris imminui, si, quod fecit aut facit, ita facit, ut aliter facere non potuerit aut possit. Vera autem & integra in eo est, quòd cùm Christum posset non facere talem, qualis est, talem eum sponte sua & ex singulari beneficio & gratia fecerit. Taceo, quòd ista generatio alterius immensi, infiniti, æterni, & impossibilis sit, & Deo longè indignissima. Nam quia natura Dei numero una est, &, ut sit, necesse est, quis non videt, generationem alterius ex illa esse ei contradictoriam? Generationem etiam imperfectionis argumentum esse, & ratio loquitur, & exemplum illorum, qui Deo similes sunt, & olim erunt, docent. Nam, si perfectio aliqua esset in generatione, generarent & angeli & fideles in futuro seculo, ubi sum-

Per sententiam Smiglecii de Christo, gloriam Dei imminui.

Gloria Dei in eo est, quòd omnia sponte sua, & nõ necessariò, facit.

Generatio imperfectionis argumentum est.

ubi summa erit perfectio. Hoc autem falsum est. Et certè mirum est, fideles in futuro seculo, in omnem æternitatem aspecturos non generatum filium, sed qui adhuc generatur & generabitur perpetuò.

Generare, esse actum divinæ naturæ, quod ait Smiglecius, quis unquam audivit in sacris literis proditum? Iam *si fœcunditas naturæ divinæ infinita est*, ut nugatur Smiglecius, quî fit, quòd unum tantùm filium gignat & non plures, quod natura humana præstare potest? Et si natura divina, quâ Patris est, fœcunda est, cur eadem natura divina, quâ Filii est, tam sterilis est, ut nihil generet? Sed quorsum tandem evadent istæ monstrosæ de Deo opinationes? Harum, Smigleci, harum agnoscenda esset turpitudo, & in alios non involandum, qui verum unum Deum, ut naturâ sic etiam personâ statuunt, & unâ cum illo hominem Iesum Christum, ab illa una persona divina certo tempore exaltatum pro vero Deo agnoscunt, quæ summa est & anima religionis Christi sanctissimæ & perfectissimæ. Nugas Arianorum, quas sibi hîc Smiglecius objicit, & ex Augustino solvit, studio prætermitto. Nec enim a nostris ista ojbecta sunt. Quæ de analogia dicit, jam ante sunt a nobis declarata & confirmata.

Fœcunditatē divinæ naturæ non esse infinitam.

Calumnia gravis & illa est, quòd nobis Christus sit cultu divino indignus, quia naturam ei divinam non atribuamus. Nusquam enim ita loquimur, sed Smiglecius petulanter nos ita traducit. Ipse verò errat crassè, & clarissimis s. literarum testimoniis contradicit, dum, solam naturam divinam mereri cultum divinum, affirmat. Et est hîc eadem fallacia, quam ab initio capitis ostendimus. Nam præter naturam aliud esse potest, quod causa sit cultus divini, nempe potestas divina. Hanc quia Christus habet ita perfectè, ut verè divinos effectus producere possit, qualis est, imperium in animas & salutem humani generis, ideo divinum cultum meretur: Quia verò omnis potestas angelorum talis non est, cultum etiam divinum non meretur, nisi impropriè; quatenus scilicet tanquam spiritus cælestes sint magni faciendi, de quo supra suo loco fusè diximus.

Christus cultu divino dignus.

Nihil autem rectiùs dici potest, quàm omnem Christi divinitatem in potestate nos salvandi contineri. Nam, quæ major divinitas excogitari potest in ipso Deo, quàm quòd Iesum mortalem effecit talem, qualis nūc est. Certè Paulus verba ad hanc rem idonea invenire vix potuit, quibus Dei potentiā & benignitatem extolleret, quam in Christo ex mortuis resuscitando, & super omnes cœlos exaltando exhibuit. Quod verò in uno Christo Deus præstitit, id in omnibus suis fidelibus præstabit aliquando Christus, qui omnium illorum est

Divinitatē Christi in potestate nos servandi cōtineri.

Ephes. 1.

serva-

servator. Nec quicquam refert, quòd, Christum dum in terris esset, doceamus, non re ipsa nec perfectè fuisse Deum, nec potestatem re ipsa in omnia habuisse,& aliquid etiam ignorasse.Satis enim est,eum nunc,postea quàm a dextris Dei consedit, talem esse. Quod quidem ex animo confitemur. Iam quod ait, *nos dicere, Christum nunc nos salvare, astando vultui Dei & interpellando pro nobis, & offerendo seipsum pro nobis*, id Christi divinitati vel divinæ potestati nihil derogare,si,impropriè accipiatur,nemo non videt.Impropriè autem ista esse accipienda, & per istos loquendi modos non naturā potestatis, sed causam illius indicari, supra a nobis abundè demonstratū est.

Quod deniq; tanquam aliquid vile in Christo agnoscit Smiglecius, quòd eum generalem Dei vicarium faciamus, id sobrio sensu acceptum, veram Christi divinitatem verè exprimit. Nam si Dii iiq; veri ii appellati sunt,qui unâ cum Deo ipsi etiam aliquam potestatem divinam exercuerunt, quantò magis Deus is, isque verus censendus est, qui vices Dei quodammodo in hominibus salvandis gerit. Quia enim Christus Deus ipse unus esse nequit ullo modo, nihil, post ipsam naturam Dei excellentius, vel cogitari potest,quàm ipsius Dei vices gerere in re omnium excellentissima.Hac veritate nos contenti, Christum verum Deum esse credimus, & divinum honorem illi ex animo tribuimus, edocti ab Apostolis: uni soli vero Deo & Agno illius,tum veram divinitatem,tum cultum competere.Deum autem oramus, ut discussis sole veritatis suæ tenebris, omnium Christianorum animos ita illustret, ut vel idem nobiscum, vel potiùs cum s. literis de Deo & Christo sentiant, vel saltem mitiùs de nobis,qui eam asserimus, sentire & loqui incipiant.

Christū vice Patris nos regere & servare, summa illius dignitas est.

Ad Lectorem.

HABES,benevole lector,satis prolixam ad centum,quos numerat Smiglecius, errores responsionem, ex qua, tot erroribus implicatum esse Smiglecium, intelliges,quot ille mihi objicit.In quos ipse unà cum Ecclesia sua incidit, quia, deserto verbo Dei,ex quo solo sapere in rebus divinis tenemur, hominum verbum, hoc est,Ecclesiæ suæ placita sectatur, & verbi Dei explicationem ab hominū placitis pendêre existimat. Quare ab eo, quantumvis se dimicaturum nobiscum promittat, vinci posse nos, qui solum verbum Dei sequimur, impossibile esse,tute potes perspicere:Et præterea quàm vana sit ista promissio, doceat te illud: quod collegæ Smigl: confessi sint,hanc de Christo doctrinam ex solis s.literis defendi non posse.Vale,& hinc tum Iesuitarum,tum dogmatum, quæ tuentur, naturam & ingenium agnosce.

Causa errorum Smiglecii.

Iacobus Wuiek.

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS.

INDEX RERUM, QUÆ in his duobus libris continentur.

A.

B.

C.

D.

L.

M.

Mundus

Q.

R.

T.

V.

Vectus

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ, qui in his libris vel toti explicantur, vel aliqua sui parte illustrantur.

1.Iohan:

INDEX.

Errata quædam sic corrigat benevolus lector.

Pag:	lin:	
21	17	audierit.
22	37	inter nos.
26	21	nunquam poterit.
35	12	ulla.
36	35	Dii.
37	8	doctrinæ.
45	25	sui.
49	31	*ante* attulissent, *adde* non.
72	18	scripturæ.
78	11	*pro* negem, affirmẽ.
84	33	potestas.
93	10	genu.
98	37	*pro* jam, cum.
100	14	invictos.
115	18	*adde* sequi.
119	37	controversiæ.
131	31	Ethnicismus
137	11	*adde* habet.
154	11	is.
161	7	hi.
165	2	Smiglecio.
168	19	forma.
171	20	separaretur.
173	6	ejusq;
174	13	& tamen.
186	*ult:*	dicentem.
189	20	eandem.
228	25	*pro* concedere, habere.
231	19	quam.
247	2	*pro* se exinanivit *repone* Deo æqualis fuit.
265	14	Deus.
301	33	quam.
302	11	*pro* sermo, locus.
328	14	*post* noluit, nisi.



BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS


Biblioteka Jagiellońska
stdr0010329

